







C. VALERII CATULLI

OPERA OMNIA

EX EDITIONE F. G. DOERINGII

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.



VOLUMEN PRIMUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1822.


ASTOR LIBRARY
MAR
21
1895
NEW YORK

CONSPECTUS

EORUM QUÆ HAC EDITIONE

CONTINENTUR.

AD

SERENISSIMUM

DELPHINUM

PHILIPPUS SILVIUS

T. E. C. P.

Cui dono lepidum Librum Catulli
Commentariolo novo explicatum?
O Delphin, tibi. Namque tu solebas
Catulli Veneres, facetiasque,
Urbanumque salem, elegantiasque,
Risus, delicias, jocos dicaces,
Ipsas esse aliquid putare nugas,
Jam tum, cum manibus tuis Marones,
Flaccosque, et Senecæ gravem cothurnum,
Et si quid Latiis modis Camœnæ
Plectro unquam cecinere grandiori,
Tractabas, vigiles et ad lucernas
Arpinis aciem usque et usque chartis,
Defixumque animum æmulus tenebas;
Aut per Romulidum priora sæcla
Decurrens, Dominæ ampla fata Romæ,
Altricem Populi Lupam Togati,
Prætextas, Trabeas, feras Secures,
Minaces Aquilas, Forum, Senatum,
Fasces, prælia, fœderumque ritus,
Legesque, et Sacra, Cærimoniasque
Divum multiplices, theatra, thermas,

Instructas acies, locata castra,
Juges excubias, et arma cunctas
Formidata diu per orbis oras
Discebas avidus; ferumque Pœnum
Ad Cannas Thrasymenicasque lauros
Scandentem gelidas sequens per Alpes,
Aut Byrsæ meritam vicem inferentem
Mirans Scipiaden, morave cauta
Vincentem Fabium, aut Macedonum arvis
Sternentem Æmilium æreas phalanges,
Et quicquid decorum exhibent Quiritum
Annales cupide legens, Paternis
Suescebas aciem applicare factis,
Magnis, Jupiter! et laboriosis.
Tum te nec manibus bonum Catullum,
Jocorum et salium patrem Catullum
Pigebat tenuisse, et hoc severo
Contractam studio explicare frontem,
Sæpe et Virgilii gravem jocosis
Mutare Hendecasyllabis Camœnam.
En! nostra tibi pumice expolitus
Leporum ac Venerum parens Catullus
Sistit sese iterum, tuisque gestit
In famam auspiciis, et ora ferri.
Hunc tu ut excipias benignus, oro,
Tibi haud indecorem hospitem futurum,
Carum Nobilibus sodalem, et olim
Magni Cæsaris hospitem Catullum;
Et probes studium tibi offerentis,
Devotumque animum, et fidele pectus,
O Delphin, soboles beata Magni,
Quem totus stupet ac veretur orbis;
Delphin, deliciæ, atque amor Lycæi,
Delphin, præsidium decusque nostrum,
Cui dono lepidum librum Catulli.

Lutetiæ Parisiorum, Kal. Mart. an. Chr. 1685.

HANDII PRÆFATIO.

HABENT sua fata libelli. Inter eos veteres scriptores, qui longum per tempus neglecti jacuerunt, et in quibus, post curas singulis locis adhibitas, plura adhuc leguntur obscura et depravata, Catulli Carmina non ultimum locum obtinent. Etenim ex quo studia virorum doctorum Latinis Poëtis occupari cœperunt, alia omnia majori diligentia et cautiori cura versata sunt, quam nostri Poëtæ Carmina. Jamjam Parthenius, tantam, inquit, confusionem et conversionem in Catulli Carminibus fuisse, ut si ab Inferis Auctor revocaretur, sua non esset agniturus. Nec tamen is dignus erat, qui tanta casuum varietate jactaretur, et sospitatorem diu desideraret. Equidem pro Catullo ejusque virtutibus dicere, aut eum flagitiosæ impuritatis specie, qua suspectum habent, liberare, non apud me constitui; nec curo eos, qui in moribus Poëtarum magis, quam in verbis hærent, et ingenium non nisi pudicum esse volunt. Qui, vereor, ne sæpissime fallantur; nam, quæ inter mores et orationem intercedit necessitudo, non in quocumque Poëta ita valet, ut ad regulam, nescio quam, exigi possit. Placet Catullus, quia plurima in eo placent. Atque in magnis ingeniis multa reperiuntur, quibus eorum vitia expientur; nec culpa vitiorum, quæ sæculi sunt, in singulos homines, qui iis laborant, conjici debet. 'Nam castum esse decet pium poëtam Ipsum: versiculos nihil necesse est.'

Elegantissima Carmina conscripsit Catullus, mira simplicitate ac venustate; neque ipse destitutus erat ingenii vi, quæ

neque artem nec laborem redolet. De negligentia et audacia ejus non uno modo potest disputari. Quæ vero viri docti de ea re dixerunt, vereor, ne maximam partem nimia sint atque iniqua. Melius consuluissent Poëtæ, si Carmina ejus ita restituissent, ut judicium firmum ac certum de iis haberi posset. Quamdiu enim de pluribus partibus dubitatur, non potest de universa re judicari. Editiones autem Catulli, quæ recentioribus temporibus prodierunt, Carmina non peræque exhibent, quemadmodum a Poëta profecta sunt. Sunt enim ita comparatæ, ut lectionis vulgatæ rationes et causæ prorsus ignorentur. Ex iis non cognosces, unde ducta sit hæc et illa lectio, vel bona vel absurda, neque invenies nomina virorum doctorum, quorum studio plures singuli loci optime sanati; immo vana mendacia ac negligentiæ sordes tantum tibi tædium afferent, ut totum librum abjicias. Judicium ac censura, quam Interpretes ante omnia instituere debebant, codicum et vett. editt. earumque auctoritatis nusquam extat, et textus firmo fundamento plane destitutus est. Sine codicum et vett. librorum ope neque institui neque effici potuit recensio textus. Nec sufficiebat, tantum inscriptiones editionum commemorare, hinc et illinc varietatem lectionis afferre, et aliorum vestigia sine ulla dubitatione persequi. Quantum igitur dolorem omnes, quibus studia humanitatis et inprimis Carmina Catulli curæ sunt, percipere debuerunt ex morte Santenii, cujus mentio tristior est lacrymis Simonideis.

Historia casuum, quibus jactatus est Catulli Liber, satis mirabilis docet, paucissimos inveniri potuisse codices antiquiores; et variarum lectionum, quas illi exhibent, majorem partem e scribarum ignorantia atque monachorum lascivia, qua in scriptoribus veteribus grassati sint, ortam esse. Atque hoc jam Scaliger observavit, de exemplari, ex quo omnes codices propagati, locutus. Variis ex argumentis et præcipue ex consensu omnium, quos hucusque cognitos habemus, codicum in locis corruptis et mutilatis demonstrari potest, unum librum fuisse fontem omnium aliorum, qui inde a sæculo quinto decimo scripti sunt. Matthæus

Palmerius in codice, quem sua manu a. 1428. scripserat, et quo usus erat Andreas Schottus (Observ. lib. II. c. 16. p. 53.), hæc annotavit: 'Anno 1425. primum repertum esse Catullum, pessimeque acceptum in manus hominum venisse.' Extat etiam Epigramma, commemoratione satis dignum, viri cujusdam docti Veronensis, quem Apostolus Zenus (in Ephemerid. Lit. Ital. Vol. XII. 11.) Guarinum patrem, Burmannus Guarinum filium esse voluit. In eo narratur Librum Catulli, a Francisco quodam scriptum, ex horrei tenebris Veronam delatum esse. Maffeius (in libro Verona Illustrata Vol. II. p. 7.), ad decimum usque sæculum Catullum plane ignotum fuisse suis civibus, confirmat inedita quadam scriptione: 'In Verona aveasi Catullo fin del secol decimo, perchè io trovo in uno degl' inediti sermoni, che ho presso me di Raterio, venuto d' oltra monti a questo Vescovado, com egli lesse, qui Catullo, non avendol letto per l' avanti; e trovo che l' avea alle mani nel decimo quarto secolo Gugielmo Pastrengo, amico del Petrarca, il quale nell' opera sua versi ne cita in due luoghi.'—Quis fuerit ille Francisci codex et an adhuc extet, nihilo magis affirmare possum quam alii. Maffeius (lib. I. p. 32.) de manuscriptis libris ita loquitur: 'Son tutti di poca eta, e i piu vecchi non paiono oltrepassar di molto la meta del decimo quinto secolo.' Catulli vero librum, in Gallia repertum, malas in manus venisse, id est, quod omnes fere commentariorum antiquiorum auctores monuerunt ac questi sunt.

Sub sæculi XV. exitum, typis excudi curarunt Catulli Carmina una cum Tibulli et Propertii Elegiis. Primum prodierunt Venet. 1472. (Maffeius annum 1471. allegat.) Ex quonam vero codice hæc editio descripta sit, nondum potuit comperiri, cum neque Broukhusio ad Tibullum, neque Burmanno ad Propertium emendandum eo uti liceret. Cf. Santen. ad Carm. LXVIII. 49. Venetæ secundæ anni 1475. lectionem præbuit codex Palmerii, ut Maffeius refert lib. I.; editio vero Rhegiensis vel ad exemplar princ. expressa, vel ex alio codice descripta videtur; nam pluribus

in locis lectionem exhibet a vulgata longe diversam. cf. Carm. LXVIII. 46. Tandem anno 1481. JOANNES CALPHURNIUS primus omnium majorem habuit curam Catulli, ejusque Carmina Vicentiæ edidit. Venetam primam vel secundam iterum excudi curavit; sed eam, ut videtur, ipse bonis codicibus usus, (cf. Santen. ad Carm. LXVIII. 43.) multis in locis correxit (cf. lect. Carm. XXX. et LXIII. cum cod. Dresd.). In præfatione ad Hermolaum ita scribit: ‘Cum percurrere cœpissem id opus, quod Venetiis impressum est,—tot mendis refertum esse deprehendi, ut longe plura essent vitiosa et depravata, quam quæ emendata. Nullus certe sensus ex his elici poterat. Confestim conveni nonnullos impressores et eos cohortatus sum, ut iterum id opus imprimerent ea correctione quam pollicitus sum. Possum igitur gloriari me non id emendasse, sed vere totum exscripsisse.’ Equidem totum hunc locum apposui, quoniam valde memorabilis est. Calphurnium secutus est PARTHENIUS, primus Catulli Interpres, qui Brixiensem anni 1486. curavit, et non parum de Poëta nostro promeritus est, quanquam ipse suam editionem festinatam appellat. In præfatione loquitur de iis, qui enarrationes discipulis dictatas inique interciperent, sed nihil magis queritur, quam id, quod Catulli Liber, quo nullus omnium et in Græcis et in Latinis magis corruptus et mutilatus, a viris doctis obscuritati relictus fuerit. Commentarius pro temporis ratione satis doctus multa continet, quæ ad restituendam lectionem genuinam maxime considerari debent; nam auctor ante oculos habuit codices, e quibus pluribus in locis restituit, nisi semper optimam, tamen non plane improbabilem lectionem. Conjecturæ vero a Parthenio factæ postea in Venetas receptæ et a pluribus criticis pro Catullianis habitæ sunt.

Secundus Poëtæ Interpres fuit PALLADIUS FUSCUS, cujus commentarium edidit Jo. Tacuinus, nescio utrum primum in edit. Venet. 1500. an antea seorsim. Opus est admiratione et cura dignissimum, cujus altera pars, quæ ad crisin pertinet, multo præstat alteri, in qua verba expli-

cantur. Nam non solum emendationes exhibet partim ingeniosas, sed etiam codicum lectionem: Palladius enim usus est decem codicibus (vide eum ad Carm. XXXIV. 3.). Tamen, quod valde miror, recentiores editores commentarium illum plane neglexerunt, immo ne dignum quidem cognitione existimarunt. Veneta autem anni 1500. ex Venett. 1486. 1491. 1493. descripta, ultima est ex editionibus iis, quæ, præter codices, auctoritatem, pro sua conditione majorem vel minorem, habent in recipienda vel repudianda Carminum lectione. At quo diligentius commentariorum, quos commemoravi, auctores rem suam tractaverant, eo levius administrarunt alii, qui exinde Catulli editiones pararunt. Talis vir erat HIERONYMUS AVANTIUS, non mediocris ingenii, sed audax et nimis levis, Parthenii discipulus, et, ut arbitror, unus eorum, a quibus Parthenius dicit enarrationes suas inique interceptas esse. Ipse vero Avantius fatetur, se per triennium sub Parthenio in hæc studia incubuisse. Conscripsit emendationes in Catulli Carmina, a. 1494. editas a Moravio, repetitas in edit. Venet. 1500. quas tamen non omnes sibi debuit auctor, sed partim Palladio (qui 1483. mortuus est), partim aliis surripuisse videtur. Quod si sex vel septem locos excipias, reliquos omnes ex ingenio emendavit; in illis paucis codicis antiquioris mentionem facit; in his conjecturas suas notat signo l. vel verbis ‘quid si legeres.’ Haud mirum mihi videtur conjecturas partim ineptas, partim non necessarias ab Avantio excogitatas esse; sed miserandum, eas ab editoribus, iisque recentioribus, tanquam codicis lectiones receptas vel probatas esse. Et ita factum est; nam Aldinam editionem primam codicis instar allegare solent. Hæc vero editio, nescio cujus cura, sed suspicor Aldi et Avantii, Venetiis 1502. edita, fundum habet in editionibus antiquis collatis (non in sola editione anni 1500. ut Heynius dixit); at in eam receptæ sunt interpolationes et correctiones Avantii, Joviani Pontani, et aliorum, maximam partem asteriscis notatæ. Codicem adhibitum esse, nullo loco potui intelligere; nec cognovi, quod Heynius de Tibullo

affirmavit, Aldinam secundam prorsus novam esse recensionem. Ipsa quoque continet interpolationes, (ut Pontani Carm. I. 9. aliorumque Carm. XXXVI. 3.) et textum prioris Aldinæ; vide Carm. XVII. 3. XIV. XX. Aldinas vero editiones, quæ non magnam habent auctoritatem, viri docti recentioris ævi in pluribus secuti sunt, alii auctoritatis specie decepti, alii nulla dubitatione commoti; unde maxima, opinor, negligentia exemplarium nata. Ut difficultatis explicationem evitarent, editores sæpe correctorum nugas recipere maluerunt, quam codices consulere, et investiganda vera lectione sudare. Non ignoro merita virorum doctorum de quibusdam Catulli locis; immo, si plures critici tales, quales eruditione Muretus, assidua diligentia Statius fuit, Catullum curassent, nos, puto, jamdudum legeremus Carmina emendata ac correcta; nec me fugit, varietatem lectionis e codicibus bonæ notæ allatam apud Muretum, Scaligerum, Statium, Vossium et alios inveniri; tamen si editores collegissent omnes illas lectiones, una cum iis, quas Columna, Fruterius, aliique commemorant, neque in verba magistri jurassent, plurima essent sanata atque ad sinceritatem suam reducta. At non ita illis placuit. Ex quo enim Scaliger Muretum laude, qua dignus erat, summa fraudare sustinuerat, et, sibi suoque ingenio confidens, Statii commentarios inspicere non operæ pretium putaverat, alii qui eum sequebantur, spem Catulli aliquando restituendi omnem amiserunt. Atqui ACHILLES STATIUS, quem præ nonnullis recentiorum admirari soleo, commentarium scripsit ex omnibus longe præstantissimum, et ob doctrinam atque eruditionem, qua plurimos locos vel carminibus aliorum collatis vel dicendi usu demonstrato illustravit, et maxime ob varietatem lectionis diligenter annotatam e decem codicibus. Textum quod attinet, Statius Aldinam, quam sæpissime commemorat, (vide Carm. XXXIV. 3. LXI. 23. all. ll.) non peræque ut poterat correxit, nonnullis tamen in locis codicum lectionem revocavit, et plurima aliorum curis reliquit. Ipse de se ita, 'In optimis,' ait (p. 232.), 'emendandis auctoribus sine veterum subsidio

librorum mihi quidem non licet esse tam diserto (ut verba mutem), nec si liceat, libet.' Causam, quapropter Mureti mentio nusquam ab eo facta est, equidem non intellexi; Palladii quoque commentarium non videtur in Statii notitiam venisse. Jam vero lucem obortam alii tenebris suis obscurare cœperunt. SCALIGER enim, qui, nisi nimis ingenio suo indulsisset, pro hujus præstantia, plurimum proficere potuisset, invidia incensus, omnia, quæ Muretus vel codicis optimi auxilio, vel suo ex ingenio emendaverat et illustraverat, omnino repudiavit, una cum Statii commentario (quanquam utriusque libros ante oculos habuisse videtur; vide eum ad Carm. LXVIII. 6.); immo in lectione Aldinæ servanda sæpissime acquievit, et præter eos locos, in quibus codicem Cujacii sequebatur, Poëtam novis sordibus conspurcavit. Ille non fuit, qui Catullum lepidum ac venustum Poëtam emendaret; a gravitate et morositate ejus lepor et simplicitas Catulli plane abhorruerunt. Nec opus est exemplis confirmem, quam insulsæ sint plurimæ Scaligeri correctiones, quam male abutatur doctrinæ suæ copia, et quam inepte codicis vitia sæpe defendat. At meliora non facile potuit dare pro spatio temporis, quo commentarium suum conscripsit. Nam Deum testem advocans affirmat, ne integrum quidem mensem tribus Poëtis, Catullo, Tibullo, et Propertio, recensendis se impendisse. Equidem non negaverim, a Scaligero codicis lectionem sæpe revocatam esse; sed, quæ ille emendando Catullo perfecit, alius quisque, puto, neque auxilio codicum nec sano judicio, quo interpolatorum nugæ dissipari debebant, prorsus destitutus, perfecisset. Recensionem autem, festinata opera Scaligeri factam et ex vitiosis ac importunis lectionibus Aldinæ primæ collectam, plerique præstantissimam putarunt, et in suas editiones recipere nullo pacto dubitarunt; quo factum est, ut ad nostra usque tempora textus perveniret interpolationibus cujusvis generis refertus, correctionibus ineptis contaminatus, nec firmo certoque fundamento nixus. Nec aliorum studiis Catullus, quem Scaliger nimis audacter oppressit, erectus ac restitutus

videri potest. Nam editiones, quas Vossius et Vulpius paraverunt, non putaverim novæ recensionis nomine dignas. Vossius, quanquam optimos codices ad manus habebat, cum quosdam locos optime atque ingeniose emendaverit, tamen tanta audacia in ea re versatus est, et conjecturas tam ineptas adeoque obscœnas recepit, ut Catullus sæpe sibi redderetur plane dissimilis. Qua vero editio ejus aliis præstat, variarum lectionum annotationi vereor, ut omnino fides sit habenda, cum nomine veterum librorum sæpe designentur editiones antiquæ. Omnino si de emendationibus et illustratione singulorum quorundam locorum dicere voluissem, præter Vossium commemoranda mihi essent nomina multorum, qui de iis bene meriti sunt, doctorum virorum. At loquor de integra, quam editores professi sunt, recensione textus; et mihi persuasum habeo, criticos munus suum, quod industriam ac diligentiam requirit, non nisi obiter et perfunctorie executos esse. Alii enim hæc tralaticia officia existimabant; alii Poëtam nube annotationum, quibus res et verba sententiarum nexui erepta illustrarentur, involvebant; alii, in constituenda Carminum lectione nimis securi, nec metri rationem respicientes, utrum ita Catullus dixisset vel dicere potuisset, necne, plane non quærebant. De recentissima Catulli editione non feram sententiam, ne ego juvenis ea, quæ mihi de hoc opere dicenda essent, in virum, qui ipse juvenis illum edidit, doctissimum et munere suo gravissimum dixisse videar. Nec ea, quæ dixi, eo animo disputata sunt, ut virorum doctorum meritis in Catullum aliquid detraherem; sed præmittenda videbantur, ut appareret, quantum superesset in Poëta nostro emendandum ac restituendum.

Editori enim Catulli futuro campus lato limite patet. Assiduum studium, magna cura, rerum antiquarum scientia, sermonis Auctori proprii et metricæ rationis cognitio, hæc sunt, quæ ad hoc opus perficiendum requiruntur. Quod ad res, quas Catullus enarrat, illustrandas pertinet, eæ sunt maximam partem satis explicatæ, quod quidem facillimum erat. A sententiarum vero recta expositione Interpretes

sæpius aberrarunt. Nam in Catullo explicando non sufficit profunda eruditio ac doctrina; Interpres esse debet ingenio, quale Poëtæ nostro erat, venusto et lepido. Plurima reperiuntur in ejus Carminibus, quæ magis sensus significatione, quam rationis investigatione probari possunt; quæ tamen non parvi momenti sunt, cum venustatem Carminibus vel detrahant, vel restituant. Sed hæc amplius persequi, non mihi proposui.

Ad sententiarum illustrationem ne prius te accinxeris, quam genuinam Carminum conditionem restitueris, ac verba Auctori vindicaveris. Officium igitur gravissimum Editoris positum erit in diligenti et accurata comparatione codicum manu scriptorum. Ac mirum, ne dicam miserabile, videtur, quod a recentioribus Editoribus ne ea quidem, quæ in superioris sæculi libris leguntur, observata et collecta sunt. Qua tamen opera magis subvenissent laboranti textui, quam explicationum ad verba corrupta adjectarum farragine. Interpretatio enim criticæ artis auxilio destituta, ideoque incerta et vana, non potest difficultates tollere. Adhuc accurate colligenda est lectionis varietas e codicibus Palladii, Guarini (cujus editio an. 1521. pluribus ignota), Mureti, Scaligeri, Vossii (inter quos eminet liber Commelin.), Columnæ, Meleagri (Balthas. Venatoris), Fruterii, et aliorum, præter eos codices, qui, a viris doctis nondum descripti, in bibliothecis extant. Atque antiquissimæ quoque editiones huc pertinere, non opus est ut pluribus demonstrem.

Editorem Catulli porro oportet, fragmenta et verba Poëtæ, quæ apud Grammaticos leguntur, et quorum numerus non parvus est, congerere. Grammaticorum enim auctoritate, sæpe codicum omnium graviori, plura loca restitui vel defendi possunt. Id quod Editores recentiores plane neglexerunt. Lectionem defendere debebant e. g. Carm. LXIII. 38. e Festo LXVI. p. 419. Dac.; quærere utrum Carm. I. 2. ex auctoritate Marii Victorini (p. 204. Commelin.) et Terentiani Mauri (de Metris p. 2440. l. 24. Putsch.) legendum sit *arido*, an secundum Servii (ad Æn. XII.) et Fortunatiani

(p. 2676. Putsch.) testimonium *arida;* illustrare debebant e. gr. Carm. XCVII. 6. e Festi loco XIV. p. 353. Dac. et Carm. IV. 26. 27., genuinam lectionem firmare teste Charisio (Instit. Gram. III. p. 223. 1. 41. Putsch.), et sic alia.

Deinde Metrorum, quibus usus est Catullus, Numerorumque ratio non satis accurate habita est ab Editoribus, et quæstiones huc spectantes in pluribus locis inepte institutæ. Inde vero patet, qui factum sit, ut versus non pauci adhuc legantur vel omni metri mensura expertes, vel nomine tantæ licentiæ excusati, cujus culpam nemo Latinorum Poëtarum contraxerit. Habet Noster quædam propria; ne tamen existima, negligenter eum conscripsisse plurima Carmina. Quæ apud alios negligentiæ nomine alias ob causas suspecta sunt, apud Nostrum sunt a voluntate profecta, nec a Poëta inconsiderato commissa. Severioribus, ni totus fallor, metricis legibus semper se astrinxit, et exempla Græcorum ita imitatus est, ut ex iis reciperet etiam licentias, quæ non ad seriorum Poëtarum Carmina exigi debent. Versus suos non conformavit ad leges, quas Poëtæ postea, cum ars jam perfectior facta esset, secuti sunt; attamen versibus non deest elegantia, quod adeo ex iis rebus, quæ minutiæ videntur, intelligitur. Ut pauca afferam, Græca exempla secutus, nusquam duritiem admittit, qua syllaba brevis ante literas ST alius verbi ponatur. Elisionem in Pentametri cæsura, et in fine vocabula trium syllabarum ponere solet, utrumque auctoritate Græcorum, qua multa hujus generis apud Catullum excusari possunt. Quantum vero relictum sit studio ac curæ sospitatoris, Catullo aliquando subventuri, ut etiam ad rhythmorum proprietatem revocetur Poëta, id facile cognosci potest ex horrendis lectionibus, quæ in pluribus Carminibus adhuc offendunt aures, ut Scaligeri *assulitantis* Carm. XVII. 3. *mehercule* Carm. XXXVIII. 2. *Anne sana illa* Carm. XLI. 1. LXIV. 178. et aliæ. Vide Ahlwardt Attis des Cat. ad vs. 35. et al.

Imitandorum Græcorum studium Catullo cum omnibus fere Latinis Poëtis erat commune. Sunt Carmina, quæ ad

verbum e Græcis traducta esse, ipse fatetur Poëta Carm. LXVI. (cf. Carm. CXVI. et LI.); sunt alia in quibus Poëtam, nisi Græcorum verba ac sententias expresserit, ita versatum fuisse argumenti ratio ostendit, ut coloribus alienis sua infecisse videatur. Quod tamen Catullus fecit ex more, quo omnes Romani scriptores Græcos habebant magistros, et ad Græca ingenia se prorsus componebant; quanquam Nostro non deerant, quæ ad inventionem pertinent, ingenii vis ac celeritas. Liberior vero imitatio vereor ut pluribus in locis unquam demonstrari possit, cum Carmina, e quibus Noster multa decerpsisse videtur, præcipue comicorum antiquorum, temporis invidia perierint. De singulis sententiis quæstio est difficilior; quod non sensisse videntur Interpretes, facillime eo deducti, ut, quemadmodum apud Propertium, ita etiam apud Catullum comparatione similium sententiarum abuterentur, et Poëtam ingenio suo nil debere putarent. Ac non solum Græcos imitatus est Catullus, sed etiam antiquiores Latinos Poëtas, et ad horum exempla suam dicendi rationem conformavit. Si integros haberemus Ennii, Lucilii, Nævii, aliorumque libros, certior esset res; nunc vero e fragmentis pauca tantum probari possunt. Interpretes vero hæc parum observarunt, et multa, quæ ex Græcorum et Latinorum imitatione explicari debebant, omiserunt. Ut paucis exemplis utar, Carm. LXVII. 6. defendi debet lectio, *Postquam est porrecto facta marita sene;* ubi antiquæ editiones Vicent. Brix. Venett. exhibent *projecto*, quod Parthenius explicat 'excluso Balbo.' In codd. Statii et membr. Commelin. optime legitur *porrecto*. Ac ita locutus est e Græcorum more. Hom. Il. XVIII. 26. *Αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς Κεῖτο.* Cum Carmine V. comparandum est id, quod apud Athenæum VIII. 14. p. 239. Schweigh. extat. *Πῖνε καὶ παῖζε, θνητὸς ὁ βίος, κ. τ. λ.* Carm. LXVIII. vs. 18. cum Sapphus fragmento XII. et sic alia. Cf. Rhunkenii Præf. ad Hymn. in Cerer. p. XII. sq. Ad antiquos Poëtas Latinos inter alia multa hæc spectant. Carmine LXXIII. exprimere volebat Ennii apud Cic. de Offic. II. 18. 'Benefacta male locata, malefacta arbitror;' vel hoc anti-

qui Poëtæ, 'Beneficia in vulgus cum largiri institueris, Perdenda sunt multa, ut semel ponas bene.' Carm. LXIV. 106. recipi debebat lectio codicum duorum, quos Columna consuluit, et excerpt. Vatican. Ursini, *Conigeram nutanti vertice pinum*, firmata auctoritate Ennii, qui, apud Gellium (XIII. 20.) et Nonium s. v. 'Cupressus,' ita; 'Capitibu' nutantes pinos rectosque cupressos;' quocum iterum conferendus est vs. 290.—Versus 189—191. illustrantur Accii verbis apud Non. de Var. Sign. Serm. p. 307. (in Epinausimach.) 'Tamen haud fatiscar, quin tuam implorem fidem.'—Carm. LXXVI. v. 20. comparari debet cum Lucilii fragmento apud Nonium s. v. 'Catax.'

At Interpretem Catulli non solum demonstrare oportet, quid ipse suo ingenio debuerit Poëta, quidve aliis, sed etiam ad consilium Auctoris diligenter attendere, et cujusvis Carminis indolem atque ingenium perscrutari, ut accurate cognoscat, quousque argumentum ejus pateat. Nam satis constat, in codicibus Carmina legi ita consuta, ut singulis aliena admisceantur, nec partes ullo sensus vinculo inter se conjungantur. Neque ordo, quo se excipiunt Carmina, a Poëta profectus est. Plura fragmenta, quæ in Grammaticorum libris allegata deprehendebant, librarii Carminibus integris ascripserunt vel ob sententiarum similitudinem, vel ob verborum repetitionem. Vide Carm. XIV. 27. sq. XVI. 14. L. Ac quamvis pristina forma Carminum ea ratione corruptorum non nisi conjectura erui possit, critici tamen est, indicia facere singularum partium. Quod si Catulli Interpres conjectandi necessitate non abusus fuerit, aliquando puto fore, ut plures tollantur difficultates, et Carmina propius genuinam suam proprietatem reducantur. Nec de omnibus locis, quos codicum auxilio expedire nondum licuit, desperaverim; immo credibile est, aliquando libros nostris antiquiores et scribarum erroribus minus depravatos repertum iri.

Varietate lectionis, quam viri docti hucusque e codicibus attulerunt, diligenter explorata, non dubitamus, quin conditio, qua ad nos pervenit Catullus, uni debeatur codici, ex

quo alii multi fluxerint, et vitia plurima antiquiora sint codicibus, qui adhuc in notitiam nostram venerint. Vide infra ad Carm. LXVIII. 133. XXI. cf. Carm. LXVIII. 137. LV. 21. Carmina Catulli hominibus, qui post eum vivebant, in deliciis erant (ut vel ex æmulatione Propertii, Virgilii, Petronii, et aliorum intelligi potest. Vide Statium ad Carm. LXVIII. 151.), atque assidue legebantur, cum ob argumenti venustatem, tum propter lepidam Poëtæ lasciviam, qua sæculum illud mirifice delectabatur. Exemplis sat multis hæc probari possunt. At, quod in his rebus fieri solet, non diu abfuerunt interpolationes vel ex imitatione, vel, cum lectores verba Poëtæ amplius persequerentur, ex illustrandi arte ac supplendi libidine ortæ. Quæ cum ita sint, equidem vereor, ne nonnulla Carmina tota ab aliis Poëtis composita et ob simile argumentum Catullianis inserta sint, quod effici potuit eadem ratione, qua ordo Carminum ita constitutus est, ut non modo eædem sententiæ in vicinis occurrant, vel res similes exponantur, sed vel sola quorundam verborum similitudo spectetur. Sic, ut rem exemplis probem, Carm. XCVII. sequitur XCVIII. ob verba 'crepidas lingere carbatinas' et 'culum lingere carnificis;' sic Carm. LXXVI. excipit LXXVII. ob verba 'eripere' et 'pestem.' Vide Carm. XXIV. et sic alia. Sicuti vero interpolationis genus, quod in Catullo reperimus, aliud est atque in antiquissimis Græcis Poëtis, ita via, quæ ad illud explorandum ducit, magis expedita et solida est, nec facile potest ad temerariam emendandi rationem aberrare. Non ignoti sunt illi homines, qui vel sua vel aliunde petita Catulli Carminibus addiderunt. Pertinent vero cum ad antiquius, tum ad recentius ævum, quamvis in pluribus locis non accurate internosci possint. Inter illos retulerim Grammaticos, qui vel mutabant singula verba, vel versus novos adjiciebant suo ex ingenio; inter hos, homines sæculi XIV. et XV., qui in similibus aliorum sententiis deducendis et ad marginem ascribendis maxime laborabant, et monachi, qui ut aliorum, ita etiam Catulli Carminibus, quæ rem amatoriam tractant,

annotationes, maximam partem libidinosas, addere solebant; unde sæpe mirabilis lectionis varietas. Quod si ad editiones quoque respicias, tertio ordine commemorari possunt recentissimi interpolatores, ut erant Jov. Pontanus, Avantius, et alii.

Catulli codices jam antiquioribus temporibus corruptos et a Grammaticis mutatos esse, luculenter apparet e loco Gellii, qui VII. Noct. Att. 20. ita: 'Catullus quoque elegantissimus Poëtarum in hisce versibus (Carm. XXVII. 1. sq.) *Minister—ut lex Posth. jubet magistræ ebriosa acina ebriosioris*, cum dicere *ebrioso* posset, &c. Qui *ebrios* autem Catullum dixisse putant, aut *ebriosos*, (nam id quoque temere scriptum invenitur,) in libros scilicet de corruptis exemplaribus factos inciderunt.' Ad eos vero, qui postea Poëtas Latinos interpolabant, referri debet Seneca, cujus nomen ascriptum est in Dresdensi codice, de quo infra dicam, ad Tibull. I. 2. 26. II. 3. 17. et 74. Etiam Catullum ab eo interpolatum esse, Vossius ad Carm. LXVII. p. 284. e Mediolanensi exemplari demonstravit, ubi ascriptum legebatur 'Seneca supplevit.' Quis autem fuerit ille homo, nec Vossius, nec Heynius (Præf. ad Tibull. p. 28.) compertum habebat. Præterea Vossius librum manu scriptum Æneidis vidisse se dicit, in quo Seneca priorum quatuor versuum, qui Æneidi præmittuntur, auctor nominabatur, et Lucani codices, in quibus septem primos versus addidisse dicebatur 'Seneca, ut quidam volunt, avunculus Lucani.' Quisquis ille fuerit, vel Florus cognomine Senecæ vocatus, vel alius, ad id genus interpolatorum pertinet, qui serioribus temporibus versus integros inserere, vel ex aliis locis deducere solebant. Catulli vero Carmina ampliorem occasionem præbebant interpolationi, quam aliorum omnia, et quidem ob argumenti varietatem. Grammaticos secuti sunt homines sæculi XIV. et XV., quorum operæ nos debemus codices. Interpolationes plures ab his profectæ sunt, ut ante me copiose et egregie probavit (loco Carm. LXVI. vs. 33. et 34.) Maffeius in Verona Illustrata, T. II. nec opus est multa addi.

Hujus quoque generis exemplum exhibet cod. Voss. Carm. LXXVI. vs. 21. Ac quem fugiat, monachos libidini suæ indulgentes, cum in viis publicis iis non liceret, grassatos esse in veterum libris, tum in Græcis (ut Mosch. II. ult. vs.), tum in Latinis (ut lectio codd. Tibull. IV. 2. 24. correcta)? Catullum etiam conspurcarunt salacia illa ingenia, quibus Poëtæ luxuries et lascivia vehementer placebant.

C. VALERII CATULLI

VITA,

EX EDITIONE VULPIANA.

VALERIO CATULLO *Quinti* prænomen tribuit Josephus Scaliger, corruptissimi loci auctoritate fretus, ex Elegia ad Januam, vs. 12: testatus præterea, se in antiquo libro Jacobi Cujacii J. C. ita scriptum manifesto comperisse. Huic Scaligeri persuasioni pondus addit Joannes Harduinus, qui (ad Librum XXXVII. Nat. Historiæ C. Plinii Secundi cap. 6.) affirmat, in omnibus codicibus manu exaratis Catullum *Quintum* appellari. Consensus tamen eruditorum, atque editiones pæne omnes refragantur: quibus olim præiverat L. Apuleius Madaurensis, cum in Apologia priore carminum quorundam suorum lasciviam *Caii* Catulli nobilissimo exemplo defendit. Et certe librarii veteres, nominum similitudine decepti, Catulum Poëtam cum Catullo sæpe confundunt: idcirco factum existimo, ut cum illi *Quintus* prænomen fuerit, huic etiam idem affingerent.[1] Veronensem

NOTÆ

1 Alius certe *Quintus Catullus* fuit, cujus integrum nomen *Quintus Lucatius Lucullus*, urbanus sive urbicarius, hoc est, mimographus, de quo videndus Scholiastes ad Juvenal. VIII. 185. ad verba 'Clamosum ageres ut Phasma Catulli;' et ad XIII. 109.—Q. Catulli Epigramma e Callimachi Epigr. XLIII. suaviter expressum refert Gellius XIX. 9. quod incipit, 'Aufugit mi animus, credo, ut solet, ad Theotinum.' Omitto *Cinnam Catulum*, Sto-

porro fuisse nostrum Poëtam, liquido constat, cum ex Ovidio, Plinio Majore, Martiale, Ausonio, ceterisque, tum ex ipsius testimonio, qui Carm. XXXI. ubi, e Bithynia reversus, Sirmionem lacus Benaci Peninsulam alloquitur, ad Larem domesticum salvum se advenisse gaudet. Natus est (si Hieronymus rationem recte subduxit, neque numeri in ejus Chronico depravati sunt) Olympiadis 173. anno 2., ab Urbe vero condita 667. Lucio Corn. Cinna, Cn. Octavio Coss.—Quamobrem non injuria Lilius Gregorius Gyraldus Petrum Crinitum reprehendit, quod scribere non dubitaverit: 'pro comperto haberi, carmen de Passere Lesbiæ ad Virgilium missum fuisse, ob illud Martialis:[2] 'Sic forsan tener ausus est Catullus Magno mittere Passerem Maroni.'' Nam verisimile non est, Catullum septemdecim annis Marone grandiorem (natus est enim Maro, teste Hieronymo ac Donato, Olympiadis 177. anno 3., ab Urbe vero condita 684., Cn. Pompeio Magno, M. Licinio Crasso primum Coss.) eidem adhuc puero tantum detulisse, et nonnisi fronte perfricta, animoque obfirmato, ad ejus tribunal accedere posset. Præterea τὸ *forsan*, quod est apud Martialem, argumenti vim omnino infringit.[3]

Parentem habuit Valerium, ex honesta familia munici-

NOTÆ

icum, quem audivit M. Antoninus imperator, teste Capitolino in Marci vita c. 3. Nam et hujus verum nomen *Catullus* erat, ut constat ex M. Antonini lib. I. sect. 13. Accedit ille, ad quem Martialis XII. 74. 'Hæredem tibi me, Catulle, dicis: Non credam, nisi legero, Catulle.' (Ex ed. Bipont. p. 13.)

[2] Lib. IV. epigr. 14.

[3] Quod Martialis scripsit, *Sic forsan, &c.* hoc non ita potest intelligi, ac si revera ad Virgilium carmina sua, vel carmen de Passere, miserit Catullus; nam alioqui non dixisset Martialis, *sic forsan:* sed quod Martialis sua voluerit Epigrammata cum Catullianis, et Silium, ad quem scribit, comparare cum Marone; licet accurate loquendo non jam ita claruerit Virgilius, cum Catullus scriberet, ut ad eum misisse carmina sua credi possit. Sed quantacumque etiam deinde fuit Virgilii fama, non dubitasset forte Catullus, si tum vixisset, Passerem suum illi jocosque mittere. Ita Martialis quoque Epigrammata sua ait se offerre Silio. Jo. Isaaci Pontani autem et Boxhornii (Quæst. Rom. c. 35.) hallucinatio tribuenda calami festinationi, Catullum Martiali juniorem facientium. (Ex edit. Bipont. p. 14.)

pali, cujus nimirum hospitio, si Tranquillum audimus,[4] C. Julius Cæsar uti solitus fuerit. Non amplissimam quidem pecuniam possedit, utpote qui *sacculum suum aranearum plenum*[5] ingenue fateatur, Furiumque et Aurelium inter principes amicorum observaverit: quorum alteri *nec servus, nec arca, nec cimex erat*:[6] alterum *esuritionum patrem*[7] ipse festive appellat. Cumque divitum Romanorum familia maxima esset, neminem habuit Catullus, 'Fractum qui veteris pedem grabati In collo sibi collocare posset.'[8] Patrimonio tamen satis lauto fuisse videtur, quod hominem eo loco natum deceret. Nam et Romæ, in urbe sumtuosa, diutius commoratus est, ibique amoribus operam dedit, ac fundum in agro Tiburtino possedit: navi sua in Pontum navigavit, ac se *Sirmionis herum*[9] appellare non veretur; quæ omnia profecto sunt hominis locupletis, et cui familiares copiæ non desint. Quod tamen genio indulgeret, convivia pararet, puellas a lenone redimeret,[10] nobilium amicitiis floreret, propterea difficultate nummaria sæpius erat, villasque suas pignori opponebat. Hanc vero potissimum causam fuisse crediderim, quare cum Jurisconsultis et Oratoribus, puta cum Alpheno Varo, Licinio Calvo, Tullio Cicerone assidue versaretur; homo scilicet ære alieno obstrictus, et forensibus negotiis distentus. Lucellum itaque alicunde corrasurus, Memmium Prætorem in Bithyniam simul cum germano fratre secutus est, nullo tamen successu; idque ob Prætoris ejusdem nimiam cupiditatem, vel certe negligentiam. Immo vero cum in provinciam Troadem venisset, fratrem suum, quem æque ac se ipsum diligebat, immatura morte præreptum amisit. Hujus postea cineribus, ex Asia in Italiam revertens, maximo mœrore parentavit: ejusdem memoriam, ubicumque se obtulit occasio, mira pietate semper coluit. Navigatione demum absoluta,

NOTÆ

[4] In Julio c. 73.
[5] Carm. XIII.
[6] Carm. XXIII.
[7] Carm. XXI.
[8] Carm. X.
[9] Carm. XXXI.
[10] Carm. CIII.

phaselum, quo mare transmiserat, Castori et Polluci, habitis eo tempore navium servatoribus, illustri Carmine dedicavit.[11]

Postquam ex ephebis excessit, in castris amoris cœpit stipendia facere: inprimis autem Clodiam, præstanti mulierem forma, quam mutato nomine Lesbiam vocare consuevit; Ipsithillam quandam, Aufilenam Veronensem, et Juventium puerum deperiit. Amores quoque suos mollissimis versibus complexus, eo scribendi genere haud minorem consecutus est gloriam, quam sublimi vereque divino Æneidos poëmate vates Mantuanus. Amici ejus plurimi enumerantur: Cornelius Nepos, cui libellum suum muneri misit; Verannius et Fabullus; Furius et Aurelius; Licinius Calvus, Orator vehemens, et nobilis Poëta, quem prisci scriptores fere semper Catullo adjungunt; Alphenus Varus JC.; Cæcilius, qui de Matre Deorum poëma conscripserat; Manlius Torquatus, e gente patricia Romana, cujus nuptias elegantissima ode celebravit, et ad quem est illa epistola, quam tanti Muretus fecit; Cinna, Smyrnæ auctor; Cornificius, fortasse ille, cujus esse Rhetoricorum ad Herennium libros quatuor nonnulli putaverunt; Hortalus, Poëta mediocris; Cato, non ille Uticensis, morum severitate insignis, at literator quidam, cujus mentionem facit Suetonius in Libro de Illustribus Grammaticis c. 11; denique Cœlius, Veronensis. M. Tullium Ciceronem in causa forensi (quænam illa fuerit, ignoratur) videtur patronum adhibuisse, cui profecto ob acceptum beneficium venusto Epigrammate gratias agit. Quanquam igitur Asinium Pollionem diligeret, hominem Ciceroni tantopere infestum, a Tullio colendo non abstinuit: sed videlicet Asinius, mortuo demum Catullo et Cicerone ipso, adversus eximii Oratoris manes inimicitias exercuit: nam Catullo florente, ac Hendecasyllabos scribente, *puer*[12] adhuc erat. Iambicis et Phaleuciis versibus in pessimos quosque homines, nullo discrimine, invectus

NOTÆ

[11] Carm. IV.

[12] Carm. XII.

est: neque ipsi Cæsari, quantumvis rerum potito, pepercit, quin calami aciem in *sinistram* ejus *liberalitatem*,[13] atque alia vitia distringeret. Mamurram, Gellium, Vatinium, Vettium, Cominium, quos vehementer oderat, propriis nominibus per ora hominum traduxit, ac styli acerbitate confixit. Lusit præterea in Volusium, ineptum (ut ipse quidem existimabat) Annalium scriptorem: in rivalem Egnatium, malum Poëtam: in Suffenum, quem Cæsiis et Aquiniis literarum venenis annumerat: postremo, in Sextium, Oratorem, cujus frigidissima oratione molestam gravedinem se contraxisse per jocum affirmat.

Græcis literis non leviter imbutum fuisse, ex eo colligi potest, quod suavissimam Oden Poëtriæ Sapphus et Callimachi Elegiam de Coma Berenices, mundissimis carminibus Latine reddiderit: ob id etiam fortasse a Tibullo, Ovidio, Martiale 'doctus' appellatus. Et idcirco mirum videri debet, Julium Scaligerum, ea virum eruditione, quodque non minimum est, Veronensem, ideoque municipi suo saltem hoc nomine devinctum, hæc de Catullo monumentis mandavisse: 'Catullo *docti* nomen quare sit ab antiquis attributum, neque apud alios comperi, neque dum in mentem venit mihi; nihil enim non vulgare est in ejus libris.'[14] Quanquam postea mutato consilio, qui mos est homini, παλινῳδίαν canere cogatur, Galliambicum ejus Carmen 'divinum' autumans, et Poëma de Nuptiis Pelei ac Thetidos, verum aditum et gradum ad Æneidos divinitatem esse pronuntians. Nonne probabilius de *nugis* Poëtæ nostri Cornelius Nepos, vir gravissimus, judicium tulerat, cum eas *esse aliquid* putabat? Nonne benignius, et justius cum ipso egere Pompeius Saturnius ac Sentius Augurinus, quorum uterque, teste Plinio in Epistolis,[15] Catulliani carminis imitationem sibi gloriæ fore augurabantur? Sed hæc alias: nunc id, quod cœpimus, agamus. Quintilianus et Diomedes inter Poëtas

NOTÆ

13 Carm. XXIX.

14 In Hypercritico, seu lib. VI. Poëtices, c. 6.

15 Lib. I. epist. 16. lib. IV. epist. 27.

Iambicos Catullum reponunt. Ante Horatium profecto Iambicis versibus gloriam Catullus adeptus fuerat; ut falso scripserit Horat. Epist. I. 19. 'Parios ego primus Iambos Ostendi Latio.' Hieronymus Lyricis annumerat: reliqui, Epigrammatographis. Ego vero, si modo fas est meam sententiam aperire, variis potius adjungerem; nam certe in ejus poëmatis nonnulla excedunt Epigrammatis modum. Ambigitur jure a nonnullis, utrum hæc solum paucula, quæ hodie extant, ab illo scripta fuerint, an vero longe plura, quæ vetustas nobis inviderit.[16] Ansam ad dubitandum dat Plinius, qui de Incantamentis aliquid a Catullo exaratum innuit,[17] cujus ne vestigium quidem superest. Et Catullus ipse affirmat (Carm. LXVIII. vs. 17.) se satis multa lusisse: 'Jucundum cum ætas florida ver ageret, Multa satis lusi.'

Nisi Raphaëli Eglino Iconio Tigurino auscultare velimus,[18] qui Cirin, Poëma elegantissimum, Virgilio abjudi-

NOTÆ

[16] Dubitandum minime est, opus Catulli ad nos lacerum pervenisse. Longe enim plura scripsisse testes sunt veteres Grammatici, qui de ejus poëmatiis ea producunt, quæ hodie non extant. Itaque apud Virgilium, (Æn. v. 609.) 'per mille coloribus arcum,' ibi Servius: 'De iride arcum in genere masculino dixit. Virgilius, Catullus, et alii in fœminino, referentes ad originem.' Atqui tale nihil hodie in Catullianis.—Præterea ejus opus videtur in genera Carminum distincta fuisse, *Hendecasyllabos*, *Heroica*, *Lyrica*, *Elegiaca*. Itaque Charisius citat Catullum in *Hendecasyllabis*; quod sane non fecisset, nisi ita tributum fuisset Volumen.—Rursus apud Virgilium legimus 'Et quo te dicam carmine?'—Ibi Servius refert, Virgilium, cum sciret Rhæticum vinum summopere laudari a Catone, contra autem vituperari a Catullo, ne se in eam dissensionem interponet, hoc modo locutum: atqui in hodiernis Catullianis nulla nota ejus rei extat.—Denique Nonius ex Priapeo Catulli adducit 'de meo ligurire libido est.' Quare admodum mutilum opus Catullianum ad nos pervenisse minime dubium est. Quid præterea dicam, quæ citat ex Catullo Maurus Terentianus, quæ nusquam comparent. Hæc de carminibus Catulli deperditis Jos. Scaliger, quibus inepte quidam *Phasma* et *Laureolum* e Juvenale ac Tertulliano adjungunt. Vid. Sam. Petitum ad Leges Atticas p. 245. seqq. et Pamelium ad Tertullian. c. XIV. contra Valentinianos. *Phasma* Q. Lutatii Catulli, et *Laureolum* Nævii vel Laberii, neutrum vero Catulli esse, eruditis jam notatum.—Carmen Catulli de *Incantamentis* citat Plin. XXVIII. 2.: *Ithyphallica* memorat Terentianus Maurus. (Ex Fabric. Bibl. Lat. Tom. I. c. 5.)

[17] Lib. XXVIII. Nat. Hist. c. 2.

[18] In vindiciis Ciris Catullianæ adversus Jos. Scaligerum.

cans, Catullo attribuit propter styli similitudinem :[19] Catulli profecto esse videntur tria Carmina in Priapum, quæ doctis viris nonnullis post Carmen XVII. collocare placuit; non ita dissimili sunt oratione ac stylo. Quod e puris Iambis confectum est, Phaseli nitorem proxime attingit: et quædam in iis continentur, quorum imitatio in Eclogis Virgilianis apparet; Virgilius enim a Catullo plura sumsit; tum comparativus *ostreosior* (Carm. XVIII.) auctorem suum satis clamat; hujusmodi enim comparativis longioribus Catullus mirifice delectatur. Neque Terentiano Mauro, vetusto atque emunctæ naris Grammatico, repugnare ausim, qui testatur, Catullum plures versus eo Priapeio sive Antispastico metri genere composuisse. Decessit Poëta noster annos aliquot natus ultra quadraginta, ut adversus Eusebii Chronicôn ostendo ad ejus Carm. LII. et CXI.[20]

NOTÆ

[19] Præter rem omnino *Cirin* Catullo tribuit Eglinus, quem Catulli non raro imitatorem docet Leonhardus Friso libro tertio de Poëmate. Neque verius alii carmen *de Vere*, sive *Pervigilium Veneris* ad Catullum auctorem retulerunt; quorum sententiam confutat Lipsius libro I. Electorum c. 5. (Ex Fabric. Biblioth. Lat. Tom. I. c. 5.)

[20] Catullum quoque Cæsari superstitem fuisse contendit Jos. Scaliger ad Eusebii Num. MDCCCCLX. assentiente Is. Casaubono ad Suetonii Cæsarem c. 73. et Franc. Carpentarius in Carpentarianis, p. 432. sqq. ita ut per *Valerium* in Epistola Ciceronis ad Trebatium VII. 11. Catullus possit intelligi. (edit. Bipont. p. 14.) Cf. nos in argumento ad Carm. XXXIV.

NONNULLA

VETERUM SCRIPTORUM

DE

C. VALERIO CATULLO

TESTIMONIA

A VULPIO COLLECTA.

Cornelius Nepos in T. Pomp. Att. cap. 12.

IDEM L. Julium Calidium, quem post Lucretii Catullique mortem multo elegantissimum Poëtam nostram tulisse ætatem, vere videor posse contendere,....expedivit.

Horatius I. Sat. 10. 19.

Nil præter Calvum et doctus cantare Catullum.

Tibullus lib. III. Eleg. 6. 41.

Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus.

Propertius lib. II. Eleg. 25. 3.

Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve, tua venia; pace, Catulle, tua.

Idem lib. eod. Eleg. 34. 87.

Hæc quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
Lesbia quis ipsa notior est Helena.

Ovidius Amorum III. Eleg. 9. 61.

Obvius huic venias, hedera juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.

Idem libro eod. Eleg. 15. 7.

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

Idem Trist. II. vs. 427.

Sic sua lascivo cantata est sæpe Catullo
Fœmina, cui falsum Lesbia nomen erat.
Nec contentus ea, multos vulgavit amores,
In quibus ipse suum fassus adulterium est.

Velleius Paterc. Hist. Rom. lib. II. cap. 36.

Quis enim ignorat, diremtos gradibus ætatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium ...... auctoresque carminum Varronem ac Lucretium, neque ullo in suscepti operis sui carmine minorem Catullum?

M. Seneca Rhetor Controv. III. 19.

Erat enim (*Calvus*) parvulus statura; propter quod etiam Catullus in Hendecasyllabis[1] vocat illum 'salaputium disertum.'

L. Seneca Philosophus in Apocolocyntosi Claudii Cæsaris.

Nec mora, Cyllenius illum collo obtorto trahit ad Inferos: 'Illuc unde negant redire quemquam.'[2]

Plinius Major Præfatione Hist. Nat.

Namque tu solebas meas esse aliquid putare nugas, ut objicere moliar Catullum conterraneum meum: (agnoscis et hoc castrense verbum) ille enim, ut scis, permutatis pri-

NOTÆ

[1] Carm. LIII.

[2] Versus est Catull. Carm. III.

oribus setabis, duriusculum se fecit, quoniam volebat æstimari ea a Veraniolis suis et Fabullis.[3]

Idem lib. XXVIII. cap. 2.

Hinc Theocriti apud Græcos, Catulli apud nos, proximeque Virgilii, Incantamentorum amatoria imitatio.

Idem lib. XXXVI. cap. 6.

Hic namque est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus, quem, ut res est, domus ipsius clarius, quam Catullus, dixit habere, quicquid habuisset comata Gallia.[4]

Idem lib. eodem cap. 21.

Sed et ii pumices, qui sunt in usu corporum levigandorum fœminis, jam quidem et viris, atque, ut ait Catullus, libris.[5]

Idem lib. XXXVII. cap. 6.

Siquidem extat hodieque hujus generis gemma, propter quam ab Antonio proscriptus Nonius Senator est, filius Sturmæ Nonii ejus, quem Catullus Poëta in sella curuli visum indigne tulit.[6]

Plinius Junior lib. I. Epist. 16.

Facit versus (*Pompeius Saturninus*), quales Catullus meus, aut Calvus. Quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis inserit! Sane, sed data opera, molliusculos, leviusculosque, duriusculos quosdam: et hoc quasi Catullus meus, aut Calvus.

Idem lib. IV. Epist. 14. loquens de Hendecasyllabis.

Scimus alioqui, hujus opusculi illam esse verissimam legem, quam Catullus expressit: 'Nam castum esse decet pium poëtam Ipsum,' &c.[7]

NOTÆ

[3] Vide Carm. I. et XII.

[4] Carm. XXIX.

[5] Carm. I. et XXII.

[6] Carm. LII.

[7] Carm. XVI.

Sentius Augurinus ap. eund. lib. IV. Epist. 27.

Canto carmina versibus minutis,
His olim quibus et meus Catullus,
Et Calvus, veteresque.

Corn. Tacitus Annal. IV. cap. 34. in Oratione Crematii Cordi.

Carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Cæsarum leguntur.

Juvenalis Sat. VI. 7.

Haud similis tibi, Cynthia; nec tibi, cujus
Turbavit nitidos extinctus Passer ocellos.

Suetonius in Julio cap. 73.

Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita, non dissimulaverat, satisfacientem eadem die adhibuit cœnæ: hospitioque patris ejus, sicut consueverat, uti perseveravit.

Quintilianus Instit. Orat. lib. I. cap. 5.

Sicut Catullus ploxemum circa Padum invenit.[8]

Idem lib. eod. cap. 10. ubi de Aspirationibus.

Eripuit brevi tempore nimius usus, ut *choronæ, chenturiones, præchones* adhuc quibusdam inscriptionibus maneant; qua de re Catulli nobile Epigramma est.[9]

Idem lib. VI. cap. 3.

Et Catullus cum dicit:
'Nulla in tam magno est corpore mica salis,'[10]
non hoc dicit, nihil in corpore ejus esse ridiculum.

NOTÆ

[8] Carm. XCVI. [9] Carm. LXXXIII. [10] Carm. LXXXV.

Idem lib. x. cap. 1.

Iambus non sane a Romanis celebratus est, ut proprium opus: a quibusdam interpositus: cujus acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio.

Meminit præterea de Catullo Quintilianus lib. ix. cap. 3. et 4. item lib. xi. cap. 1. et 3.

Martialis lib. i. Epigr. Epistola ad Lectorem.

Lascivam verborum veritatem, id est, Epigrammaton linguam excusarem, si meum esset exemplum: sic scribit Catullus; sic Marsus, sic Pedo, sic Getulicus, sic quicumque perlegitur.

Idem lib. i. Epigr. 62.

Verona docti syllabas amat vatis.

Idem lib. ii. Epigr. 71.

Protinus aut Marsi recitas, aut scripta Catulli.

Idem lib. iv. Epigr. 14.

Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere Passerem Maroni.

Idem lib. v. Epigr. 5.

Sit locus et nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marsus, quaque Catullus erit.

Idem lib. vii. Epigr. 14.

Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ:
Amisit lusus, deliciasque suas.
Non quales teneri ploravit amica Catulli
Lesbia, nequitiis Passeris orba sui.

Idem lib. viii. Epigr. 73.

Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.

Idem lib. x. Epigr. 78.

Nec multos mihi præferas priores,
Uno sed tibi sim minor Catullo.

Idem lib. eod. Epigr. 103.

Nec sua plus debet tenui Verona Catullo.

Idem lib. xii. Epigr. 44.

Lesbia cum tenero te posset amare Catullo.

Idem lib. xiv. Epigr. 77. quod inscribitur Cavea Erobea.

Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hic habitare potest.

Idem lib. eodem, Epigr. 195.

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parva suo Mantua Virgilio.

Vide et Epigr. 152. ejusdem libri.

A. Gellius Noct. Attic. lib. vii. cap. 20.

Catullus quoque elegantissimus poëtarum.
Et infra eod. capite.

Idem lib. xix. cap. 9.

Ecquis nostrorum poëtarum tam fluentes carminum delicias fecisset? nisi Catullus, inquiunt, forte pauca, et Calvus itidem pauca.

Vide eundem lib. vi. cap. 16.

Ausonius Drepanio Pacato Latino.

'Cui dono lepidum novum libellum?'
Veronensis ait Poëta quondam,
Inventoque dedit statim Nepoti.

Macrobius lib. II. Saturnal. cap. 1.

Saturnalibus, optimo dierum, ut ait Veronensis poëta.[11]

L. Apuleius in Apologia.

Eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit.

Sidonius Apollinaris lib. II. Epistola 10. ad Hesperium.

Reminiscere quod sæpe versum complevit Lesbia cum Catullo.

Severinus Boëthius de Consol. Philosoph. lib. III. Prosa 4.

Num vis ea est magistratibus, ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant? Atqui non fugare, sed illustrare potius nequitiam solent; quo fit, ut indignemur, eos sæpe nequissimis hominibus contigisse: unde Catullus licet in curuli Nonium sedentem, strumam appellat.[12]

Diomedes Grammaticus lib. III. cap. 6. de Iambico.

Cujus carminis præcipui scriptores apud Græcos Archilochus, Hipponax, apud Romanos Lucilius, et Catullus, et Horatius, et Bibaculus.

Terentianus Maurus in Tractatu de Literis, Syllabis, Pedibus, et Metris, vs. 838. ubi de Phaleucio Hendecasyllabo.

Exemplis tribus hoc statim probatis,
Docti carmine quæ legis Catulli, &c.

Idem tractatu eodem vs. 1031.

'Hunc lucum tibi dedico, consecroque, Priape,'[13]
Et similes plures sic conscripsisse Catullum
Scimus.

NOTÆ

[11] Carm. XIV. [12] Carm. LII. [13] Carm. XVIII.

VULPII DIATRIBE

DE METRIS CATULLI.

VERSUUM genera, quibus in Epigrammatibus ceterisque Poëmatiis utitur CATULLUS, numero quatuordecim occurrunt.

I. Principem locum obtinet Phaleucius Hendecasyllabus, qui constat e spondæo, dactylo, ac tribus trochæis, hoc pacto:

Quoī dō | nō lĕpĭ | dūm nŏ | vūm lĭ | bēllŭm

In prima tamen sede apud antiquiores Poëtas trochæum vel iambum loco spondæi nonnunquam recepit, ut in sequentibus:

Ārĭ | dā mŏdŏ | pūmĭ | ce ēxpŏ | lītŭm
Mĕās | ēsse ălĭ | qūid pŭ | tārĕ | nūgăs

In altera Poëta noster Carm. LVII. 7. creticum sive amphimacrum semel usurpavit:

Ūnō în | lēctŭlō | ērŭ | dītŭ | li āmbŏ

Versus autem ille initio Carm. XL.

Quænam te mala mens, miselle Ravide,

hypermeter est, sive una syllaba redundans: quem hac ratione metimur, ut postrema syllaba per synalœphen elidatur a prima subsequentis, quæ incipit a vocali:

Qūænām | tē mălă | mēns mĭ | sēllĕ | Rāvĭ | de Āgīt.

Hoc primo genere versus utitur Catullus trecies novies, videlicet Carmm. I. II. III. V. VI. VII. IX. X. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XXI. XXIII. XXIV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXXII. XXXIII. XXXV. XXXVI. XXXVIII. XL. XLI. XLII. XLIII. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L. LIII. LIV. LVI. LVII. LVIII.

II. Sequitur secundo loco Iambicus trimeter, seu senarius,

acatalectus. Hic sex pedibus constat, qui omnes possunt esse iambi, ut:

Aĭt | fŭīs | sĕ nā | vĭŭm | cĕlĕr | rĭmŭs

Interdum vero in locis disparibus, puta in primo, tertio, quinto spondæus admittitur, pes iambo ἰσοσύλλαβος, etsi non ἰσόχρονος: nonnunquam etiam imparisyllabi, ut anapæstus ⏑ ⏑ –, dactylus, tribrachys ⏑ ⏑ ⏑. At in locis paribus, nempe secundo, quarto, ultimo, extra comœdiam, et fabulas Phædri Æsopias, comico fere stylo scriptas, præter iambum vel tribrachyn ceteri pedes vix recipiuntur. Exempla mixti Iambici:

Stēlla īn	cūrū	lī strū	mă Nō	nĭŭs	sĕdēt
Per con	sula	tum pe	je rat	Vati	nius

Hoc genere Catullus utitur quater, nimirum:

Carmm. IV. Phaselus ille, quem videtis, hospites.
XX. Ego hæc, ego arte fabricata rustica.
XXIX. Quis hoc potest videre, quis potest pati.

hæc porro tria Carmina constant ex Iambicis puris.

LII. Quid est, Catulle, quod moraris emori?

E mixtis hoc Iambicis est.

III. Succedit superioribus Choliambus, sive Scazon, in omnibus præcedenti conveniens, si duos ultimos pedes excipias; etenim ordine præpostero quintus pes semper est iambus, ultimus semper spondæus, ut:

Fūlsē | rĕ qūon | dām cān | dĭdī | tĭbī | sōlēs

Hoc genus a Catullo septies adhibetur:

Carmm. VIII. Miser Catulle, desinas ineptire.
XXII. Suffenus iste, Vare, quem probe nosti.
XXXI. Peninsularum, Sirmio, insularumque.
XXXVII. Salax taberna, vosque contubernales.
XXXIX. Egnatius, quod candidos habet dentes.
XLIV. O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs.
LIX. Bononienses Rufa Rufulum fellat.

IV. Quarti generis est Sapphicus Hendecasyllabus, qui constat e trochæo, spondæo, dactylo, et rursum duobus trochæis, ut:

Sīve ĭn | ēxtrē | mōs pĕnĕ | trābĭt | Indŏs

quanquam interdum Poëta noster altera in sede trochæum collocaverit. Exempla sunt:

Seū Să	cās să	gĭttĭfĕ	rōsquĕ	Pārthŏs
Pauca	nunti	ate me	æ pu	ellæ
Oti	um, Ca	tulle, ti	bi mo	lestum est

Illi autem versus abundant semipede, qui absorbetur a prima vocali subsequentis:

Nullum amans vere, sed identidem omnium.
Qui illius culpa cecidit, velut prati.

In eo autem non servatur synalœphe, sed hiatus relinquitur quarto loco:

Gāllĭ | cūm Rhē | num hōrrĭbĭ | lēsquĕ | ūltĭ

Hoc genere versus utitur Catullus bis, nimirum in duabus Odis, quarum utraque est dicolos tetrastrophos; constant enim ex duplici genere versuum, Sapphico et Adonio, singulæque earum strophæ quaternis versibus concluduntur:

Carmm. XI. Furi, et Aureli, comites Catulli.
LI. Ille mî par esse Deo videtur.

V. Quinti generis est Adonius, versiculus exiguus, qui constat dactylo et spondæo, ut:

Ilĭă | rūmpēns

Utitur eo Catullus bis, ut paulo ante diximus.

VI. Ad sextum genus pertinet Trochaicus Stesichorius, quem Antispasticum etiam vocant, Priapeium, et Angelicum: qui versus constat sex pedibus: choreo vel spondæo, dactylo, cretico – ◡ –, rarius dactylo, iterum choreo vel spondæo, iterum dactylo, postremum choreo, ut:

Et să | līrĕ pă | rātum hăbēs | sēd vĕ | rērĭs ĭn | ēptă
Qūendām | mūnĭcĭ | pēm mĕūm | dē tŭ | ō vŏlŏ | pōntĕ
Nūtrĭ | ō, măgĭs | ēt măgĭs | ūt bĕ | ātă qŭot | ānnĭs.
Prō quīs | ōmnĭa hŏ | nōrĭbŭs | haēc nĕc | ēssĕ Prĭ | āpŏ
In fōs | sā Lĭgŭ | rī jăcēt | sūppēr | nātă sĕ | cūrĭ
Tantun | dem omnia | sentiens | quam si | nulla sit | usquam
Quercus | arida | rustica | confor | mata se | curi
Alter | parva fe | rens manu | semper | munera | larga

utitur eo versu Catullus ter, nimirum:

Carmm. XVII. O Colonia, quæ cupis ponte ludere longo.
XVIII. Hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape:
XIX. Hunc ego, juvenes, locum, villulamque palustrem.

VII. Septimi generis est Iambicus tetrameter catalectus, qui constat septem pedibus, et cæsura in fine. Ad eum porro faciendum servantur omnia, quæ ad Iambicum trimetrum pertinent. Exemplum sit:

Rĕmīt | tĕ pāl | lĭūm | mĭhī | mĕūm | quŏd īn | vŏlās | tĭ

In illo versu est amphibrachys ◡ – ◡ secundo loco, anapæstus tertio:

Cūm dē | vĭā mŭ | lĭĕr ā | lĭtēs | ōstēn | dĭt ōs | cĭtān | tĕs

in illo autem spondæus loco septimo:

Invī | să tūr | pĭtēr | tĭbī | flăgēl | lă cōn | scrībīl | lĕnt

Catullus hunc adhibet semel, Carm. xxv.

Cinæde Thalle, mollior cuniculi capillo.

VIII. Octavi generis est Choriambus, qui constat quinque pedibus, nimirum spondæo, tribus choriambis -◡◡-, et pyrrhichio, ut:

Vēntōs | īrrĭtă fēr | re ēt nĕbŭlās | āĕrĭās | sĭnĭs

Hoc versus genere conscripta est Horatii I. Od. 18.

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem.

Utitur eo Catullus semel Carm. xxx.

Alphene immemor, atque unanimis false sodalibus.

IX. Noni generis est Pseudo-phaleucius δεκασύλλαβος, qui fit ex duobus spondæis, ac tribus choreis, ut:

Fēmēl	lās ōm	nēs ă	mīcĕ	prēndĭ
Quas vul	tu vi	di ta	men se	reno

interdum spondæo, et quatuor choreis; cujusmodi

Te īn cīr | cō te ĭn | ōmnĭ | būs lĭ | bēllĭs

Tribrachys autem loco spondæi prima in sede positus occurrit illo versu:

Cămĕrĭ | ūm mĭhĭ | pēssĭ | mæ pŭ | ēllæ

Utitur eo Catullus semel, quamvis intermisceat legitimos Hendecasyllabos, Carm. LV.

Oramus, si forte non molestum est.

X. Decimi generis est Glyconius, qui fere constat spondæo, et duobus dactylis, ut:

Jām sēr | vīrĕ Thă | lāssĭŏ

At Veronensis Poëta sæpenumero trochæum usurpat in prima sede; cujusmodi sunt illi:

Cīngĕ	tēmpŏră	flōrĭbŭs
Suave o	lentis a	maraci
Flamme	um cape	lætus huc
Huc ve	ni nive	o gerens

aliquando iambum, ut in hoc

Pŭēl | læ ēt pŭĕ | ri īntĕgrĭ

Utitur eo Catullus bis, nempe in duabus Odis, quarum prima est dicolos tetrastrophos; constat enim e Glyconio versu et Pherecratio; singulæ porro ejus strophæ quaternis versibus finiuntur: altera est dicolos pentastrophos, quæ iisdem versuum generibus conscripta est, sed strophas habet e quinis versibus:

Carmm. XXXIV. Dianæ sumus in fide.
LXI. Collis o Heliconii.

XI. Undecimi generis est Pherecratius, qui fere constat spondæo, dactylo, atque iterum spondæo, ut:

Exēr | cētĕ jŭ | vēntām

Catullus tamen in prima sede frequentius trochæum collocat; cujusmodi sunt:

Lūtĕ	ūm pĕdĕ	sōccūm
Frige	rans Aga	nippe
Semper	ingene	rari
Sospi	tes ope	gentem

nonnunquam et iambum, ut in illis:

Pŭēl | læquĕ că | nāmūs
Hymen | o Hyme | næe

semel secundo loco spondæum adhibuit:

Nūtrī | ūnt hū | mōrē

Hoc genere versus bis utitur, nempe Carmm. XXXIV. et LXI. cum Glyconio.

XII. Duodecimi generis est Hexameter; cujus notissima structura. Catullus non raro adhibet spondæum pro dactylo in quinta sede, veluti:

Tempe	quæ syl	væ cin	gunt super	īmpēn	dentes
Non prius	ex il	lo fla	grantia	decli	navit
Eruit	illa pro	cul ra	dicibus	extur	bata

Hoc genere versus utitur Poëta noster bis perpetua serie,

Carm. LXII. Vesper adest, juvenes! consurgite! Vesper Olympo.
LXIV. Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.

alternis vero cum Pentametro, a Carm. LXV. usque ad finem libri. Nonnulli apud Nostrum occurrunt hypermetri, cujusmodi sunt exempli causa:


Inde pater Divum sancta cum conjuge, natisque.
Et qui principio nobis terram dedit, auctore.

XIII. Decimi tertii generis est Pentameter Elegiacus, æque notus. Est autem Catullus, more antiquiorum poëtarum, in hoc genere nonnunquam duriusculus: qualia enim sunt illa:

Troja virum et virtutum omnium acerba cinis.
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.
Vere, quantum a me, Lesbia, amata, mea, es.
Divum ad fallendos numine abusum homines
Nec desistere amare, omnia si facias.

Et si qua sunt alia similia.

XIV. Decimi quarti generis est Galliambicus; quo utitur Carm. LXIII. [In constituendo hujus Carm. metro, cum ejus ratio non satis perspecta esset, nec ad veteris exempli normam exigi posset, valde inter viros doctos disceptatum fuit, adeo, ut ex opinionum varietate mira quoque in textu enata sit lectionis varietas et depravatio. Ex sententia Vulpii Galliambus constat sex pedibus, quorum prior frequentius est anapæstus, nonnunquam spondæus vel tribrachys: secundus fere iambus, rarius anapæstus, tribrachys vel dactylus: tertius sæpe iambus, raro spondæus: quartus dactylus vel spondæus: quintus sæpe dactylus, interdum tamen creticus aut spondæus: ultimus anapæstus et nonnunquam iambus præcedente cretico. Werthesius Galliambi Schema metricum exhibuit hoc:



Sed Reizius, peritissimus harum rerum magister, contra Werthesii rationem proposuit hanc: 'Werthesius, in exponendo metro Galliambico vehementer a veritate aberravit, metri cæsura tollenda, et ejus tribus ultimis pedibus, anapæsto et duobus iambis, in duos dactylos et anapæstum vertendis. Non cogitavit, cæsuram esse duplicem: aliam podicam, ut hexametri, aliam vero metricam, ut pentametri. Podica in pede trisyllabo in alterutram e duabus prioribus syllabis cadere potest: metrica nihil variat, ut nec in Galliambo, qui eam habet. Non debuit igitur Galliambi cæsuram, quæ metrica est, podicam facere.']

ELENCHUS ALPHABETICUS

NONNULLORUM SCRIPTURÆ COMPENDIORUM

QUÆ IN VV. LL. OCCURRUNT.

Ald. 1.	Editio Aldina, 1502.
Ald. 2.	——— ——— 1515.
Aldd.	——— ——— utraque.
Anon.	Excerpta Anonymi, quem D'Orvillium esse suspicatur Laur. Santenius.
Avant.	Hieronymus Avantius, cujus Emendationes in Catullum editæ sunt a Moravio an. 1494. et repetitæ in edd. Venet. 1500. et Ald. 1502.
Bal.	Codex Baluzianus ap. Santenium.
Barth.	Frid. Gottlieb Barthius.
Bentl.	Richardus Bentleius.
Bip. 1.	Editio Bipontina, 1783.
Bip. 2.	——— ——— 1794.
Bodl.	Codex Bodleianus Oxon.
Bond.	Bondanus in Var. Lect.
Brix.	Editio Brixiensis an. 1486. cura Parthenii.
Broukh.	Janus Broukhusius.
Burm.	Petrus Burmannus.
Cacc.	Excerpta Francisci Cacciæ.
Cant.	Editio Cantabrigiensis, an. 1702.
Calp.	Calpurnius in Ed. Vicentina, an. 1481.
Colin.	Editio Colinæi Parisini.
Colum.	Codex Hieronymi Columnæ.
Commel.	Liber Commelinianus membranaceus, quo usus est Vossius.
Corrad.	Corradini de Allio, (codicis jactator, cujus nec vola nec vestigium unquam extitit), in Ed. sua an. 1738.
Corv.	Codex Corvini, quo usus est Santenius.
Cuj.	Codex antiquus Jacobi Cujacii, J. C. quo usus est Scaligerus.

Dat.	Datianus optimæ notæ codex, quo usus est Santenius.
Doer.	Doeringius in Editione 1788. 1792.
Dorv.	D'Orvillius.
Dorv. c.	Codex D'Orvillianus.
Dous. P.	Janus Dousa Pater.
Dous. F.	———— Filius.
Douss.	Editio Dousarum, an. 1592.
Dresd.	Codex Dresdensis ab Handio citatus.
Ed. anon.	Catulli Opera ex castigatt. et obss. Grævii, Vossii, et Vulpii emendatæ; sine a. et l.
Eld.	E. Hub. Eldickius.
Faër.	Gabriel Faërnus.
Frut.	Lucas Fruterius in Verisimilibus.
Frut. c.	Codex ejusdem.
Gall.	Codex Scaligeri Gallicanus.
Gött. 1.	Editio Goettingensis, an. 1742. cujus basis est Ed. Corradini de Allio.
Gött. 2.	Editio Goettingensis, an. 1762.
Græv.	Editio Græviana.
Gryph. 1.	Editio Gryphiana, an. 1534.
Gryph. 2.	—— ———— —— 1537. Doeringio primum cognita.
Gryph. 3.	—— ———— —— 1542.
Gryph. 4.	—— ———— —— 1544.
Gryph. 5.	—— ———— —— 1546.
Gryph. 6.	—— ———— —— 1551.
Guar. P.	Guarinus Pater.
Guar. F.	—— Filius.
Gud.	Codex Gudianus, quo usus est Santenius.
Gurl.	Gurlittus ad Epithalamium Pelei et Thetidos.
Hamb.	Codex Hamburgensis.
Hand.	Ferdinandus Handius in Observ. Crit. in Catullum, 1809.
Heins.	Nic. Heinsius in Notis ad Catullum.
Henr.	Editio Seb. Henricopetri, an. 1592.
Huschk.	Imman. Gottlieb Huschkius in Epist. Crit. ad Santenium.
Itall.	Codices Italici ap. Nic. Heinsium.
Lamb.	Codex Lambini.
Lat. Lat.	Latinus Latinius in Variantibus.
Leid.	Codex Leidensis, quo usus est Santenius.
Lenn.	Lennep ad Coluth.
Lenz.	Carol. Gott. Lenzius ad Epithalamium Pelei et Thetidos.
Lips.	Justus Lipsius.
Livin.	Joannes Livineius in Notis editis an. 1621.
Maff.	Scipio Maffeus.
Maff. l.	Liber ejusdem, quo usus est Statius.
Marcil.	Theodorus Marcilius in Asterismis.
Markl.	Marklandus in Notis ineditis ap. Santenium.
Medic.	Codex Mediceus.

Mediol.	**Codex Mediolanensis omnium vetustissimus, quo usus est Vossius.**
Mel.	**Janus Meleager in Spicilegio.**
Mem. c.	**Codex Memmianus membranaceus, scriptus an. 1465. et quo usus est Passeratius.**
Mitsch.	**Mitscherlichius in Emendationibus in Catull. et Epist. Crit. ad Heynium.**
Munck.	**Munckerus.**
Mur.	**M. Ant. Muretus in Ed. an. 1559.**
Nan.	**Codex Nanianus.**
Obs. Mis.	**Observationes Miscellaneæ, quæ cura D'Orvillii prodierunt.**
Palat. m.	**Codex Palatinus membranaceus.**
Palat. p.	**—— ——— papyraceus.**
Palatt.	**—— ——— uterque.**
Pallad.	**Palladius Fascus in Ed. Venet. an. 1497.**
Palm.	**Matthæus Palmerius.**
Palm. c.	**Codex ejusdem, quem sua manu an. 1428. scripserat, et quo usus erat Andreas Schottus.**
Parth.	**Anth. Parthenius qui Ed. Brixiensem curavit, an. 1486.**
Pat. 1.	**Codex Patavinus primus, quo usus est Statius.**
Pat. 2.	**Codex Patavinus secundus, quo usus est idem Statius.**
Passer.	**Passeratius in Ed. an. 1608.**
Perr. Exc.	**Ant. Perreii Excerpta.**
Polit.	**Ang. Politianus.**
Pont.	**Jovianus Pontanus, Scriba Regius.**
Pucc. Exc.	**Francisci Puccii Excerpta.**
Raph.	**Editio Raphelengii.**
Reg.	**Charta Regia.**
Rheg.	**Editio Rhegii Lepidi, an. 1481.**
Ricc.	**Codex Riccardianus, quo usus est Santenius.**
Ruhnk. Exc.	**Ruhnkenii Excerpta.**
Saib.	**Codices duo chartacei Saibantium Veronæ.**
Salm.	**Salmasius.**
Sant.	**Laurentius Santenius.**
Scal. 1.	**Scaligerus in Edit. an. 1577.**
Scal. 2.	**——— ——— —— 1600.**[1]
Schott.	**Andreas Schottus.**
Schrad.	**Schraderus.**
Silv.	**Philippus Silvius in Ed. Delph. an. 1685.**
Stat.	**Achilles Statius in Ed. an. 1566.**
Thuan.	**Codex Thuaneus vetustissimus membranaceus, quo usus est Vossius.**
Tit.	**Robertus Titius in Prælectionibus ad Catullum.**

[1] **Ed. an. 1582. mera est repetitio Ed. an. 1577.**

Turn.	Turnebus.
Urs. Exc.	Fulvii Ursini Excerpta Vaticana.
Vall.	Codex Vallierianus, (olim Ducis de la Valliere,) quo usus est Santenius.
Vat.	Codex Vaticanus.
Venet. 1.	Editio Veneta, an. 1472.
Venet. 2.	——— ——— 1475. cujus lectiones præbuit codex Palmerii.
Venet. 3.	Editio Veneta, an. 1485.
Venett.	Omnes Venetæ.
Vicent.	Editio Vicentina an. 1481. cura Joan. Calpurnii.
Voss.	Vossius in Ed. Lond. 1684.
Voss. ll.	Libri Vossiani.
Vulgg.	Editiones vulgatæ.
Vulp. 1.	Editio Jo. Ant. Vulpii, an. 1710.
Vulp. 2.	——— ——— ——— 1737.
Werth.	Aug. Clem. Werthius in Carm. LXIII.
Zanc.	Liber Zanchi.

C.* VALERII CATULLI,†

VERONENSIS

CARMINA.‡

CARMEN I.

AD CORNELIUM NEPOTEM.

Quoi dono lepidum novum libellum,

Cuinam dedico novum hunc *libellum jocosum, recens lævigatum sicco pumice?*

* Pro *Caii* Cuj. habet *Quinti;* et sic legit Scal. refutatus jam a Passer. et Voss.

NOTÆ

† *Catulli*] Catullum prænomine Quintum vocat levi ductus conjectura Scaliger ex versiculo ad Januam; 'Verum isti populo Janua, Quinte, facit.' Subjicitque hoc prænomen inscriptum Catullo in Ms. codice Jacobi Cujacii. Alii vero, ut D. Hieronym. Apulëius, ceterique omnes Caium prænominant Catullum. Fuit autem Catullus e gente Valeria summæ antiquitatis. Valerii enim, qui et Valesii, in delectu et censu primi nominabantur; ut refert Festus in 'Lacus Lucrinus.' Tres porro extant ejus nominis Poëtæ, Valerius Catullus, Valerius Flaccus, et Valerius Martialis, et unus Historicus Valerius Maximus. Extat et nomen Valerii Antiatis historiarum scriptoris antiquissimi sæpius a Livio laudati, et Valerii Sorani Poëtæ, quem Cic. de Orat. 'doctissimum togatorum' appellat. Fuit etiam alter præter hunc Poëta nomine Catullus Mimographus, de quo Juvenalis Sat. VIII.

‡ *Carmina*] Catulli opus admodum mutilum et lacerum ad nos pervenisse nemini dubium esse debet. Veteres enim Grammatici, maxime-

Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Jam tum, cum ausus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis,

Tibi, o *Corneli: tu enim consueveras existimare lusus meos esse aliquid; tunc etiam quando confisus es Italorum solus explanare cuncta tempora tribus libris,* quam eru-



1 *Cui* in duobus Stat. codd. in uno *Quoi;* in Pat. 2. *Quin.*—2 *Arido* in omnibus codd. sed legendum est cum vett. et opt. edd. *Arida,* ut citatur etiam a Serv. ad Æn. xii.—4 *Nostras* mollius quam *Meas* visum esse C. Plinio in

NOTÆ

que Terentianus Maurus, plura producunt ex Catullo, quæ nusquam hodie comparent.

1 *Quoi dono*] Versus est Hendecasyllabus, idemque Phaleucius, constatque spondæo, dactylo, et tribus trochæis: in hoc tamen carmine Catullus ordinem non servat. *Quoi,* dativus est pro, 'cui,' quo se puero antiquiores usos ad pinguiorem sonum, ut ab illo 'qui' nominativi casus distingueretur, testatur Quintil. lib. i. Institut. Orator. Hæc porro quasi Præfatio est totius libri, quem Catullus dedicat Cornelio Nepoti. Hunc Ausonius Gallum, Plinius accolam Padi nominat, qui in Chronicis suis Catulli, ut optimi suo sæculo Poëtæ, meminerat: is vero mentione sui honorifica delectatus libelli nuncupatione gratiam retulit bene merito.

2 *Arida pumice*] Alii legunt, *arido.* Sed Servius in Æneid. xii. *Arida pumice* Catullum scripsisse testatur in genere fœminino. 'Pumicum usus,' ait Plin. 'est in corporibus lævigandis, atque etiam libris.' Unde et Martial. lib. xiii. 'Nondum murice cultus, asperoque Morsu pumicis aridi politus, Artanum properas sequi, libelle.'

3 *Corneli*] Plures fuerunt eodem tempore hoc nomine illustres viri, quorum auctores meminerunt. Cornelius Cinna, qui pridie quam Cæsar occideretur de eo graviter erat concionatus. Cornelius Phagita, cujus insidias Cæsar æger ac latens, ne Syllæ proderetur, vix dato præmio evasit. Cornelius Balbus, ejusdem Cæsaris in bello civili legatus. Cornelius Gallus poëta, scriptor Elegiarum, Ægypto præfectus sub Augusto, qui Catullo nostro paulo junior, cum in suspicionem venisset contra principem conjurasse, violentas sibi manus attulit. Denique Cornelius Nepos Transpadanus, cui Catullus hunc suum nuncupat librum, qui, editis aliquot libris, imperante Augusto mortem obiit. Huic etiam Attici vita tribuitur.

4 *Nugas*] Sæpe versus suos Poëtæ 'nugas,' et 'lusus' vocant. Horat. 'Nescio quid meditans nugarum, et totus in illis.' Martial. 'Qui meruit nugas primus habere meas.'

5 *Unus Italorum*] Præcipuus, vel solus ex omnibus Italis. Atticum tamen idem fecisse testatur Cic. in Epistolis; nisi forsan plura complexus sit Cornelius Nepos quam Atticus.

6 *Tribus chartis*] Ob brevitatem commendat Chronicon Nepotis, qui tribus libris omne tempus, atque eti-

Doctis, Jupiter! et laboriosis.
Quare habe tibi, quicquid hoc libelli est,
Qualecumque: quod, o patrona Virgo,
Plus uno maneat perenne sæclo.

ditis, o *Jupiter! et operosis. Itaque accipe hoc quodcumque est operis*, quod tibi offero; *quod* utinam *perduret diutius uno sæculo, o patrima Virgo.*

Præf. Hist. Nat. scribit Marcil.—8 In omnibus codd. vel desideratur *τὸ est*, ut in Dresd. vel legitur *quidquid est libelli;* et ita habent Venett. Vicent. et Brix.—9 Nostram lect. tuentur Stat. codd. et edd. opt. et sic in Dresd. Stat. vero legit, *Qualecunque quod est, patrona v.* Venett. Vicent. et Brix. exhibent, *Qualecunque quidem, o patroa v.* quam lect. probarunt Pucc. Voss. et Vulp. mutato verbo *quidem* in *quod*. Scal. conj. *o patrima v.* et Mel. *Peranna*, i. e. Dea temporis præses: *quod o peranna v.* volebat Munck. ad Ant. Liberal. c. 16. Pont. tentabat, *Qualecunque per ora quod virorum;* (et, teste Mel. *quod, o paterna v.*) hinc Aldd. et al. *Qualecunque quidem ora per virorum;* et Frut. *per ora vulgi:* Eglin. Iconius in ed. sua an. 1603. profert, *Qualecunque quod est, patrone, per te Plus, &c.* Heins. conj. *quod o Patrone, gyro Plus....secli.* Quidam *perennivirgo*, ut Plaut. Pers. Sc. XI. 'perenniservus.' In Mur. et Frut. codd. omnia post *Qualecunque quidem* desiderabantur; unde hunc et seq. ver. nonnulli supposititios esse putarunt.

NOTÆ

am antiquissima mythologica complexus fuerat. Unde Ausonius: 'Apologos Titiani, et Nepotis Chronica, quasi alios apologos, nam et ipsa instar fabularum sunt, ad nobilitatem tuam misi.'

9 *Patrona* [*patrima*] *Virgo*] 'Patrimi' dicuntur ii, quibus mater solum decesserit; quibus solum pater 'Matrimi' sunt. Eleganter Catullus Minervam 'patrimam' vocat, quæ tantum patrem habebat. Qui legunt *patrona*, malunt invocari aliquam ex Musis, quæ nempe Poëtarum sunt patronæ; quod sane recte etiam convenit Minervæ, in cujus tutela et clientela sunt ingenia et artes. Eam Ennius et 'dominam' et 'heram' dixit. Alii legunt, *Peranna*, ut Poëta videatur invocare Deam temporis præsidem, quæ veteribus *Peranna* dicebatur.

CARMEN II.

AD PASSEREM LESBIÆ.

PASSER, deliciæ meæ puellæ,
Quicum ludere, quem in sinu tenere,
Quoi primum digitum dare appetenti,
Et acres solet incitare morsus:
Cum desiderio meo nitenti
Carum nescio quid lubet jocari,
(Ut solatiolum sui doloris:
Credo, ut tum gravis acquiescat ardor,)
Tecum ludere, sicut ipsa, possem,
Et tristes animi levare curas;

Passer, voluptas amicæ meæ, cum quo ipsa consuevit oblectari, quem gremio complecti, cui inhianti offerre extremum digitum, et irritare morsus asperos, quoties placet nitido amori meo ludere nescio quid jucundum; ut vulgo putant esse aliquod levamentum molestiæ suæ, quando vehemens æstus sedatur. Utinam *queam tanquam ipsa jocari tecum, ac graves mentis solicitudines mitigare,* id *mihi* esset *ita*

1 Alii in codd. se legisse affirmant *delicium.*—2 Particulam *in* a mala manu esse suspicabatur Dous. F.—3 *Qui* in uno Stat. cod. more veterum, pro *Quoi,* vel *Cui.* Voss. ex libb. vett. reposuit *ac patentes;* 'sed nostra lect. multo est accommodatior.' *Doer.*—5 *Cum desiderio mei intuentis Parum nescio, &c.* conj. Heins. *Quum,* i. e. quandoquidem, Scal.—7. 8 *Et* legitur in scriptis libb. teste Scal. ut in Dresd. et sic in Venett. Vicent. et Brix. Ald. corr. *Credo ut tum gravis acquiescat ardor;* quomodo etiam edidit Vulp. Pro *Credo ut* tentabat Scal. *Credunt.* Heins. pro *ut* legendum esse suspicatus est *tu;* et, cum ne sic quidem difficultates remotas videret, versus ita constituendos esse putavit; *Corde cum gravis acquiescit ardor, Ut solatiolo sui doloris Tecum....possim:* denique totum versum excidisse putat, quo donatum sibi a puella passerem poëta sit testatus. Cuj. exhibet *ut quom gravis acquiescet error,* i. e. amor; Dresd. et Vicent. et Venet. an. 1500. habent quoque *acquiescet,* sed Brix. *acquiesset.* Mel. legit *et tum gravis acquiescit ardor:* Dous. P. conj. *Credo: ut tam g. acquiescat ardor, Tecum....possim;* et Marcil. *Ut solatiolum siet doloris Credo. Ut mi g. acquiescat ardor, Tecum, &c.* Hand. sic legit et interpungit, *Quum desiderio meo nitenti Carum nescio quid lubet jocari. Est solatiolum sui doloris, Credo, ut t. g. a. ardor. Tecum, &c.*—9 *Secum....ipse* Ald. 1. ex Avantii antiq. cod. *posse* Voss. Vulp. et alii.—10 In omnibus

NOTÆ

1 *Passer*] Catullus ab amica exclusus passerem, quo illa delectabatur, alloquitur; optatque, ut ipse cum eo ludendo tam facile curas animi, quibus angitur, levare posset, quam ipsa Lesbia.

Tam gratum mihi, quam ferunt puellæ
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

jucundum, ut dicunt veloci virgini acceptum fuisse pomum aureum, quod recinxit cingulum diu vinctum.

codd. *tristis.*—11 *Tam gratum id mihi* Mur. *Tam gratum est* Voss. et Vulp.—13 In cod. antiq. Avant. *negatam* pro *ligatam.*

NOTÆ

11 *Puellæ Pernici*] Atalantam intelligit, quam cum pater nuptui tradere nollet, nisi ei, qui eam cursu, quo præcellebat ipsa, superasset, postquam multi proci eo in certamine victi essent et occisi, ipsa demum ab Hippomene victa est, malorum aureorum, quæ ille a Venere acceperat, pulchritudine capta et retardata, eique in uxorem data est.

13 *Zonam diu ligatam*] Olim cingulo, quod ex lana ovis fiebat, virgines præcingebantur, quod cum puella nupsisset, prima nocte vir solvebat in lecto: testis Festus. 'Cingulo,' inquit, 'nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto solvebat,' &c. Et paulo infra: 'Cinxiæ item Junonis sanctum nomen habebatur in nuptiis, quod initio conjugii solutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta.' Unde Catullus alibi, 'Zonam solvere virgineam.' Græci quoque λυσιζώνους, puellas Venerem expertas vocant.

CARMEN III.

LUCTUS IN MORTE PASSERIS.

LUGETE, o Veneres, Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum.

Plorate, o Veneres, Venustates, et Amores, et quicquid est hominum elegantio-

NOTÆ

1 *Veneres, Cupidinesque*] Multæ sunt, nempe quatuor Veneres, ut et tres Cupidines; quemadmodum docet Cic. lib. III. de Natura Deor. Ab Ovidio Venus dicitur 'geminorum mater Amorum,' qui licet diversis parentibus geniti crediti sint, tamen ad unum Veneris filium omnia prope, quæ de Amore dicta sunt, transferuntur.

Passer mortuus est meæ puellæ,
Passer, deliciæ meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat:
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsam tam bene, quam puella matrem:
Nec sese a gremio illius movebat;
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam usque pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum,
Illuc, unde negant redire quenquam:
At vobis male sit, malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male! O miselle passer,

rum. Passer amicæ meæ extinctus est, passer, voluptas amicæ meæ, quem ipsa ocellis suis cariorem habebat: erat enim dulcis, et æque agnoscebat dominam suam, ut puella agnoscit parentem suam: neque recedebat ab ejus sinu, sed circumvolitans nunc eo, modo illo, ad unam heram semper pipiebat; qui jam fertur per viam obscuram, eo, unde dicunt neminem huc reverti. Tibi vero male cedat, o improba nox Inferorum, quæ absorbes res omnes venustas: eripuisti mihi passerem adeo elegan-

4 Hic versus abest ab Stat. codd. et plurimis edd. sed Scal. eum in suo cod. invenit: tuentur eundem Aldd. et Cant. ex fide Mss.—7 *Ipsa* Voss. et Stat. codd.—10 Avant. legendum censebat *pipulabat,* Manutius *pippiebat:* in Maff. l. *iplabat,* unde Stat. scriptum fuisse opinabatur *piplilabat:* alii *piplabat, pipilabat, pipiebat.*—11 In Stat. codd. *tenebrosum.*—12 *Illud* habent iidem codd. —16 *Bonum factum male, bonus ille passer,* omnes Stat. codd. unde VV. DD. legerunt ut in nostro textu: pressius inhærens vestigiis legendum putavit Mel. *O factum male, væ pusille passer:* Aldd. et Colin. habent, *bellus ille*

NOTÆ

10 *Pipilabat*] Frequentativum a pipo, as. Unde Auctor Carm. de Philom. vs. 24. 'Accipitres pipant, Milvus hiansque lipit.' Varro ap. Non. contra sentit: 'Mugit bos,' inquit, 'balat ovis, equi hinniunt, gallina pipat.'

13 *Tenebræ Orci*] Orcus a veteribus Inferorum Deus est habitus, quem et Plutonem, et Ditem patrem appellabant. Unde Cic. in Verrem: 'Hic dolor erat tantus, ut Verres alter Orcus venisse Ennam, et non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur.' Sumitur etiam pro ipso Inferorum loco, ut hic a Catullo, et a Propert. lib. III. ubi vocatur Minos 'Arbiter Orci,' tanquam Inferorum judex et moderator. Theocr. vocat Orcum, *ἀνέξοδον Ἀχέροντα.*

16 *O factum male*] Ubi quid infeliciter evenerat, illud usurpabant, 'O factum male!' sicut contra in certis et prosperis rebus, 'O factum bene!' Utriusque exempla crebra sunt apud Terent. et Plaut.

Tua nunc opera, meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

tem. O gravem casum! O infortunate passercule! Jam tui causa erubescunt oculi amicæ meæ lacrymando tumidi.

passer, et Mur. *O malæ tenebræ.*—17 *Vestra nunc opera* Ald. ex Avantii cod. antiq. *Cuja* Voss. Nostram lect. tuentur Cant. Vulp. 2. et omnes fere codd.—18 Meliores *rubent;* et sic in cod. antiq. Avant. alii *tument*, ut in Venett. Brix. et Vicent.

NOTÆ

18 *Turgiduli*] Inflati ex nimio fletu. Ad quem alludens Martial. lib. VII. Epigr. 13. 'Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ, Amisit lusus, deliciasque suas. Non quales teneri ploravit amica Catulli Lesbia, nequitiis passeris orba sui.'

CARMEN IV.

DEDICATIO PHASELI.

PHASELUS ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse præterire, sive palmulis

Navigium istud, quod cernitis, o *amici, dicit* se *fuisse velocissimum navigiorum, et potuisse superare velocitatem cujusvis ratis navigantis, sive remis, sive velis*

1 *Phasellus* Aldd. et Scal. ex codd. Stat. et sic Græv.—2 Nonnullæ edd. vett. habent *celerrimum.*—3 Hunc versum ita ex codd. suis affert Colum. ad Enn. p. 143. *Neque ullius volantis impetum alitis,* &c. et sic etiam Pucc. in Vicent. Auctor Parodiæ *τὸ volantis* quoque servat. 'In omnibus antiq. edd. legitur *trabis impetum*, non *impetum trabis;* quasi, omisso ultimo vocabulo, glos-

NOTÆ

1 *Phaselus ille*] Hoc Carmine Poëta laudat navigium suum, quo vectus, ex Bithynia per diversa maria usque ad Sirmionem oppidulum ad lacum Benacum, vulgo *Lago di Garda*, in Gallia Cisalpina, unde natus creditur, redierat; illudque consecrat Castori et Polluci, Diis nautarum tutelaribus.

Opus foret volare, sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare littus, insulasve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemve Ponticum sinum;

necesse esset cursum tenere; et ait oram Adriatici pelagi periculosi non posse *hoc inficiari, neque Cycladas insulas, neque claram Rhodum, nec Thraciam gelidam, nec Propontidem, nec sinum Ponticum terribilem; juxta quem Phaselus iste, qui post-*

sema in textum inculcatum esset.' *Hand.*—6 'Voss. quia in nonnullis codd. legerat *negant*, reponit *nec aut*, male; nam sic perit quæsita poëtæ elegantia.' *Doer.*—8 Græv. legit *Rhodumque.*—9 Nonnulli *Propontidem*, absque necessitate; nam ultima syllaba *da*, propter consonantes *tr* verbi sequentis,

NOTÆ

6 *Adriatici*] Adriaticum mare dicitur ille sinus inter Lacinium extremum Italiæ, et Acroceraunium Epiri Promontorium excurrens, quod et Superum mare appellatur, et Adriaticum, ab Adria urbe ad istius maris littus, et ad Padi ostium a Tuscis condita, juxta Plinium lib. III. 16. 'Nobili portu oppidi Tuscorum Adriæ, a quo Adriacum antea mare appellatum, quod nunc Adriaticum.' Unde et Horat. 'Improbo iracundior Adria.' Lucan. lib. v. 'Sonat Ionio vagus Adria ponto.' Propert. lib. III. 'Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar æquoris hospes.'

7 *Cycladas*] Insulæ sunt in mari Ægæo, circa Delum veluti in orbem sitæ, unde nomen traxerunt.

8 *Rhodumve nobilem*] Rhodus insula maris Carpathii Cariæ adjacens, inter Asiæ insulas tertia numeratur; cui Rhodos Neptuni filia ab Apolline adamata nomen dedit; ut ait Diodor. lib. VI. Urbem ejusdem nominis habuit hæc insula, quæ multis annis imperio maris potita est: fuit et in ea insula admirandæ magnitudinis Colossus, seu statua Solis; quem fecerat Chares Lydius, Lysippi discipulus, unde Rhodii Colossenses dicti sunt. Ut Lucanus: 'Claramque reliquit Sole Rhodum.'

Horridamve Thraciam] Pars est Europæ ad Septemtrionem vergens, quæ ab Ortu Propontidem, et a Meridie mare Ægæum spectat. Habet præter alias urbes ab auctoribus celebratas Byzantium, seu Constantinopolim, ad Bosporum, ubi nunc sedem habet Turcarum Imperator. Thracia vero dicitur horrida, vel ab incolarum feritate, vel a frigore quo deformatur.

9 *Propontida*] Ultima syllaba producenda, ob duas sequentes consonas, vel legendum *Propontidem*, ut nonnulli legunt. Propontis autem mare est illud paulo laxius, quod ab Hellesponti angustiis ad Thracium usque Bosporum protenditur; primas enim angustias maris Ægæi sese coarctantis Hellespontum vocant. Ubi latius exspatiatur æquor, Propontis appellatur, quasi ante pontum; ubi vero rursus in arctum coit Bosporus Thracius nuncupatur. Inde iterum effunditur, vocaturque Pontus Euxinus.

Ponticum sinum] Ad Boream supra Bosporum Thracium est Ponticus sinus, vulgo dictus Pontus Euxinus, olim Axenus, i. e. inhospitalis, atrox

Ubi iste, post Phaselus, antea fuit
Comata sylva: nam Cytorio in jugo
Loquente sæpe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica, et Cytore buxifer,
Tibi hæc fuisse et esse cognitissima
Ait Phaselus: ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in æquore,
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse; læva, sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Jupiter
Simul secundus incidisset in pedem;
Neque ulla vota littoralibus Diis

ea fuit navigium, antea fuerat sylva frondosa: crebro enim frondibus resonantibus sibilavit in Cytorio vertice. Idem *Phaselus addit, ista notissima fuisse alias, et adhuc esse vobis,* o *Amastri* urbs *Pontica, et Cytore* mons *buxis abundans: ait* se *fuisse in tuo vertice a summo principio, et tinxisse remos* suos *tuis aquis, et postea portasse* me *dominum* suum *per tam multa maria ferocia, sive dextra, sive sinistra impelleret aura, sive Jupiter favens incubuisset una in geminos pedes; neque* unquam

Græco more producitur.—10 Et hic quoque, et v. 15. Aldd. et Scal. servant *Phasellus.*—11 In nonnullis edd. vett. *Cythorio,* et v. 13. *Cythore;* sed Stat. codd. hæc verba ut in nostro textu exhibent.—22 Quidam legunt *Nec:* Scal.

NOTÆ

est, nebulosus; et quia non est profundus, fluctuosus est, et fervens, et ventis maxime obnoxius, Plin. l. vi.

11 *Cytorio in jugo*] Cytorus mons est Paphlagoniæ, juxta Amastrim urbem, buxo abundans. Unde Virg. ‘Et juvat undantem buxo spectare Cytorum.’ Quod etiam noster Poëta innuit, cum dicit, *Cytore buxifer.* Fuit et civitas Cytorus seu Cytorum dicta, Sinopensium Emporium. Strab. lib. xii.

13 *Amastri*] Amastris urbs est Paphlagoniæ, Sesamon olim secundum Strabonem vocitata, non procul a Cytoro monte ad Pontum Euxinum.

20 *Sive utrumque Jupiter incidisset in pedem*] Pes in navi ima pars est veli, seu angulus, quo fune religatur; duo autem pedes sunt, dexter et sinister. Dicitur itaque Jupiter, sive ventus secundus, incidere in utrumque pedem, cum navis a vento plenis seu æquatis velis impellitur. Alii pedem in navi accipiunt funem, quo velum tenditur; unde idem dicunt esse, ‘facere pedem,’ quod, vela facere. Virgil. ‘Una omnes fecere pedem,’ &c. Seneca Trag. in Medea. ‘Nunc præalto pede transversos captare Notos,’ &c.

22 *Neque ulla vota*] Prædicat se tanta navigandi felicitate semper cursum confecisse, nulla ut vota nuncupanda Diis littoralibus fuerint, scilicet Glauco, Nereo, Melicertæ, Neptuno, Thetidi, et ceteris, quibus templa in littoribus erant consecrata.

Sibi esse facta, cum veniret a mare
Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.
Sed hæc prius fuere: nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, et gemelle Castoris.

a se nuncupata esse ulla vota numinibus littoris præsidibus; etiamsi proficisceretur ab extremo pelago usque ad stagnum hoc nitidum. At ista præterierunt; jam vero composito otio consenescit, et se tibi consecrat, o *Castor* frater *gemine* Pollucis, *et* tibi, o Pollux frater *gemine Castoris.*

habet *Deis.*—23 Priscian. affert *a mare*, ut in Maff. l. quod Gramm. defendunt ex Plaut. Lucr. et Ovid. in aliis codd. *amaret.*—24 In omnibus codd. Stat. et Scal. *Novissime.*—25 Hic locus ita citatur a Prisciano, *nunc recondita Senecta quiete.*—27 *Gemelle Castorum, et gemelle Castoris* invenit Voss. in codd.

NOTÆ

26 *Senet*] Antiquum verbum, pro *senescit:* Accius in Telepho, 'Pecora languentque senentque.' Lucret. l. VI. 'Nunc etiam senet, et trepido terrore repleta est.'

27 *Gemelle Castor*] Nemo nescit Castorem et Pollucem fuisse fratres geminos, ex Leda a Jove sub Cycni forma compressa natos, qui et Tyndaridæ dicuntur. Ab antiquis sunt habiti Dii navigantibus maxime propitii. Unde Horat. IV. Od. 8. 'Clarum Tyndaridæ sidus ab infimis Quassas eripiunt æquoribus rates.'

CARMEN V.

AD LESBIAM.

VIVAMUS, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresque senum severiorum.
Omnes unius æstimemus assis.

Vivamus, o *Lesbia mea, et invicem diligamus, nec faciamus pluris uno asse repre-*

NOTÆ

1 *Vivamus*] Talis est Horatii ad amicam exhortatio: 'Miserarum est neque amori Dare ludum: neque dulci Mala vino lavere, aut exanimari Metuentes patruæ verbera linguæ.' Idemque alibi: 'Dum licet, in rebus

Soles occidere et redire possunt:
Nobis, cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum,
Dein usque altera mille, deinde centum:
Dein, cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus invidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

hensiones vetulorum austeriorum. Dies occidere queunt, et resurgere: quando vero *tenue lumen nobis semel extinguitur, nox æterna nobis est una dormienda. Præbe mihi mille oscula, mox centum alia, tum mille altera, postea centum altera, rursus mille alia, ac rursus centum alia. Postea vero quam plura millia agitaverimus, confundemus illa, ut ipsi ignoremus* quot fuerint; *aut ne improbus aliquis invidere queat, si tam multa noverit esse oscula.*

8 Nostra lect. est ex emend. Stat. qui in codd. suis invenit, *Dein mille altera, deinde secunda centum:* edd. vett. habent, vel, *Dein mille altera, da secunda c.* ut in Cant. vel, *Dein mi altera, da s. c.* ut in Rheg. et Voss. ll. unus cod. habet, *Dein altera mi da s. c.*—9 Stat. codd. exhibent *Deinde usque, &c.* ut in Cant. ceteri omnes *Dein.*—10 Heins. legeret *fixerimus.*

NOTÆ

jucundis vive beatus: Vive memor quam sis ævi brevis,' &c.

Mea Lesbia] Sub nomine Lesbiæ Clodiam amicam celebrat Catullus; ut Deliam Tibullus pro Plania, Propertius pro Hostia seu Hostilia Cynthiam illustrarunt.

6 *Nox est perpetua*] Mortem intelligit, quam Ovid. comparat somno: 'Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago? Longa quiescendi tempora fata dabunt.' Unde et Virg. 'In æternam clauduntur lumina noctem.' Propert. eodem fere modo: 'Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore: Nox tibi longa venit, nec reditura dies.'

10 *Cum millia multa fecerimus*] Etsi quæ petit basia bene multa sunt, non sufficiunt tamen Martiali, qui de his lepide more suo: 'Nolo quod arguto dedit exorata Catullo Lesbia; pauca cupit, qui numerare potest.' *Fecerimus* penultimam syllabam, quæ brevis est, produxit Poëta, sicut et Ennius penultimam 'dederitis;' 'Non mi aurum posco, non mihi pretium dederītis.' Quod imitatus est etiam Ovid. lib. iv. ex Ponto, 'Et maris Ionii transierītis aquas.'

11 *Conturbabimus*] Invidiæ magnam vim ad nocendum antiqui putabant, cum eam sola voluntate, et ipso afflatu et contagione maleficam et venenatam esse censerent; eam tamen vim irritam esse existimabant, nisi illa rem certam, et numero comprehensam teneret: hinc Catullus basia conturbat, ne quis invidus eorum numerum cognosceret.

CARMEN VI.

AD FLAVIUM.

FLAVI, delicias tuas Catullo,
Ni sint illepidæ atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere posses.
Verum nescio quid febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.
Nam, te non viduas jacere noctes
Nequicquam tacitum cubile clamat,
Sertis ac Syrio fragrans olivo,
Pulvinusque peræque et hic et illic
Attritus, tremulique quassa lecti
Argutatio inambulatioque.
Nam mi prævalet ista nil tacere.

O *Flavi, cuperes narrare Catullo tuo, neque celare me posses tuos amores, nisi essent illiberales et inhonesti; sed amas nescio quid scorti morbidi, idque erubescis confiteri. Lectus enim* tuus *non silens, flores et Syrium spirans amomum, patefacit te non cœlibes cubare noctes, et cervical hinc et illinc protritum* * * *

3 *Velis dicere, n. t. possis* conj. Heins.—7 Idem Heins. corr. *Nequaquam;* sed hanc emend. jam proposuerat Stat.—8 *Sertisque Assyrio* legebat Stat. sed in codd. suis invenit *Sertis Assyrio:* Avant. conj. *Sertis ac Syrio.* Pro *fragrans* Bronkh. et alii *flagrans.*—9 In omnibus Stat. codd. *hic et ille.*—

NOTÆ

1 *Flavi*] Quinam e multis *Flaviis* amicus iste Catulli fuerit, valde dubium.

6 *Nam, te non viduas*] Multa indicant te non cubare solum. *Viduas* autem dixit *noctes*, quomodo Ovid. 'Cur ego tot viduas exegi frigida noctes.'

7 *Nequicquam*] Id est, non: ita posuit Virgil. 'E summo clypei nequicquam umbone pependit.'

8 *Syrio olivo*] Ex Syria amomum optimum afferebatur, quod vocat Horat. 'Malobathrum Syrium;' hoc porro indicat veteres unguentis et odoribus etiam in lectis usos.

9 *Et hic et illic*] In duobus locis, quod arguit, duos cubare.

10 *Attritus*] Scorti volutatione.

Quassa lecti Argutatio] Argutari est subsilire, ut Nonius inquit in Fidenia. Inde fit *argutatio*, i. e. subsaltatio in lecto, quam faciunt amatores.

11 *Inambulatio*] Ex frequenti enim illorum motu lectus concutiebatur, et quodammodo deambulare videbatur.

Cur nunc tam latera exfututa pandas
Ni tu quid facias ineptiarum?
Quare quicquid habes boni malique,
Dic nobis. Volo te ac tuos amores
Ad cœlum lepido vocare versu.

quapropter commemora mihi quidvis boni et mali nancisceris: cupio ad astra tollere teipsum, ac tuas delicias eleganti carmine.

---

12 Prisca lect. testante Scal. fuit, *Nam ni ista prævalet nihil tacere, Cur non t. l. e. pandam, Nec tu quid f. i.* quam Stat. ita affert, *Nam in ista p. nihil t. C. non t. l. et futura panda, Nec tu, &c.* unde Scal. 1. *Nam ni stupra, valet nihil t. Curvantem l. exf. panda Noctu q. f. i.* sed in 2. *Nam ni stupra, v. n. t. (Cur? n. t. l. exf. pandant?) Nec tu quid, &c.* Stat. vero tentabat, *Nam ni est turpe, volens nihil taceres, Cui nunc t. l. exf. pandas, Ni tu, &c.* sed Mur. ex istis tribus vs. duos fecit, hoc modo, *Nam cur tam l. e. pandas, Ni tu, &c.* In Voss. exempl. extabat *pandas;* Commel. habet in marg. *pādā:* Voss. corr. *Nam ni istapte, valet nihil t. Cui non jam l. e. pandant Noctu q. f. ineptiarum?* quam lect. recepit Vulp. et sic Cant. nisi quod pro *Cui non* exhibet *Cui nunc:* Heins. conj. *Quum nil prævalet ista mi tacere, Cur nunc jam l. e. pandas.* Bond. ex Ruhnk. Exc. affert, *Nam ni te pudeat, nihil taceres;* idem testatur in marg. Ald. 1. legi, *Ni te pigeat;* totum autem locum sic refingit, *Nam ni te pudeat, nihil taceres, Cum nunc tam l. e. pandant, Noctu quid f. i.* Nostra lect. conformata est ad edd. Corrad. Gott. et Bip. Silv. habet, *Nam ni prævaleat ista nihil, &c.* manifesto errore. Ed. anon. *Nam nil prævalet ista, nil, tacere.*—15 Jani ad Hor. I. Od. 27. 17. vult. *boni malive.*

NOTÆ

12 *Nam mi prævalet ista*] *Ista* scilicet mulier quæ turpitudine sua prægravat, ut cogat te tacere, aliter omnia mihi diceres, cum tibi id sit vitii, ut tacere nequeas. Nec mirum videatur, cum dixerit scortum, quod subjungat *ista;* respicit namque significatum. Sic Terent. 'Ubi illic est scelus quod me perdidit.'

13 *Cur nunc* [*non*] *tam latera*] Sensus est, *Cur* enim *non* manifestares *latera* tua coitu tam exhausta, nisi hæc causa retineret te, quia facis nescio quid ineptiarum, dum scilicet futuis febriculosum scortum; et ideo in sequenti carmine, *Ni tu quid facias*, legendum est, non autem, *Nec tu*, nisi voluerimus hunc esse ordinem: *Cur nec tu pàndas quid facias ineptiarum.* Sed melior prima lèctio, ex qua clarior sequitur sensus.

Exfututa] Coitu exhausta.

17 *Ad cœlum vocare*] Applaudere nimiumque sibi ipse tribuere videtur Poëta, tanquam sit ipse in cœlum scriptis suis sublatus, illucque alios possit efferre.

CARMEN VII.

AD LESBIAM.

QUÆRIS, quot mihi basiationes
Tuæ, Lesbia, sint satis superque?
Quam magnus numerus Libyssæ arenæ
Laserpiciferis jacet Cyrenis,
Oraclum Jovis inter æstuosi,
Et Batti veteris sacrum sepulcrum:

Rogas, o *Lesbia, quam multa mihi sufficiant oscula tua? Quanta* est *multitudo arenarum Libycarum,* quæ *jacent Cyrenis ferentibus Laserpicium, inter Templum Jovis ferventis, et augustum tumulum antiqui Batti; aut quot astra, quando nox est,*

3 Stat. et Græv. legunt *harenæ.*—4 *Laserpitiferis* legit Mur. citans Plin. lib. XIX.

NOTÆ

3 *Libyssæ arenæ*] A Libya, Gentile est, Libys -os, masculinum: Libyssa vero fœmininum, ut Phœnix, Phœnissa. Libya porro Africæ pars est, quæ propter nimium Solis æstum, quo torretur, immensis arenis vastisque solitudinibus squalet.

4 *Laserpiciferis jacet Cyrenis*] Cyrene, a qua Cyrenaica regio, urbs est Pentapoleos in Libya, propter arenas et solitudines toties decantata, a Batto Callimachi progenitore, ut creditur, condita: sic dicta a Cyrene Penei Regis Thessaliæ filia, quam Apollo adamatam in eam Lybiæ partem transtulerat. Vide Justin. lib. XIII. Dicitur Cyrene -es, vel Cyrenæ -arum: dicuntur autem Cyrenæ 'Laserpiciferæ' quod in Cyrenaica regione herbæ genus quoddam Latinis, 'Laserpicium,' Græcis, 'Silphion,' dictum, frequens reperiatur; cujus herbæ succus 'Laser' appellatur, folium 'Maspetum' dicitur; ejus usus est in medicamentis exquisitus. Plura leges apud Plin. lib. XIX.

5 *Oraclum Jovis*] Oraculum aliquando sumitur pro templo, ut indicat hic Catulli locus, ut et ille Plinii, lib. XXII. 23. 'Ammoniaco nomen est ab Ammonis Oraculo, juxta quod gignitur arbor, quam Metopion vocant.' Locus autem ille dicitur 'æstuosus' quod illic arenarum tumuli in modum marinorum fluctuum a ventis huc illuc concitentur. Jovis Ammonis templum, de quo hic Catullus, dicitur ædificasse Liber pater, seu Bacchus. Olim inter septem orbis miracula numerabatur; aberatque Cyrenis CCCC. M. passuum, si credimus Plin. lib. V. 5. De hoc etiam Diodor. lib. IV. Q. Curt. lib. IV. 7. Lucan. lib. IX. Strab. lib. XVII.

6 *Batti*] Battus Cyrenas condidit, qui fuit ibidem sepultus, quemque Callimachus progenitorem suum fuisse dicit: unde vocatur Battiades a Catullo et Statio.

Aut quam sidera multa, cum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores:
Tam te basia multa basiare,
Vesano satis et super Catullo est,
Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

cernunt occultos amores hominum; satis superque est te osculari Catullo insanienti tot oscula, quot nec curiosi percensere queant, nec improba lingua incantare.

CARMEN VIII.

AD SE IPSUM.

MISER Catulle, desinas ineptire,
Et, quod vides perisse, perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles,
Cum ventitabas, quo puella ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa tam jocosa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat.
Fulsere vere candidi tibi soles.

Infelix Catulle, absiste tandem *nugari, et amissum habeas quod cernis perditum esse; felices dies alias tibi luxerunt, quando frequenter ibas, quo vocabat puella* illa *tantum a me dilecta, quantum nulla* alia *diligetur. Illic plura* alia *jocularia agebantur, quæ tu cupiebas, nec amica renuebat. Profecto luxerunt tibi felices dies. Illa mo-*

1 Heinsio placebat, *M. C. desine ah ineptire....duce.*—4 Pro *ducebat* Dous. F. conj. *dicebat;* idem in mentem venit Heins. et Broukh.—5 Voluerunt nonnulli *vobis.*—6 Alii *tum;* sic in Commel. Vicent. Brix. et Venett. in

NOTÆ

1 *Miser Catulle*] Miseri sunt qui amant: id norunt qui sunt amori mancipati. Virg. 'Sed misera ante diem, subitoque accensa furore,' &c.

3 *Candidi soles*] Id est, dies læti, et felices. Alludit Poëta ad illum morem, quo veteres lapillis dies notabant; felices, albis; infelices, nigris: quem morem refert Plin. l. II. Catullo accinit Horat. IV. Od. 5. 'gratior it dies, Et soles melius nitent.'

Nunc jam illa non vult: tu quoque, impotens, noli;
Nec, quæ fugit, sectare; nec miser vive:
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale, puella: jam Catullus obdurat:
Nec te requiret, nec rogabit invitam.
At tu dolebis, cum rogaberis nulla,
Scelesta, nocte. Quæ tibi manet vita?
Quis nunc te adibit? quoi videberis bella?
Quem nunc amabis? quojus esse diceris?
Quem basiabis? quoi labella mordebis?
At tu, Catulle, destinatus obdura.

do renuit, tu pariter potes nolle; nec illam sequere, quæ te refugit; nec calamitosus vitam dege; at obfirmato animo perpetere, obduresce. Vale, o amica; nunc Catullus obdurescit; nec desiderabit te, nec nolentem precabitur. Te vero pænitebit aliquando, quando minime rogaberis. Improba, cogita, quænam vita tibi superest; quis jam conveniet te? Cuinam apparebis pulchra? Quem amatorem modo habebis? Cujus amica vocaberis? Quem osculabere? Cuinam labia stringes morsiunculis? Tu vero, o Catulle, obfirmatus obduresce.

Dresd. *tamen*.—9 In Stat. et Scal. codd. mutilus erat hic versus; in Commel. extabat, teste Voss. *tuque inepte et impote;* in aliis, *impotens*, et sic in Rheg. Idem Voss. e vestigiis vet. lect. affert, *tu quoque ipse te refer;* Stat. *tu quoque impotens esto*, in cujus codd. etiam *impote*, sive *inepte;* unde conj. *tu quoque impotens noli*, vel, *tuque inepte jam nolis;* sed Avant. jam excogitaverat *noli;* reperitur etiam in marg. Heins. lib. ubi additur hæc lectio, *Jam nunc et illa non vult, tu quoque et noli:* Livin. suspicabatur legendum esse, *impote es:* Scal. restituit, *impotens ne sis*, improbante Marcil. et afferente, *tu quoque impotens: esto, Nec q. f. &c.* Heins. denique tent. *tu quoque impotem mentis, Nec, &c.* Nostram lect. servat Cant. putat tamen Vossianam amplectendam, modo pro *refert* legatur *obdura*.—14 In aliquot codd. Stat. *cum r. nulli, S. te ne;* in aliis, *nulla S. ne te;* et in aliis ejusdem, *nulla S. nec te;* unde legendum putavit, *cum r. nulla S. nocte:* in Vicent. Brix. et Venett. *nulli....ne te:* Scal. ex uno suorum codd. (in cujus marg. erat etiam, *Scelesta te ne?*) edidit, *At....nulla. S. rere quæ tibi, &c.* et ex memoria libri vet. Mur. *S. quæ nunc, quæ t. m. vita?* Voss. emend. *cum r. nullam, S. noctem*, assent. Vulp. et Cant. Heins. conj. *c. r. nulla S. nulla: quæ t. m. vita?* vel, *c. r. nulli, S. noctem:* Perr. Exc. exhibent, *quæ te tum;* unde Hand. proposuit, *c. r. nullam, S. noctem. Quæ dehinc m. vita?*—16 Alii *cui* hic et v. 18.—17 Alii *cujus*.—19 Turn. voluit, *At tu, Catulled, obstinatus obdura;* quæ lect. inquit

NOTÆ

9 *Tu quoque, impotens* [*impote*] Mancus hic versus, et varie legitur. In aliis codicibus legitur *impote*, in aliis *impotens*, in aliis *inepte;* et ubique deest pes extremus, qui nobis videtur sic posse suppleri, *tu quoque im potes nolle*, ita ut, *im*, ἀρχαϊκῶς pro, *eam*, ponatur. Aut ut Scaligero placet, *impotens ne sis*, i. e. ne nimio amore vincaris.

14 *Rogaberis nulla*] Id est, cum non rogaberis: alii legunt, *nulli*, hoc est, a nullo, seu a nemine rogaberis. Nos legimus, *nulla:* quod dixit Catullus eo fere modo quo Terent. ‘Nullus dixeris.’

Scal. Nævio, aut Andronico, quam Catullo dignior: alii corr. *At tu, C. de obstinatus:* alii, *At tu, C. de obd.* Hic versus deest in Græviana.

NOTÆ

18 *Labella mordebis*] Hoc etiam est in amantium deliciis, labella morsiunculis stringere; unde Flora illa, cui cum Cn. Pompeio apud Plutarch. stupri consuetudo erat, eum commendabat, quod nunquam ab eo non morsa potuisset discedere. Plaut. Pseud. 'Compressiones arctæ amantum compares, Teneris labellis molles morsiunculæ.' Horat. 'Sive puer furens Impressit memorem dente labris notam.'

CARMEN IX.

AD VERANNIUM.

VERANNI, omnibus e meis amicis
Antistans mihi millibus trecentis,
Venistine domum ad tuos Penates,
Fratresque unanimos, anumque matrem?
Venisti. O mihi nuntii beati!
Visam te incolumem, audiamque Hiberum

O *Veranni, mihi præstans cunctis familiaribus meis,* vel *trecentis millibus; an rediisti domum ad Lares tuos, ad fratres concordes, et ad matrem tuam?* Tandem *rediisti? O mihi felices nuntii! Videbo te sanum,* et valentem, *et auscultabo* te,

2 *Antistes* in Dresd. omnibus Stat. codd. Brix. et Venett. *Antistas* in Cuj. Colum. Vicent. et Ald. 1. Nostra lect. debetur Palladio et Avant. et probata est Vossio.—4 In Stat. codd. *unanimes, tuamque m.* vel, *uno animo, sanamque m.* sive, *uno animo, suamque m.* in Commel. et Vat. *senemque:* in Scal. lib. *unanimes suamque m.* Nostra lect. debetur Faërno, quem secuti Voss. et Ed. Cant. Marcil. ex lituræ vestigio in membranis conj. *novamque matrem,* i. e.

NOTÆ

1 *Veranni, omnibus e meis amicis Antistans* [*Antistes*] Gratulatur Verannio familiari suo reditum ex Hispania, quo ipse et Fabullus profecti fuerant, cum Caio Pisone, qui in citeriorem Hispaniam Quæstor pro Prætore missus fuerat. Hunc dicit Catullus ex omnibus suis amicis antistitem, i. e. inter omnes amicos principem. Alii legunt, *Antistans,* quod et in idem recidit. Sed omnes Mss. Codices, ac editiones antiquæ lectionem nostram repræsentant.

6 *Hiberum*] Iberi dicti sunt Hispani

Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus; applicansque collum,
Jucundum os, oculosque suaviabor.
O quantum est hominum beatiorum,
Quid me lætius est beatiusve!

ut consuetudo tua fert, explicantem regiones Iberorum, mores eorum, et *populos, et inhærens collo* tuo, *suavem vultum, et ocellos osculabor. Quid* jam *hilarius me est aut felicius ex* omnibus *hominibus quotquot beatiores sunt?*

novercam.—5 In Scal. 1. *Venisti?*—7 In eadem *nationis.*

NOTÆ

ab Ibero fluvio, *Ebro* vulgo dicto, proximi; postea tamen universa Hispania dicta est Iberia, seu Hiberia.

9 *Suaviabor*] Mos fuit apud antiquos, qui viget adhuc hodie, abeuntes ac redeuntes amicos exosculari. Unde Q. Cicero Tironi: 'Tuos oculos, etiamsi te veniens in medio foro videro, dissuaviabor.' Horat. I. Od. 36. 'Qui nunc Hesperia sospes ab ultima Caris multa sodalibus, Nulli plura tamen dividit oscula, Quam dulci Lamiæ.'

CARMEN X.

DE VARRI SCORTO.

VARRUS me meus ad suos amores
Visum duxerat e foro otiosum:
Scortillum, ut mihi tum repente visum est,

Varrus cessantem me a foro deduxerat ad videndam amicam suam, meretriculam quidem, nec inscitam, nec inelegantem, qualis mihi subito apparuit. Cum ad eam

1 *Varius* in omnibus Stat. codd.—3 In iisdem S. *ut mihi, &c.* et sic in

NOTÆ

1 *Varrus me meus*] Dubium est, quem Varrum intelligat. Scaliger negat eundem fuisse, qui cum tribus legionibus a Germanis cæsus est, quod clades illa ad minimum quinquagesimo post anno contigisse refertur. Fuit et *Varrus* contubernalis Virgilii et Horatii, qui ab Horatio

Non sane illepidum, nec invenustum.
Huc ut venimus, incidere nobis
Sermones varii: in quibus, quid esset
Jam Bithynia, quomodo se haberet,
Et quonam mihi profuisset ære?
Respondi, id quod erat: nihil neque ipsis,
Nec prætoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput unctius referret:

accessimus, multiplices sermones nobis inciderunt, inter quos qualis esset nunc Bithynia, et in quo statu versaretur, et quantæ utilitati mihi fuisset pecunia. Ego *respondi id quod* verum *erat, neque* mihi *ipsi, neque prætoribus, neque comitatui fuisse, unde ullus* nostrum *caput odoratius reportaret;* cum *præcipue* illi provin-



Dresd. Vicent. et Venett. *ut* deest in Ald. 1.—4 Omnes codd. cum Vicent. Brix. et Venett. exhibent, *neque invenustum*, probante Hand.—7 In Stat. codd. *quomodo posse haberet; τὸ posse* corruptum ex *pacto*, gloss. *τοῦ modo*, esse putavit idem Stat. sic quoque Voss. ll. qui inde procudit, *quomodo ops se h.* improb. V. D. in Obs. Mis. p. 2. 3. et suam proferente conj. *quomodo os se h.*—8 *Et quonam* in omnibus Stat. et Mel. codd. quod servant etiam Palatt. m. et p. cum Venett. Vicent. et Brix. *Et quantum* profert Scal. quasi lect. libb. vett. hoc falsum; correctio enim est Ald. 1. asterisco notata: Voss. codd. præstant, *qm.* vel *quoniam;* et sic in Dresd. Legendum putavit Scal. *quantum m. profuisset: e re Respondi,* improbante Gronov. qui conj. *Ecquonam*, ut longe antea Statius. Heins. emend. *Et quanto, &c.* quod jam proposuerat Livin.—9 Lectio *nihil neque ipsis* est ex conj. Avantii: Stat. codd. habent, *neque in ipsis;* Dresd. *nec in ipsis;* Vicent. et Brix. *mihi nec ipsis:* Avantii correctionem recepit Venet. an. 1500. Ald. vero, *nihil neque ipsi:* in Commel. invenit Voss. *nihilmet ipsis*, quod recepit Vulp. inde recentiores quidam, *nihil neque ipsis-met p.* Statii et Scal. emendationem *mihi nec ipsi* rejecit Gronov. Tandem Hand. ita tent. *Respondi i. q. erat: sibi neque ipsis, Nec p. &c.*—10 Mur. legeret, *quæstoribus;* Heins. *præconibus.*—13 Cuj. Dresd.

NOTÆ

nunc 'Varus,' nunc 'Varius' dicitur. Sunt tamen qui velint Varum et Varium eodem tempore Poëtas diversos fuisse.

7 *Jam Bithynia*] Regio est minoris Asiæ ab Euxino mari juxta Bosporum Thracium ad Propontidem protensa, quo Catullus C. Memmium Gemellum illuc a Republica Prætorem missum comitatus fuerat.

8 *Ære*] Id est, pecunia, quæ primo Servio Tullio regnante Romæ signata est pecudis imagine, unde pecunia dicta. Ut testatur Plin.

10 *Nec prætoribus esse, nec cohorti*] Hic Prætores appellantur amici Prætoris, qui quasi alteri Prætores videbantur. Nam præter cohortem prætoriam, quam a republica accipiebat magistratus in provinciam proficiscens, ipse sibi deligebat comites ac domesticos convictores; qui, ut ait Cicero, quasi ex cohorte prætoria appellari solerent. De utraque cohorte mentio est apud Cic. Epist. prima ad Q. Fratrem.

11 *Caput unctius*] Argumentum divitiarum est caput unctum. Unde

Præsertim quibus esset irrumator
Prætor, nec faceret pili cohortem.
At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur esse, comparasti
Ad lecticam homines. Ego, ut puellæ
Unum me facerem beatiorem,
Non, inquam, mihi tam fuit maligne,
Ut, provincia quod mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos.
At mi nullus erat neque hic neque illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hic illa, ut decuit cinædiorem,

ciales, *quibus esset prætor spurcus homo, nihil facerent* prætoris *comites. Saltem tamen, inquit* illa, *acquisivisti homines ad lecticam* tuam ferendam, *quod* genus *hominum in ea regione ortum esse traditur. Ego, ut me puellæ* isti *jactarem unum fuisse fortunatiorem, Non mihi, aio, res tam male cessit, ut quamvis* mihi *accidisset provincia infructuosa, nihilominus possem acquirere* mihi *octo* lecticarios *proceros; tamen nullus mihi erat, neque eo in loco, neque in illo, qui valeret imponere collo suo ruptum pedem vetusti lecti. Tunc ait illa, ut convenit impudentiori:*

Vicent. Brix. et Venett. exhibent, *non facerent;* Voss. *non faceret;* Gronov. *num facerent?* vel, *non faciens:* Lectio *nec faceret* debetur Avant. extatque in Ald. 1. et inde in alias recepta, etiam in Cant. Legendum censebat Hand. *nec facerent.*—14 Turnebi conj. *inquit id quod,* et Scaligeri *inquit* damnavit Gronov.—15 Quidam *ære,* vel *asse comp.* malebant, probante Hand. *Notum d. esse* conj. Mel.—16 In edd. vett. *hominum.*—17 Nostram lect. tuentur omnes Stat. codd. cum Cuj. Dresd. Vicent. Brix. et Venett. Avantii conj. *beatiorum* rejecit Scal.—19 Perr. Exc. exhibent *si mala:* Maff. 1. *quod mala,* ut conj. Avant. omnes alii codd. *qui mala:* Stat. emend. *quam m.* Vicent. Brix. et Venett. habent *quæ m.* Hand. conj. *quum m. i.* quoniam *qui* in *qm.* (i. e. *quum*) in codd. facile corrumpatur.—20 Ex corruptis lectt. *octo literas,* sive *litas,* sive *mines,* reposuit Voss. *octo Midas,* i. e. mancipia Bithynica.—

NOTÆ

Lucil. 'Hi quos divitiæ producunt, et caput ungunt.' Unde etiam divites uncti dicuntur: Juvenal. 'Unctamque Corinthon.' Cic. Orat. IV. c. Verrem: 'Ita Palæstritas defendebat, ut ab illis unctior discederet.'

12 *Irrumator*] A 'ruma,' hoc est, a mamma, dicitur 'irrumare,' per quandam similitudinem; est enim 'irrumare' virilia ad libidinem in os præbere, qui vero recipit, 'fellare' dicitur; unde et 'fellator' et 'irrumator,' 'fellatrix' et 'irrumatrix.'

13 *Nec faceret pili*] Id est, nihili. Sicut dixit ante, 'unius æstimemus assis;' unde et alibi idem noster Catullus: 'Ludere hanc sinit, ut lubet, nec pili facit uni.'

22 *Grabati*] Id est, lecti, seu lecticæ annosæ, et veteris, et vilis fulcrum.

24 *Cinædiorem*] Procaciorem, mol-

Quæso, inquit, mihi, mi Catulle, paulum
Istos commoda, nam volo ad Serapin
Deferri. Mane, inquii puellæ;
Istud, quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio. Meus sodalis
Cinna est Caius: is sibi paravit.
Verum, utrum illius, an mei, quid ad me?
Utor tam bene, quam mihi pararim.
Sed tu insulsa male, et molesta vivis,

Rogo te, *mi Catulle,* commoda *mihi istos tantisper: cupio enim deportari in tempore ad Serapin; hoc non est* verum *inquam puellæ, quod jam narraveram me possidere, aberravit animus;* sed *Caius Cinna socius meus sibi* istos *comparavit. Sed, quid mea refert,* an sint *illius, an mei?* nam *tam libenter* iis *utor quam* si *mihi* illos *acquisierim. At tu male inepta es, et odiosa, per quam* mihi non *conceditur oscitantem esse.*



25. 26 In omnibus Stat. codd. ut in textu nostro, præterquam in uno, in quo erat *paululum,* ut ultima syll. a sequenti excipiatur. Versus autem 26. stare, ac procedere non videtur, impediente extrema syll. τοῦ *commoda:* Stat. sic emend. *Quæso, inquit, mihi mi Catulle paululum Istos; nam volo commode ad S. &c.* pro *commoda* Scal. conj. *commodo,* i. e. in tempore: in Ald. 1. legitur, *Istos commodita, volo, &c.* V. D. in Obs. Mis. l. c. fingit in hunc modum, *Istos commoda, enim.* Voss. putat Catullum ultimam in *commoda* corripuisse. Doer. legeret commode, ut sit vocativus, i. e. benigne, ut ap. Hor. IV. Od. 8. 1. 2. sed hanc conj. damnat Hand. suam afferens, *Quæso....paulum Istos. Commodum enim volo, &c.* cui subjungit; 'codd. scriptura *commod' enim* facile potuit transire in *commoda nam.*' In Mur. codd. *ad Serapis,* ut 'ad Dianæ' ap. Terent.—27 *Mane me, inquit, puellæ* in codd. Stat. *mane tum, inquio* in Brix. et Venett. *mane tum, inquam* in Vicent. *minime, inquio* in Ald. 1. Guar. P. conj. *Ferri: mane mane, inquio,* ut sit alterum *mane,* i. q. cras. Omnes codd. Cuj. Voss. Commel. Pallatt. m. et p. et Dresd. cum Statianis conspirant: legit itaque Hand. *Mane, me....inquii puellæ,....Illud,....habere,....Fugit me, &c.* Heins. conj. *itane? inquio;* alii *manedum,* vel, *mane dum:* in Bip. 1. *Mane me, inquii:* Stat. legendum putavit, *Mane, inquio;* unde Scal. edidit ut in textu nostro.—30 *Est Cinna gravis* legeret Avant.—31 Voss. legit, *Verumne illius an mei.*—32 In Stat. codd. *pararim,* extrema lit. sic scripta, ut a figura *s* parum absit; unde conj. *paratis;* Voss. *paravit;* Guar. *parassem;* Vicent. Brix. et Venett. habent *pararem:* sed lect. nostram confirmant codd. Stat. et Dresd. —33 In Vicent. Brix. et Venett. *insulsa, mala et m. v.* unde Ald. 1. typographi errore, ut putat Hand. dedit, *insulsa male, &c.* alii, *male et nimis molesta es,* vel, *mala et nimis molesta es:* Voss. *Sed tu invisa, male et, &c.* Heins.

NOTÆ

liorem, impudiciorem.

26 *Nam volo ad Serapin*] Serapis Ægyptiorum Deus, qui et Apis et Osyris dictus est. Poteratne ire pedes? Illo tempore non licebat Serapim intra urbem habere, sed extra Pomœrium: quod testatur Dio l. IV.

30 *Cinna est Caius*] Is Caius Helvius *Cinna* dictus est Epigrammatum auctor, de quo Ovid. Trist. II. dum commemorat Poëtas, qui de rebus amatoriis scripserunt.

Per quam non licet esse negligentem.

conj. *Sed tu insulsa vale et molesta ubivis*, vel *cuivis*. Dresd. exhibet, *male ac moleste vivis*.—34 Heins. malit, *negligenti*, quod jam in mentem venit Dousæ.

CARMEN XI.

AD FURIUM ET AURELIUM.

Furi et Aureli, comites Catulli,
Sive in extremos penetrabit Indos,
Littus ut longe resonante Eoa
Tunditur unda;
Sive in Hircanos, Arabasque molles,
Seu Sacas, sagittiferosque Parthos,

O *Furi, et Aureli, Catulli socii, sive progredietur* usque *ad Indos ultimos, ubi ora verberatur fluctu Orientali procul personante: sive* pervadet *ad Hircanos, sive ad Arabas effœminatos; sive ad Sacas; sive ad Parthos sagittiferos; sive illuc*

2 Alii, *penetrarit*.—3 *Longe ubi littus* conj. Marcil. pro *resonante* Stat. malit *resonans*.—5 In edd. vett. *mollis*.—6 Passer. in vet. lib. invenit, *cotiriferosque*; vide Virg. Æn. x. 169. in marg. Heins. lib. *pharetriferosque*: sed nostræ lect. addicunt fere omnes; modo observes Catullum, more Græcorum, spondæi

NOTÆ

1 *Furi et Aureli*] Furium cognomine Bibaculum Cremonæ natum Quintilianus inter Iambicos scriptores numerat. Fuit et alter Furius, quem Cato de repetundis accusavit: utrum autem compellet Poëta, an non uterque idem, non satis liquet. Aurelius autem iste forte est L. Aurelius Cotta prætor, qui legem promulgarat de restituendis judiciis equestri ordini.

2 *Indos*] Indi sunt Asiæ populi in extremo Oriente positi, quorum regioni Indus amnis ingens, qui in mare Indicum devolvitur, nomen dedit. Extremos etiam vocat Horat. 'Impiger extremos curris mercator ad Indos.'

3 *Eoa unda*] Id est, Oceano Orientali; Eous, -a, -um, derivatum a vocabulo Græco ἠὼς, quod *Auroram* significat.

5 *Sive in Hircanos*] Hircania est Asiæ Majoris regio, ad mare Caspium, tigribus nota.

Arabasque] Arabes Asiæ populi intra sinum Persicum et Arabicum, ad

Sive qua septemgeminus colorat
Æquora Nilus;
Sive trans altas gradietur Alpes,
Cæsaris visens monumenta magni,
Gallicum Rhenum, horribilesque ulti-
mosque Britannos:
Omnia hæc, quæcumque feret voluntas
Cœlitum, tentare simul parati,
Pauca nuntiate meæ puellæ
Non bona dicta:

ubi Nilus septemplex inficit mare; sive ibit ultra excelsas Alpes, invisens tropæa magni Cæsaris, sive transibit *Rhenum Gallicanum, sive feros et extremos Britannos: vos igitur promti* mecum *una adire cuncta ista* loca, *quocumque voluntas Deorum impellat, renuntiate amicæ meæ pauca* hæc *verba minime grata,* ut *vivat et*

loco in altera regione posuisse trochæum, ut v. 15.—7 *Sive qui* in Rheg. et quibusdam Stat. codd. in Maff. l. *que*, unde legendum putavit Stat. *quæ:* Voss. ex libb. vett. profert *quis*.—9 In edd. vett. *Alpis*.—11 In omnibus Stat. codd. *horribilesque et ultimosque B.* quod Marcil. interpr. 'et ultimos quoque Britannos;' eo modo quo dicimus 'hodieque' pro 'hodie quoque,' &c. in edd. vett. *horribilis et, ultimosque.* Stat. conj. *τὸ et* delendum esse ut edidimus.

NOTÆ

Oceanum Erythræum seu Æthiopicum positi. Arabia triplex, Petrea, Deserta, et Felix. Incolæ dicuntur *molles*, vel propter cœli temperiem, vel quia sunt effœminati. Tibull. 'Quos tener e terra divite mittit Arabs.'

6 *Seu Sacas*] Sacæ sunt Scythiæ Asiaticæ populi, Jaxarti fluvio vicini, Massagetis proximi.

Sagittiferosque Parthos] Parthi sunt Asiæ populi Medis vicini, qui bella quondam sagittis conficiebant; unde *sagittiferos* eos vocat Poëta.

7 *Septemgeminus Nilus*] Ægyptum intelligit, quam Nilus in septem alveos divisus pervadit. Unde Virg. 'Et diversa sonans septem discurrit in ora, Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena.'

9 *Alpes*] Montes sunt altissimi, quondam imperio Romano saluberrimi, qui Galliam et Germaniam ab Italia dividunt. Dicuntur a Mela, a Genua Liguriæ oppido longo cursu, diremtisque variis populis, in Thraciam usque penetrare.

10 *Cæsaris magni*] Ipse est Cæsar, cujus multa in Gallia extiterunt tropæa, et victoriæ partæ.

11 *Gallicum Rhenum*] Rhenus qui Gallos a Germanis dirimit, 'Gallicus' dicitur, ad differentiam alterius Rheni illius, qui per agrum Bononiensem fluit.

12 *Britannos*] Incolæ sunt Britanniæ, quæ olim 'Albion' dicta fuit, nunc 'Anglia:' dicuntur Catullo *horribiles*, vel quia asperi sunt et inculti, et hospitibus feri; unde Horat. 'Visam Britannos hospitibus feros:' vel quia quondam corpora inficiebant. Dicuntur 'extremi' et 'ultimi,' quia sunt in extremo terrarum termino positi.

Cum suis vivat valeatque mœchis,
Quos simul complexa tenet trecentos,
Nullum amans vere, sed identidem omnium
Ilia rumpens.
Nec meum respectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit; velut prati
Ultimi flos, prætereunte postquam
Tactus aratro est.

valeat cum suis scortatoribus, quos pariter trecentos amplexa habet, neminem ex iis *sincere diligens, sed* * * * *Neque cogitet, sicut prius, amorem meum, qui ejus vitio extinctus est, tanquam flos extremi prati, ubi transeunte aratro violatus est.*



—21 Nostram lect. confirmant omnes Stat. codd. in edd. vett. *spectet, velut ante, amorem:* in marg. lib. cujusdam, *speret velut.*—22 Heins. nimia festinatione, pro *prati,* legi jubet *parati,* cum jam versus est hypermeter.—23 In nonnullis edd. vett. *Ultimus;* sed omnes codd. exhibent *ultimi:* mox pro *Tactus* Thuan. habet *Fractus;* et edd. vett. nonnullæ *Tractus:* unde Voss. proponit, *Stratus.*

NOTÆ

19 *Identidem*] Sæpe. Suetonius in Domitiano: 'Recuperatores ne se persuasoriis assentationibus accommodarent identidem admonuit.' Idem in Vespasiano: 'Dum eum identidem per contumeliam fratris appellat.' Et inferius dicet Catullus: 'Qui sedens adversus identidem te Spectat et audit.' Cic. in Somn. Scipionis: 'Hanc ego admirans referebam tamen oculos ad terram identidem.'

Omnium Ilia rumpens] Neminem, inquit, vere amat, sed omnibus utitur ad satiandum libidinis suæ indomitæ immoderatum appetitum. *Rumpens* vero dixit ex æmulatione, dum unusquisque putat alterum sibi anteponi in amore. Virgil. 'Invidia rumpantur ut ilia Codro.' Vel quia omnibus dat, et *ilia* libidine consumuntur. 'Ilia,' ut scribit Plin. lib. II. 'appellantur arteriæ quædam quæ inter vesicam et alvum sitæ tendunt ad pubem.' In singulari vero secundæ declinationis invenitur. Plin. l. XXX. hoc et medetur et tussi veteri, inde 'iliosi' qui morbo illo laborant, id est, λαγονοπονία. *Sed identidem omnium:* in hoc carmine syllaba una est superflua, quæ abjicitur ob vocalem priorem subsequentis carminis, ut sæpe fieri novimus; sic et in sequenti carmine, *prati Ultimi flos.*

22 *Prati Ultimi flos*] Elegans comparatio, qua demonstrat Poëta amorem suum extinctum.

CARMEN XII.

AD ASINIUM.

MARRUCINE Asini, manu sinistra
Non belle uteris in joco atque vino:
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te, inepte,
Quamvis sordida res et invenusta est.
Non credis mihi? Crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Expecta, aut mihi linteum remitte,
Quod me non movet æstimatione,

Asini Marrucine, male uteris læva tua *manu per lusum et vinum;* nam *furaris lintea incautiorum.* An *existimas hoc jocosum esse? Nescis,* homo *insulse, quam turpis sit et inurbana res illa. Non mihi fidem habes? Fidem habe germano* tuo *Pollioni, qui cupiat etiam talento redimi compilationes tuas.* Ille *namque facundus juvenis gratiarum, ac venustatis* plenus *est. Itaque aut expecta a me trecentos Phaleucos, aut redde mihi linteum* meum, *quod me minime tangit pro pretio* suo,

1 *Inter cœnam, Assini* legebat Avant. quod in Aldd. et aliis propagatum est, improb. Mur. et Scal.—8 Voss. e Vat. affert *Mulctari;* sed vulg. præferenda, quia vel maxime decet fratrem, quovis pretio fratris culpam redimere velle. —9 'Passer. et Voss. legi volunt *Difertus* pro *Differtus;* sed primum hæc locutio æque exemplo caret, ac nostra *leporum Disertus;* deinde vix dici posse puto in bonam partem *leporum Differtus.* Nonnulli *pater* pro *puer,* male,

NOTÆ

1 *Marrucine Asini*] Asinius ille, fur linteorum, et 'Marrucinus' per contemptum, quasi stolidus dictus, frater fuisse dicitur illius Asinii Pollionis, cujus elegantiam in scribendo ita prædicat Quintilianus, ut ei primas post Ciceronem eloquentiæ partes tribuere videatur.

9 *Disertus puer*] Pueros etiam adolescentes vocabant, quamdiu viri non erant. Guarinus legit *pater,* i. e. auctor, inventor facetiarum; quod satis placet. Forsan Catullus non scripsit, *Disertus,* sed *Difertus,* quia veteres non geminabant consonantes, teste Festo: unde *Difertus* dicebant pro *Differtus.* Sic Horat. 'Forum Appii Differtum nautis.'

Verum est mnemosynon mei sodalis.
Nam sudaria Sætaba ex Hiberis
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Verannius. Hæc amem necesse est
Ut Veranniolum meum et Fabullum.

sed est monumentum amoris *socii mei. Nam Fabullus et Verannius dono dederunt mihi ex Iberis hæc lintea Setaba. Oportet* autem, *ut illud carum habeam, quomodo Verannium et Fabullum meum.*

judicante Voss.' *Doer.*—13 Scal. legit, *mnemosynum*, contra codd. fidem.—14 Ex corrupta lect. *Setaba exhibere* fecit Voss. *Setabe ex Hibera*, ut sit ipsum urbis nomen. Sed cum plurimæ edd. et libri scripti offerant *Setaba*, et plane eodem modo 'Sudarium Setabum' dicatur Carm. xxv. 7. tenenda est nostra lectio. Rectius autem per diphthongum exhibetur *Sætaba*, quod ex nummo antiquo ab Antonio Augustino memorato Dial. vii. in quo SÆTABIS scribitur, probatum ivit Drackenb. ad Sil. Ital. iii. 374.—16 Alii, quos secuta Bip. pro *Hæc* legunt *Hoc*, ut referatur ad *linteum*: Dresd. habet *Hic amem.... Et*; in nonnullis edd. quoque *Et* pro *Ut*.

NOTÆ

13 *Mnemosynon*] Vocabulum Græcum, *μνημόσυνον*, Latine *monumentum*, *pignus*, et, si dici potest, *memoriale*; linteum enim illud datum fuerat Catullo, tanquam amoris pignus.

14 *Sudaria Sætaba*] Urbs est citerioris Hispaniæ apud Contestanos Setabis appellata, in cujus agro linum nascitur exquisitum, ex quo conficiuntur lintea pretiosa, quæ 'Setaba' vocant, seu 'Setabina:' est et amnis in eadem regione Setabis nomine secundum Strab. Melam, et Plin.

Hiberis] Iberi sunt Hispani, ut supra vidimus. Lucan. 'Si tibi durus Iber, vel si tibi terga dedisset Cantaber.'

CARMEN XIII.

AD FABULLUM.

Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Di favent, diebus,

Mi Fabulle, si te Di amant, bene cœnabis domi meæ intra aliquot dies: si tecum

2 Voss. dedit *favint* pro 'faverint,' ex antiq. lect. *faxint*, improbante Doer.

Si tecum attuleris bonam atque magnam
Cœnam, non sine candida puella,
Et vino et sale, et omnibus cachinnis.
Hæc si, inquam, attuleris, venuste noster,
Cœnabis bene: nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores,
Seu quid suavius elegantiusve est:
Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres Cupidinesque:
Quod tu cum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

apportaveris cibos multos et bonos * * *nec absque mero, risu, et omnibus facetiis. Si ista, inquam, apportaveris, mi jucunde* amice, *bene cœnabis* mecum; *nam crumena tui Catulli referta est araneis. Tu vicissim referes a me sincerum amorem, aut* si *quid* aliud *est jucundius aut venustius; etenim conferam* tibi *unguentum, quod Gratiæ et Amores largiti sunt amicæ meæ. Quando tu illud odoraberis, precaberis Cælites,* o *Fabulle, ut te totum nasum efficiant.*



at sic penult. contra leges Hendecasyllabi longa est.—6 *Fabulle noster* Venet. Gryph. et aliæ edd. vett.—9 In Vicent. Brix. et Venett. *meos amores;* et sic conj. Statius: in Ald. 1. Mur. Voss. et Vulp. *meros.*—10 *Seu quod* malit Doer. improbante Hand.

NOTÆ

8 *Plenus sacculus est aranearum*] Significat sibi non sufficere unde cœnam paret, cum in marsupio nihil sit præter araneas: juxta illud, Afranius apud Festum, 'Jamne arcula tua plena est aranearum?'

11 *Unguentum dabo*] In conviviis veteres uncti discumbebant; quod nobis pluribus in locis indicant Horat. et Martialis. Unde Catullus amico promittit unguentum fragrantissimum, tanta elegantia et venustate comparatum, ut olfaciens Deos rogabit, ut se totum nasum faciant.

14 *Totum ut te faciant nasum*] Tanta enim olfaciendi voluptate detineberis, ut sis optaturus totum corpus tuum ad illam consequendam in nasum converti.

CARMEN XIV.

AD CALVUM LICINIUM.

NI te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes poëtis?
Isti Di mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.
Quod si, ut suspicor, hoc novum ac repertum
Munus dat tibi Sylla literator:
Non est mi male, sed bene ac beate,
Quod non dispereünt tui labores.
Di magni, horribilem et sacrum libellum,

O *Calve suavissime, nisi ipse diligerem te plus oculis meis, teipsum hoc* tuo *dono odissem odio Vatiniano. Quid enim ego commisi? aut quid dixi, quamobrem me male profligares tam multis poëtis? Superi multa incommoda inferant* tuo *isti clienti, qui tibi dedit tot* carmina *flagitiosa: quod si, ut conjicio, Sylla Grammaticus tibi donum istud mittit, novum, et* recens *inventum: non male* tibi *est, mi* amice, *immo vero bene ac prospere* succedit, *quod tua opera non perit. Magni Cælites* perdant *hunc horrendum et execrandum librum, quem tu videlicet dedisti*

5 In edd. vett. *Ut me tot malis:* Avant. legeret, *Ut m. t. male:* in omnibus Stat. codd. *Cur m. t. malis.*—6 Voss. edidit *dant.*—8 Nostram lect. servabant Stat. codd. in Dresd. pro *ac* legitur *et;* Stat. conj. *hoc repertum;* Voss. *ac refertum,* improbantibus Doer. et Hand.—9 Nonnulli *Sulla;* Mur. et alii

NOTÆ

2 *Jucundissime Calve*] Fuit ille Cornelius Licinius Calvus, cujus meminit Quintil. insignis Orator, item et Poëta, qui Saturnaliorum diebus, quo tempore munera sibi invicem mittere consuevissent, Catullo per jocum miserat multa Carmina obscurorum quorundam Poëtarum.

3 *Odio Vatiniano*] Odio quo populus Romanus prosecutus est Vatinium, quem omnibus odiosum fuisse Ciceronis in eum testatur Oratio: 'Odio enim tui,' inquit, 'in quo etsi omnes propter tuum in me scelus superare debeo, tamen ab omnibus vincor,' &c. Potest et intelligi odium, quo Vatinius flagrabat in Ciceronem.

9 *Sylla literator*] Sylla Grammaticus; ita vocabantur olim Poëtarum interpretes. Vide Sueton. de Claris Gramm. cap. 4.

Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo ut die periret,
Saturnalibus, optimo dierum.
Non, non hoc tibi, salse, sic abibit.
Nam, si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia: Cæsios, Aquinios,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, unde malum pedem tulistis,
Sæcli incommoda, pessimi poëtæ.

* * *

Si qui forte mearum ineptiarum

ad Catullum tuum, ut toto die perderetur ipsis *Saturnalibus dierum auspicatissimo. Non* certe, *non hoc tibi sic erit impune,* o *facete; nam simul atque diluxerit, ego percurram omnes tabernas bibliopolarum, et coacervabo Cæsios, Aquinios, Suffenum, et omnes pestes, teque compensabo hac pœna. Interim vos, o vates perditissimi,* hujus *ætatis exitia, facessite hinc, et recedite eo, unde infaustum pedem exportastis.* * * * *Si igitur aliquando legetis lusus meos, et non metuetis adhibere manus vestras scriptis meis;* * * *

Sylla; in edd. vett. *Sillo,* vel *Silo.*—16 *Non modo hoc tibi* tentabat Voss. improbante Doer.—18 Ex conj. Turn. *Aquinios;* in vett. edd. *Aquinos.*—22 In edd. ante Scal. *attulistis,* cui lect. nostra debetur.—24 'Contra Mss. et libb. vett. fidem in nonnullis edd. attexuntur hi quatuor versiculi Carm. XVI. ubi apparent etiam in Bip. Versus quartus, *Pædicabo, &c.* qui abest in libb. vett. debetur Vossio. Videntur omnino hi versus ἀποσπασμάτια longioris Carminis, temporis injuria nobis erepti, quos frustra ceteris poëtæ Carminibus assuas vel infercias. Incommode certe adjecti sunt Carm. XVI. Nos in assignando his versibus loco secuti sumus auctoritatem Mss. ad quam Stat. et ed. Cant. provocant. In versu primo male legitur in Bip. *qua;* et *cui* vitiose in ed. 1. Mur.' *Doer.*

NOTÆ

15 *Optimo dierum*] Optimum dierum dicit Saturnalia; quia his diebus omnes, omni cura laboribusque vacui, jocis et lusibus dediti, genio indulgebant, et pueri plaudentes clamabant, 'Io Saturnalia, hodie bona Saturnalia:' celebrabantur mense Decembri, quinque, vel, ut aliis placet, septem diebus. Vide Macrob.

18 *Cæsios, Aquinios*] Cæsius, Aquinius, et Suffenus videntur fuisse maledici, ac mordaces impudicorum Carminum scriptores.

19 *Venena*] Hoc est, mala poëmata pessimorum Poëtarum.

24 *Ineptiarum Lectores*] Carmina sua vocat 'ineptias,' ut antea dixit 'nugas.' 'Ineptiæ' vero maxime sunt in obscœnis; ut jam supra Carm. VI. 14. 'Ni tu quid facias ineptiarum.'

Lectores eritis, manusque vestras
Non horrebitis admovere nobis:
Pædicabo ego vos, et irrumabo.

CARMEN XV.

AD AURELIUM.

COMMENDO tibi me ac meos amores,
Aureli. Veniam peto pudentem,
Ut, si quicquam animo tuo cupisti,
Quod castum expeteres, et integellum,
Conserves puerum mihi pudice:
Non dico a populo: nihil veremur
Istos, qui in platea modo huc, modo illuc
In re prætereunt sua occupati:
Verum a te metuo, tuoque pene,
Infesto pueris bonis, malisque.
Quem tu, qua lubet, ut lubet, moveto

O *Aureli, ego tibi committo meipsum et delicias meas:* hoc *beneficium verecundum* te *rogo, ut si destinasti mente tua quidpiam, quod appeteres pudicum et intactum, tuearis mihi caste puerum* meum. *Non, inquam, a vulgo; nequaquam metuimus illos, qui detenti negotiis suis, nunc eo, nunc illo transeunt in via publica;*

11 In codd. vett. deerant verba, *ut lubet;* in suo invenerat Stat. *Quem tu qualubet ve moveto*, unde conj. *Quem tu, qualubet, ut velis moveto;* sed prætu-

NOTÆ

9 *Tuoque pene*] Penis caudam a pendendo, sed membrum virile etiam significat. Juvenalis: 'Noverunt Mauri, atque Indi, quæ psaltria penem Majorem,' &c. Et alibi: 'An facile et pronum est agere intra viscera penem,' &c.

10 *Infesto pueris bonis, malisque*] Id est, omnibus pueris, tam his qui ob formæ pulchritudinem apti sunt, quam his qui ob deformitatem non sunt ad libidinem idonei; sicut superius in Carm. VI. 'Quare quicquid habes boni malique Dic nobis.'

11 *Quem tu moveto*] *Quem*, scilicet penem, *tu moveto*, ex libidine.

Qua lubet] Scilicet ratione.

Ut lubet] Hoc dicit quantum ad

Quantum vis, ubi erit foris paratum.
Hunc unum excipio, ut puto pudenter.
Quod si te mala mens, furorque vecors
In tantam impulerit, sceleste, culpam,
Ut nostrum insidiis caput lacessas;
Ah! tum te miserum, malique fati,
Quem attractis pedibus, pâtente porta,
Percurrent raphanique, mugilesque.

sed huic *timeo a teipso* * * * *hunc solum eximo*, et quidem *modeste, ut opinor. Sin* autem *improbus animus, et amor insanus incitaverit* te, o *scelerate, ad tantum crimen, ut impetas vitam meam fallaciis* tuis: *tunc vero, a te infelicem, et sortis infaustæ! quem penetrabunt Raphani, et Mugiles, pedibus adductis, et aperta janua.*

lit vulg. *moneto* in edd. vett.—12 In Stat. codd. *tibi* pro *ubi;* posterius servat Maff. I.—17 *A* sine aspiratione in libb. vett. *At te tum miseri* Græv. *miseri* quoque tuetur Corrad.—18 In Commel. et ed. Voss. *atratis;* Mel. conj. *artatis*, i. e. 'arctatis;' in aliis *adstrictis*.

NOTÆ

modum, vel per quoscumque locos, vel qua lubet hora.

12 *Quantum vis*] Hoc quantum ad multitudinem, quasi dicat crebro.

Ubi erit foris paratum] Id est, quando habebis extra domum paratum, cum quo libidinem exerceas.

18 *Patente porta*] Ut pertranseuntes videre possint, in majus Aurelii dedecus, supplicium, quod ipsi minatur Catullus.

19 *Raphanique, mugilesque*] Hic erat mos ab Atheniensibus institutus, ut quos in adulterio deprehendissent, aliave simili turpitudine, eorum in anum raphanos aut mugiles, marinos pisces, magno cum cruciatu per vim immitterent. Unde et Juvenal. 'quosdam mœchos et mugilis intrat.'

CARMEN XVI.

AD AURELIUM ET FURIUM.

PÆDICABO ego vos, et irrumabo,

NOTÆ

1 *Pædicabo ego vos*] Excusat carminum suorum lasciviam, et jocose Aurelium et Furium, a quibus scripta sua taxabantur, pædicaturum minita-

Aureli pathice, et cinæde Furi;
Qui me ex versiculis meis putatis,
Quod sint molliculi, parum pudicum.
Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum: versiculos nihil necesse est;
Qui tum denique habent salem ac leporem,
Si sunt molliculi, ac parum pudici,
Et, quod pruriat, incitare possunt;
Non dico pueris, sed his pilosis,
Qui duros nequeunt movere lumbos.

* * * *Tu Aureli, et tu Furi, me minus castum æstimatis ex versibus meis, quod sint paulo solutiores. Par est* quidem *sanctum Poëtam ipsum* per se *pudicum esse,* sed *non est opus* ipsius *versus* perinde castos esse, *qui tunc maxime condimentum habent et venustatem, cum lascivi sunt et obscœni,* * * * *Vos* vero *exis-*

3 In Cant. *putastis;* et sic etiam infra, v. 13.—8 In Commel. et Palat. p. *Si sint.*—9 In Commel. *possint.*—10 In paucis codd. legitur, *iis pilosis:* in quibusdam impressis, *hispidosis,* auctore Avantio; et sic in marg. Commel.—

NOTÆ

tur. Versus vero Hendecasyllabus est.

Pædicabo] *Pædicabo* verbum est obscœnum, et cum masculis libidinem exercere significat. Quam Julius Firmicus præposteram appellat: unde 'pædicones' dicti; qui vero libidinem patiuntur, 'pathici' et 'cinædi' dicuntur. Hi ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὰ αἰδοῖα, id est, *a movendo pudenda.* Illi vero, vel ab aoristo ἔπαθον hujus verbi, πάσχω, vel a *patior,* et sic sine aspiratione scribendum erit.

5 *Castum poëtam*] Poëtas decet esse viros probos, etsi versus eorum sunt lasciviores. Unde Martial. 'Lasciva est nobis pagina, vita proba.' Et Ovid. 'Crede mihi distant mores a carmine nostri: Vita verecunda est, Musa jocosa mihi.' Notum etiam illud: 'Lascivus versu, mente pudicus erat.'

7 *Habent salem ac leporem*] Corruptos mores ostendit hominum, quibus non placerent versus, nisi essent 'molliculi, ac parum pudici;' quod etiam testatur Martial. lib. I. Epigr. 36. ad Cornel. 'Lex hæc carminibus data est jocosis, Ne possint, nisi pruriant, juvare. Quare, deposita severitate, Parcas lusibus et jocis, rogamus, Nec castrare velis meos libellos.'

9 *Et possunt*] Supplendum iterum 'si,' ut sit ordo: *Et si possunt incitare quod pruriat.* Sensus vero erit, Si his verbis compositi sunt, ut Venerem movere possint: 'pruritus' enim dicitur, cum membrum tentigine erigitur.

10 *Non dico pueris*] Quia facile per ætatem ad venerem incitantur.

Sed his pilosis] Id est, senioribus, qui non nisi cum difficultate arriguntur. Alii *hispidosis* legunt, eodem sensu. 'Hispidum' enim asperum dicimus, et horridum, et setosum. Virgil. 'cui laterum tenus hispida nanti Frons hominem præfert.'

11 *Nequeunt movere lumbos*] Sunt

Vos, quod millia multa basiorum
Legistis, male me marem putatis:
Pædicabo ego vos, et irrumabo.

timatis me minus virum esse, *quia legistis plura millia osculorum.*

12 *Vos quot* in codd. antiq. *Vosque* in Palat. p. *qui* in marg. Commel. *Vos, qui* Cant. Scal. primus dedit *quod* ex prisca scriptura *quot*, ut 'set' pro 'sed,' 'haut' pro 'haud.'—14 Vide vv. ll. in Carm. XIV. vs. 24.

NOTÆ

lumbi in corpore a cinctura ad nates, a quibus venereus liquor defluit. Hinc illud est in Priapeis: 'Crissabit tibi fluctuante lumbo.' Deficiente igitur ipsa materia, aridi et duri fiunt lumbi, et sic moveri, ut prius, non possunt.

CARMEN XVII.

AD COLONIAM.

O COLONIA, quæ cupis ponte ludere longo,
Et salire paratum habes: sed vereris inepta
Crura ponticuli assulitantis, irredivivus

O Colonia, quæ in longo ponte tuo *lusitare optas, et saltare præsto es: sed times tremuli pontis sublicas minus firmas, ne irreparabilis præceps ruat, et in profundo*

1 In Dresd. et omnibus Stat. codd. *quæ cupis ponte lædere longo;* in Ald. Gryph. et Mur. *quem:* Voss. pro *longo* dedit *ligneo*. Corruptum *lædere* omnium codd. et vett. edd. jam Perr. mutavit in *ludere*.—2 *En* habent nonnullæ edd. vett. *Et* Stat. codd.—3 Scal. ex ingenio dedit, *adsulitantis:* omnes codd. Stat. et Voss. exhibent, *ac sulcis tantis;* Dresd. *ac sulci tantis;* in Vicent. Brix. Venett. Ald. 1. Guar. et aliis, *sub his totus:* Stat. emend. *assu-*

NOTÆ

1 *O Colonia*] Quænam hæc Colonia sit, non satis liquet: Scaligero dubium non est quin sit Novum Comum, quod antea Comum appellatum. Eo postea deductis a Julio Cæsare quinque colonorum millibus, Novum Comum appellatum est, Colonia ad lacum Larium sita.

3 *Crura ponticuli*] Columnas ligneas, seu sublicas pontis: id est, ti-

Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat:
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsulis sacra suscipiantur:
Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.
Quendam municipem meum de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum, per caputque pedesque:
Verum totius ut lacus putidæque paludis

lacu subsidat: ita tibi pons validus fiat ex tua sententia, in quo etiam Salisubsuli cærimoniæ perficiantur: tribue mihi hoc beneficium, o Colonia, maximi joci. Cupio quempiam civem meum transversum agi per caput et pedes de tuo ponte in cœnum; sed ea parte, qua sordidissimum et maxime altum est baratrum totius stagni;

lis tantis; et Voss. *asculis stantis:* unde Hand. fecit, *assulis tactis.* Quid si legamus *assulis fractis?* In tribus Mel. codd. *irredivivis;* in Dresd. Commel. et Vicent. *in redivivis,* ortum ex vocis male accept. separatione; in Rheg. *in reclivis:* sed *irredivivus* agnoscunt omnes Stat. codd. Heins. tentabat, *irrecidivus.*—6 In Stat. codd. *Salisubsuli,* sive, *Salisubsili sacra suscipiant;* et sic in Voss. II. Nostra lect. est ex conj. Statii: Voss. proposuit, *Salii ipsulis s. suscipiunto,* quem secutus Vulpius: Avant. dedit, *Saliaribus s. suscipiantur;* Mur. *Salisubsuli s. suscipiuntur,* cui subjungit, 'Salisubsulum vocat Martem Pacuvius;' sed graviter reprehensus est a Voss. ob fraudem loci laudati, cujus nec vola nec vestigium extat. In quibusdam vett. edd. legitur, *Salii,* vel *Subsalii s. suscipiant:* Corrad. dedit, *In quo vel salis subsilis, sarta suscipiantur.*—

NOTÆ

mes ne pons totus ita corruat, ut non possit amplius instaurari.

6 *Vel Salisubsulis sacra suscipiantur*] Sensus est: Ita bonus et validus fiat pons iste tuus, ut in eo etiam sacra Martis perfici possint. Mars enim veteribus Latinis dictus est 'Salisubsulus.' Ut apud Pacuvium, teste Mureto: 'Pro imperio sic Salisubsulus vostro excubet.' Sacra autem Martis ita celebrabantur, ut Ancilia a Saliis ejusdem Dei Sacerdotibus per urbem magnis tripudiis et saltationibus portarentur. 'Ancilia' porro scuta illa erant, quæ in templo Martis servabantur, et quæ quando bellum erat gerendum Consul movebat dicens, 'Mars vigila.' Alii cum Scaligero legunt, *suscipiunto,* voluntque ut *Salisubsuli* dicantur etiam Salii Sacerdotes; sed hoc nullius satis idonei testis fide firmatum reperio, solaque pro hac sententia auctoritas affertur Catulli, quam nunc explicamus, quæque Scaligero non favet. Salii porro dicti sunt omnes Ludii et saltatores, qui ad cantum et tibiam in sacris ludebant. Hinc illi apud Virgil. Æn. VIII. qui ad sacra Herculis saltabant, Salii dicti: 'Tum Salii ad cantus incensa altaria circum Populeis adsunt evincti tempora ramis.' Præcipue vero Salii appellantur Sacerdotes Martis a Numa Pompilio instituti, quibus mos esset in portandis Ancilibus saltare. Vide Livium et Dionys. Hal.

8 *Municipem*] Idem est, ac si 'Veronensem' diceret. 'Municeps' enim 'meus' is est, qui ex eodem est quo ego sum municipio. Qui vero sint Municipes declarant Festus, in vocabulo illo Municeps, et Aul. Gell. lib. XVI.

Lividissima, maximeque est profunda vorago.
Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula patris dormientis in ulna.
Quoi cum sit viridissimo nupta flore puella,
Et puella tenellulo delicatior hædo,
Asservanda nigerrimis diligentius uvis;
Ludere hanc sinit, ut lubet, nec pili facit uni,
Nec se sublevat ex sua parte, sed velut alnus
In fossa Liguri jacet suppernata securi,

et paludis lutulentæ. Is *est homo stolidissimus, neque tam sapit, quam infans duorum annorum, quiescens in brachiis trementibus genitoris. Cui quamvis nupserit adolescentula vigentissimo* ætatis *flore, quæ molliculo hædo tenerior, studiosius* est *tuenda racemis nigerrimis; ipsam jocari patitur, ut placet, nec ipsam æstimat unius pili,* * * * *at desidet tanquam alnus in fovea Ligustica bipenni succisa, perinde*

13 Heinsii liber in marg. habet, *matris d. in ulna.*—14 In Dresd. et aliis cum Vicent. Brix. et Venett. legitur, *Cui jocum*, vel *Cui sit jocus*, quam lect. cum metro non apta esset, correxerunt Avant. et Guar. ut in textu nostro, eosque secuti sunt recentiores. Legeret Hand. *Cui jocus v. n. f. puella est, &c.*—15 *Et* habent codd. *Ut* Vicent. Brix. et Venett. Heins. conj. *Sit* vel *Sed;* Doer. *Ah.* Nostra lect. probata est Handio, qui τὸ *Et* interpretatur 'et quidem.'—19 *Liguris* in nonnullis; *Liguri* ap. Fest. *Ligeris* in paucis. Politianus legebat, *expernata*, aut *suppernata;* Avant. et Mur. *separata;* sed ap. eund. Fest. *supernata;* unde Scal. conj. *subpernata:* in quibusdam *superata,*

NOTÆ

13 *Bimuli*] Per formam diminutivam, qua multum delectatur Poëta, sumiturque hic 'Bimulus,' pro 'Bimus,' id est, duorum annorum.

16 *Nigerrimis uvis*] Maturissimis, quæ nempe tunc maxime sunt a furibus custodiendæ, quæque aliunde magno sunt in aëris discrimine. Virgil. 'Maturisque nimis metuendus Jupiter uvis.'

18 *Nec se sublevat ex sua parte*] Ipse permittit illam moveri, nec se movet vicissim supra illam crissantem, quemadmodum nec navis in fossa Liguri movetur. Qui vero exponunt, *Nec se sublevat*, nihil providet, nihilque consulit sibi conjugii oneribus oppresso, mea quidem sententia Poëtæ sensum non percipiunt.

19 *Liguri*] Mirum est quantum hic locus torqueat interpretes. Alii volunt hac voce *Liguri* intelligi fossam aliquam in regione Ligustica. Alii dicunt nomen esse proprium alicujus fossæ in agro Veronensi Catullo cognitæ, nobis ignotæ. Alii volunt hic ideo dici *Liguri securi*, quod optimæ fierent secures in Liguria. Ego quidem putem legendum esse *Liguri....securi*, quod nempe Ligures ad Apenninum siti ligna cædendi peritia præstarent, lignariæque negotiationi inprimis studerent. Ut facile intelligitur ex verbis Julii Capitolini in Pertinace cap. I.

Suppernata [*separata*] Id est, excisa, cæsa. Communem sequimur lectionem antiquosque codices, quicquid vociferetur Scaliger, qui vult legi *suppernata*. Quod tamen non damnamus, sed metri rationem servamus,

Tantundem omnia sentiens, quam si nulla sit usquam:
Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.
Ipse qui sit, utrum sit, an non sit, id quoque nescit.
Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repente excitare veternum,
Et supinum animum in gravi derelinquere cœno,
Ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

cuncta percipiens, quasi illa non sit uspiam; ejusmodi est meus iste stupidus, nec quicquam cernit, nec audit; ignorat etiam quis sit ipse, an ipse sit omnino, necne. Jam ipsum opto præcipitem agere de tuo ponte, si forte *potest subito excutere ineptam segnitiem, et mentem desidem in fœtido luto relinquere, quemadmodum mula soleam ferream in gurgite uliginoso* solet relinquere.

vel, *seu parata.*—20 Stat. conj. *quasi*, improbante Ed. Cant.—21 Passer. malit *merus stupor.*—22 Omnes Stat. et Mur. codd. habent, *qui sit;* edd. vett. *quis sit:* Heins. conj. *Is se quis sit*, vel, *Is se qui sit.*—23 *Hunc ego eum* in Commel. et edd. vett. Stat. conj. *Hunc eum volo*, ut est in Palat. p. In nonnullis codd. *Nunc eum volo me de tuo;* unde Scal. conj. *Nunc eum volo me e tuo.*—24 *Si potest olidum* in edd. vett. auctore Avant. Emendatio *Si pote stolidum* debetur Victorio.

NOTÆ

nec inanes metaphoras assectamur. Suspicio porro vehemens injicitur ex fragmentis Festi, quæ supersunt, codices antiquissimos habuisse, *subpernata;* quod idem est ac excisa, et succisa. Subpernare enim est poplites succidere, et, ut ita dicam, suffraginare, Græcis *ἀγκυλοκοπεῖν*, et *ἐκνευρίζειν*, Gallice *ejarreter*.

21 *Meus stupor*] Id est, stupidus. Vitium ponitur pro vitioso cum insigniter ac summe vitiosus significatur. Ut cum dicitur de perdito cive, quod sit pernicies et pestis Reipublicæ aut patriæ. Sic apud Terent. 'Ubi illic est scelus qui me perdidit?' i. e. ille homo sceleratus. Ut cum de insulso et fatuo apud eundem Terent. in Heautont. 'In me quidvis harum rerum convenit, Quæ sunt dicta in stultum; caudex, stipes, asinus, plumbeus.'

24 *Veternum*] Lethargus; Cornelio Celso est 'inexpugnabilis dormiendi necessitas;' licet multi dicant hac voce hydropem tantum significari. Celso consentit Virgil. 'Nec sua regna gravi passus torpere veterno.' Plin. lib. VIII. 'Primis diebus septenis tam gravi somno premuntur, ut ne vulneribus quidem excitari queant; tunc mirum in modum veterno pinguescunt.'

CARMEN XVIII.

AD HORTORUM DEUM.†

HUNC lucum tibi dedico, consecroque, Priape,
Qua domus tua Lampsaci est, quaque sylva, Priape.
Nam te præcipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia, ceteris ostreosior oris.

O *Priape, dico tibi, et addico hunc lucum*, sive teneat *te domus tua, quæ Lampsaci* est, seu *sylva, quæ* illic est tibi dicata. *Veneratur enim te inprimis regio Hellespontiaca in suis oppidis*, quæ *ostreosior* est *reliquis littoribus* maris.

Hoc et duo sequentia Carmina, quæ Catullo tribuenda existimaverunt VV. DD. desunt in codd. sed leguntur inter Priapeia in Catal. Vet. Poët. Scal. c. 85. in Priap. Sciopp. c. 86. et in Anthol. Vet. Lat. Poët. Burmanni II. lib. VI. 85. Tom. II. p. 567. Hoc autem citatur a Terent. Mauro, de Metris, inter Gramm. Vett. p. 2444.—2 *Quæ domus....quæque silva* in Bip. Apud Terent. Maur. olim vox *sylva* deerat, ut e Mur. et Stat. annott. intelligi potest. Pro *Qua* et *quaque* Doer. conj. *Quoi* et *quoique*.

NOTÆ

† Hocce, et quæ duo sequuntur Epigrammata in *Priapum Hortorum Deum* composita, inter Virgilii Catalecta reperiuntur; Catullo tamen tribuuntur ab eruditis viris, tum propter styli affinitatem, tum quod Terentianus Maurus ipsum tali Carmine in Priapum lusisse scribat. Hæc igitur, ut quasi postliminio ad auctorem redeant suum, adscripsimus.

1 *Priape*] Priapus Liberi Patris et Veneris filius, ab antiquis hortorum Deus et custos habitus, Lampsaci ad Hellespontum Troadis in urbe non ignobili natus est. Priapus etiam Straboni et Plinio urbs est ad Hellespontum, a Priapo Deo sic dicta, in qua et coli cœptus est. Priapum porro Deorum antiquissimum esse, eundemque cum sole et Baccho, scripsit Orpheus.

2 *Qua Lampsaci est*] Lampsacus urbs est Asiæ minoris ad Hellespontum inter Granicum et Simoëntem fluvios, in qua Priapus natus est, et exquisitissimis honoribus colebatur.

Quaque sylva] Per sylvam intelligit vineta uberrima, quæ in Lampsacena et Pariana regione sunt.

3 *Ora Hellespontia*] Regiones ad Hellespontum pertinentes præ ceteris Diis Priapum præcipue colebant, utpote quæ hortis amœnissimis et vinetis uberrimis abundarent.

CARMEN XIX.

HORTORUM DEUS.

HUNC ego, juvenes, locum, villulamque palustrem,
Tectam vimine junceo, caricisque maniplis,
Quercus arida, rustica conformata securi,
Nutrivi, magis et magis ut beata quotannis.
Hujus nam Domini colunt me, Deumque salutant,
Pauperis tugurî Pater filiusque*
Alter, assidua colens diligentia, ut herba
Dumosa asperaque a meo sit remota sacello:
Alter, parva ferens manu semper munera larga.

O *pueri, ego* Priapus, cum sim *Quercus sicca, fabricata ascia rusticana, hunc agrum, et hanc villam paludosam coopertam virgultis junceis, et caricis fasciculis,* sic *fovi, ut singulis annis magis ac magis fertilis* sit. *Istius enim* villæ *heri, tenuis* scilicet *casæ* habitatores, *paterfamilias et* ejus *filius me venerantur, et habent* me *Deum* suum; horum *alter continua sedulitate faciens, ut herba spinosa et horrida ab æde mea absit, alter* vero *perpetuo mihi offerens dona manu liberali: primo* qui-

3 Salmas. ad Solin. p. 181. vult *conformata*, repugnante Vossio, qui legit *fomitata* ex antiq. *formidata.*—4 *Nunc tuor magis* Scal. *Nutrio magis* tacite recepit Vulp. *et beata* Hand. i. e. 'et quidem ego beata, muneribus oblatis, quotannis; nam,' &c.—6 Sic in plerisque edd. deficiente ultima voce, hic versus exhibetur. Scal. tentabat, *filiusque colini;* Voss. *filiusque tenellus;* Doer. *filiusque patronum,* ut referatur ad *Pauperis tuguri.* Proposuit Hand. *ipse filiolusque.* —9 D'Orvillius emend. *manu ferens usque,* probante Burm. II.

NOTÆ

1 *Hunc ego*] Agris non modo credebatur Priapus afferre fœcunditatem, in quibus statueretur, et coleretur, verum et fures arcere putabatur: hoc itaque se præstare debere prædicat, quod nimirum ab agelli domino assidue ac religiose colatur; monet insuper pueros, ne quid ex isto furentur agro, cujus nempe dominus pauper est, et ipse diligens custos, agrumque vicinum indicat, ex quo commodius longe aliquid rapere queant, cum hujus dominus sit dives, et negligentior Priapus.

3 *Quercus arida*] Priapus, seu Priapi statua, ex arboris trunco fiebat, falcem manu tenens, qua et fures arcere et aves abigere crederetur. Hunc ita describit Horat. I. Sat. 8. 'Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum: Cum faber, incertus scamnum faceretne Priapum, Maluit esse Deum. Deus inde ego furum aviumque Maxima formido; nam fures dextra coërcet,' &c.

4 *Magis, et magis*] Ita ut assidue posterior annus superiorem fertilitate vincat.

Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu', et tenera virens spica mollis arista:
Luteæ violæ mihi, luteumque papaver,
Pallentesque cucurbitæ, et suave olentia mala;
Uva pampinea rubens educata sub umbra.
Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) aram
Barbatus linit hirculus, cornipesque capella:
Pro quis omnia honoribus hæc necesse Priapo
Præstare, et domini hortulum, vineamque tueri.
Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas.
Vicinus prope dives est, negligensque Priapus.
Inde sumite; semita hæc deinde vos feret ipsa.

dem *florente vere datur mihi parva corona versicolor, et* sertum *ex spicis teneris, et* adhuc *virentibus aristis.* Adduntur etiam *croceæ violæ, et papavera purpurea, et cucurbitæ pallidæ, et poma fragrantia, racemus* quoque *maturus in umbra pampinosa nutritus. Præterea caper barbiger et capra corneis pedibus imbuunt mihi istud altare; sed* hoc *silebitis; propter quæ munera convenit* mihi *Priapo facere ista omnia, ac custodire hortum vinetumque heri. Quapropter, o juvenes, removete* hinc *mala* vestra *furta. Proximus* hortus *est abundans, et* ejus custos *Priapus incuriosus. Exinde rapite; hæc ista via* in ipsum *vos ducet.*

Schrad. τὸ *semper* in *sæpe* mutavit. Impedimentum in metro nullum esse affirmat Hand. fatetur tamen se in verbo *semper* hæsisse, ob jejunum, quem præbet, sensum; legeret ergo, *campi munera larga.*—11 Quidam *Primitiæ* substituerunt, teste Mureto.—12 Vict. et Ald. *lacteumque papaver.*—15 Hæc est emend. Mureti, quam defendit Burm. II. antea legebatur, *Sanguinea hæc ....arma:* Voss. tamen revocavit *hæc....arma.* In Sciopp. et Bip. *jacebitis* pro *tacebitis.*—16 *Barbarus* in aliis edd.—17 In quibusdam, *hoc necesse.*—19 Eggelingius corr. *manus a rapinis.*—20 *Priapi* legi voluit Heins. et *Priapum* Doer. improbante Handio.

NOTÆ

10 *Florido mihi*] Demonstrat hic Poëta florum corollas ex spicis, et ex uvis serta offerri Priapo consuevisse.

11 *Primitu'*] Hic pro primo, et adverbialiter ponitur, ut apud Plautum 'simitu,' pro 'simul:' qui vero, *Primitiæ*, pro *Primitu'* reposuerunt, versum corruperunt.

15 *Sed tacebitis*] Habebant antiqui Deos majorum et minorum gentium. Hos posteriores 'Semones,' quasi 'semihomines,' vocabant; quos nec dignos cœlo ascriberent ob meriti paupertatem, ut sunt Priapus, Hippona, Vertumnus; quos veteri religione non victimis, aut hostiis, sed lacte duntaxat, libo, et frugibus in patella appositis placare solebant. Hinc Virg. Eclog. VII. 'Sinum lactis, et hæc tibi liba, Priape, quotannis Expectare sat est.' Eandem ob causam hoc loco Priapus cante sileri jubet, quod villicus ipsi interdum hircum aut capellam faceret, ne hunc extraordinarium honorem, et insolitum cultum, alii Dii inviderent.

CARMEN XX.

HORTORUM DEUS.

Ego hæc, ego arte fabricata rustica,
Ego arida, o viator, ecce populus
Agellulum hunc, sinistra, tute quem vides,
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus.
Mihi corolla picta vere ponitur:
Mihi rubens arista sole fervido:
Mihi virente dulcis uva pampino:
Mihique glauca duro oliva frigore.
Meis capella delicata pascuis
In urbem adulta lacte portat ubera:
Meisque pinguis agnus ex ovilibus

Ego ipsamet, o viator, en ego sicca farfarus conformata rudi manu, custodio istum agellum exiguum, quem tu cernis a læva parte, *et* simul *prædiolum, et hortum parvum tenuis domini*, indeque *repello rapaces manus prædonis. Mihi datur verno tempore corona multicolor;* æstate vero, *et fervente Sole* imponitur mihi sertum *ex spicis maturis.* Autumno, *frondente palmite*, datur *mihi racemus suavis;* hyeme, *rigente algore, mihi* dantur *virides oleæ.* Ideo *capræ molles pabulis meis pastæ referunt in oppidum ubera lacte distenta, et agnus obesus*, et delicatus *ex*

---

1 *Ego ecce* conj. Heins.—3 Ut nunc legitur h. l. *sinistra* ob metri rationem nullo modo potest esse casus sextus. Sed sive cum Mureto *sinistra* ad *populus* referas, sive cum Livineio accusativum pluralem pro adverbio positum esse statuas, durissima semper manet hæc lectio. Scal. pro *sinistra tute* volebat *sinistra ante:* Doer. tentabat, *Agellulum, ad sinistram abinde quem vides:* Hand. olim conj. *Agellulum hunc sinistra et ante quem vides;* postea vero voc. *hunc* delevit, et legit, *ecce populus Agellulum sinistra, tute, &c.*—5 *Tueor* Ald. et Victorius. Quatuor seqq. versus ut spurios damnat Hand.—9 In aliis, *Mihi glauca dura cocta o. f.* in Ald. *Mihi g. duro cocta o. f.* in quibusdam vett. *Mihi glaucæ duro o. f.* Mureto debetur lect. nostra, qui τὸ *cocta*, ut interpolationem, repudiavit, et conjunctionem *que*, ad versum perficiendum, supplevit. Cum vero Voss. in codd. reperiret, *duro oliva cocta*, Hand. legi jubet, *Mi glauca, duro cocta o. f.* vel, *Mi glauca, duro oliva cocta frigore.*—

NOTÆ

3 *Sinistra*] Id est, e regione agelluli ad lævam posita.

5 *Tuor*] Antiquitus dicebatur pro, *tueor.*

9 *Glauca*] Alii legunt *cocta;* sed melius, *glauca*, i. e. viridis.

Gravem domum remittit ære dexteram:
Tenerque, matre mugiente, vaccula
Deum profundit ante templa sanguinem.
Proin', viator, hunc Deum vereberis,
Manumque sorsum habebis. Hoc tibi expedit:
Parata namque crux, sine arte mentula.
Velim pol, inquis: at pol ecce, villicus
Venit: valente cui revulsa brachio
Fit ista mentula apta clava dexteræ.

oviariis meis remittit domum pecunia plenam manum domini; *et tenera vitula, parente* ipsius frustra *boante, effundit suum cruorem ad aras Deorum. Proindeque, o hospes, metues memetipsum Deum, et manus* tuas *hinc removebis. Istud* autem *tibi convenit* facere. *Etenim pœna tibi præparata est* * * * *Cupio certe, ais,* hanc pœnam; *sed certe venit colonus villæ dominus, cujus dexteræ apta est hæc clava robusto brachio revulsa.*



14 *Teneraque* in edd. vett. sed Mur. ut metri rationibus consuleret, dedit et propugnavit lect. nostram, *Tenerque* fœminini significatione. Voss. servavit *Teneraque:* D'Orvillius conj. *Tenella, matre,* probantibus Doer. et Hand.—17 Alii legunt *sursum.*—18 In edd. vett. *crux arte m.* itaque alii fecerunt, *crux et arte m.* alii, *crux est arte m.* Optimam hanc emend. *sine arte m.* quam, omisso nomine auctoris, in textum recepit Doer. fecit Muretus.—20 Pro *cui* alii legunt *quoi.*

NOTÆ

13 *Gravem domum*] Ita fere Virgil. 'Nonnunquam gravis ære domum mihi dextra redibat.'

14 *Tenerque*] Pro *Tenera,* quod nemo mirabitur, qui meminerit unum ovem, non unam, aliquando veteres protulisse: deinde etiam nomina in *er* desinentia veteribus passim communia fuerunt; ut 'pauper,' 'celer,' 'uber,' &c. Nevius de bello Punico: 'Fames acer augescit hostibus.'

17 *Sorsum habebis*] Hoc est, seorsum habebis, et continebis, ne quid præripias: alii tamen legunt, *sursum,* quia putant fures habere manus in sinu demissas consuevisse.

18 *Parata namque crux, sine arte mentula*] Hoc est virile membrum tanquam crucis supplicium te manet.

19 *Pol*] Particula affirmans, hoc est, per Pollucem, cujus repetitio elegans est, et joco et irrisioni conveniens.

CARMEN XXI.

AD AURELIUM.

AURELI, pater esuritionum,
Non harum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut sunt, aut aliis erunt in annis,
Pædicare cupis meos amores;
Nec clam: nam simul es, jocaris una,
Hæres ad latus, omnia experiris.
Frustra: nam insidias mihi instruentem
Tangam te prior irrumatione.
Atqui, si id faceres satur, tacerem.

O *Aureli, parens esuritionum, non tantum istarum, sed omnium, quæcunque vel extiterunt, vel existunt, vel existent in annis reliquis* * * * *nec occulte; nam* cum puero *pariter exjocaris, affixus ad latus nihil non tentas: nequicquam: tendiculas enim mihi parantem te pungam prior* * * * *Sed enim si hoc satiatus ageres, sile-*

5 In codd. Stat. Cuj. et Scal. *nam s. exjocaris una, Hærens....experibis:* in Dresd. Vicent. Brix. et Venett. *simul et jocaris:* Stat. conj. *simul et jocaris una, et Hærens, &c.* Frut. ante Voss. emend. *simul es, jocaris una.* Mox Parth. codd. *experiris*, quod confirmat Dresd. *Hærens* quoque confirmatur auctoritate Dresd. et edd. vett. hinc legendum putavit Hand. *nam simul es, j. una, Hærens....experiris.*—8 In Dresd. Vicent. Brix. Venett. Ald. 1. Mur. et Guar. *prius;* sed omnes Stat. codd. exhibent *prior*, defendente Voss.—9 Lect. nostram servant omnes edd. vett. præter Vicent. in qua est, *At quæ si faceres:* Pucc. emend. *At hæc si;* omnes vero Stat. codd. *Atque ipsi faceres;* unde ille, *Atque id si;* Dresd. habet, *Atque ipsi facerem:* Hand. ergo le-

NOTÆ

1 *Pater esuritionum*] 'Cœnæ patrem' vocabant eum qui convivio excipiebat. Horat. 'Inprimis Lucanus aper leni fuit Austro Captus, ut aiebat Cœnæ pater.' Quem etiam Cicero 'dominum epuli' vocat; Nonius et 'dominum convivii,' et 'dominum' sine additione ulla vocari solitum admonet. Porro, 'esuritio' idem ac 'esuries,' ut alibi Catullus posuit, 'sole, et frigore, et esuritione:' hoc loco tamen pro parva cœnula videtur usurpari, quo sensu etiam Martial. lib. v. Epigr. 78. 'Si tristi domicœnio laboras, Turani, potes esurire mecum.' i. e. 'parce cœnare.'

4 *Meos amores*] Puerum fidei tuæ commissum.

5 *Nam simul es, jocaris* [*exjocaris*] 'Exjocari' Scaligero est a ludo cessare, legitque, *experibis*, antique dictum, ut in manuscriptis, ut is sit sensus: Postquam ludo lassus modum feceris, alia experiere. Simplicius videtur explicari posse, *simul exjocaris una*, ludis cum puero, et omni stu-

Nunc ipsum id doleo, quod esurire
Ah! meus puer, et sitire discet.
Quare desine, dum licet pudico:
Ne finem facias, sed irrumatus.

rem. Jam vero id ægre fero, quod puer meus, heu me! discet esurire, ac sitire: itaque absiste dum conceditur tibi intacto. * * *

gendum putavit, *Atqui, ipse id faceres satur, tacerem.*—11 Nostra lect. debetur Vulpio; laborat tamen metro, et trochæum pro spondæo ab initio habet. Codd. Stat. omnes, Cuj. et Dresd. *Me me puer*, quod defendendum putavit Scal. scribens, *Ah me me:* Commel. *Meus me puer*, probante Voss. quodque in *Meus mi* mutavit Mel. Vicent. Brix. et Venett. habent, *Næ meus puer:* Guar. P. conj. *Meus jam:* Pucc. *Jam meus;* Faërn. *Ve meus:* Stat. *Me meus;* Heins. *Una meus;* Doer. *A te mox*, vel *Mox tecum.* Statii, Mel. Heins. et Doer. emendationes damnat Hand. et legi jubet, *quod e. Mellitus puer, &c.* Corrad. dedit, *Meusmet puer*, (quod scribitur nonnunquam *Me⁹met*,) et hunc, ut fere semper, secutus est Ed. Gott. Scaligeri emend. recepit Bip. Passer. denique e vet. lib. affert, *Nemeus*, ad formam 'nevult,' 'nefrens,' 'nefastus,' 'nefunera,' &c.—12. 13 Stat. offensus voce *sed*, legi jubet, *dum l. pudicus Ne finem facias, sed, &c.* vel, *dum l. pudico, Ne f. facias, sat, &c.* Heins. vult, *et irrumatus:* Guar. pro *sed* legit *nisi*. Vulg. defendit Hand. et interpr. *τὸ sed* per 'at quidem,' ut ap. Juvenal. xv. 94.

NOTÆ

dio ejus pudicitiam tentas: alii, contra fidem antiquorum codicum, pro *exjocaris*, legunt, *et jocaris*.

11 *Ah! meus* [*me me*] Ductum a Græco, *οἴ μοι μοι*, et *ὤ μοι μοι·* dicitur et 've me me.' Ut Catullus ipse infra ad Manlium: 'Quæ, ve te, misero letum miserabile fratri Attulit.' Et infra: 'Ah me! an illa puella.' Sic et Seneca in Apocolocyntosi, 've me.'

12 *Dum licet pudico*] Veteres vocabant 'Impudicos,' qui sui corporis aliqua parte libidinem alienam excepissent; 'pudicos' vero, qui nihil tale essent perpessi.

13 *Ne finem facias, sed irrumatus*] Quamvis te moneam, non tamen cessabis nisi *irrumatus*, i. e. nisi prius te irrumavero, finem non facies.

CARMEN XXII.

AD VARRUM.

SUFFENUS iste, Varre, quem probe nosti,
Homo est venustus, et dicax et urbanus,

O Varre, Suffenus iste, quem bene nosti, lepidus homo est, facetus, et festivus;

Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata; chartæ regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, et pumice omnia æquata.
Hæc cum legas, tum bellus ille et urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur: tantum abhorret, ac mutat.

idem *ipse multo numerosissima carmina componit: ego suspicor eum habere exarata decem millia* versuum, *aut etiam plura. Neque* ea *perscripta sunt, sicut usu venit, in charta deletitia. Papyri* sunt *regales, novi codices, novi umbilici, corrigiæ rubeæ, membrana plumbo directa, et cuncta pumice complanata. Cum recites hæc scripta, tunc ille ipse Suffenus elegans ac venustus, contra tibi videtur esse caprarius aliquis aut* agri *fossor, adeo dissimilis ac diversus* a se ipso *est. Quidnam*

1 *Fuffenus* mavult Mur. *Suffenas* putavit Stat.—5 Tres Stat. codd. *nec sis, unus nec scit;* Vicent. Brix. et Venett. *nec sicut fit;* Ald. 1. *nec sic, ut fit,* quod tuetur Dresd. In Vicent. et Ald. 1. *palimxysto;* in aliis, *palinxysto;* sed in Brix. et Venett. *palimpsesto.* Mox Heins. pro *Relata* malit *Releta,* probante Doer. qui tamen correxit, *in palimpsestum Relata:* utrumque damnat Hand. addens, 'referre' idem est ac 'scribere,' 'inscribere:' ac dicunt, 'in codice referre,' et 'in codicem,' 'in commentarium referre.'—8 In codd. Stat. et Dresd. *Detecta:* in Vicent. Brix. Venett. et Mediol. *Desecta.* Emendatio *Directa* Palladio debetur; Stat. malebat *Derecta.*—9 In omnibus Stat. codd. *tu* pro *tum.*—11 Lect. nostram tuentur Stat. codd. Dresd. Vicent. Brix. et Venett. Avantii conj. *nutat* receperunt Ald. et Mur. Pucc. emend. *a*

NOTÆ

6 *Chartæ regiæ*] 'Regiæ' pro regalibus dictæ, et regali sumtu comparatæ; opponuntur enim 'plebeiis;' quo sensu dicuntur 'Hieratica,' et 'Augusta.' 'Palimpsestos' autem charta est vilior, ex qua aliquid deletum est, ut aliud denuo scriberetur.

7 *Novi umbilici*] 'Umbilicus' usurpari solet pro fine; antiqui enim librorum finem signis quibusdam concludebant. Martial. 'Jam pervenimus ad umbilicum;' ut et ceteri Poëtæ passim sic sumunt; 'umbilici' tamen usurpantur aliquando pro claviculis quibusdam, aut ceteris ejusmodi ornamentis, quæ voluminibus jam absolutis addebantur.

Membrana] 'Membranæ,' vel, ut aliis placet, 'Membrana' genere neutro, pelles sunt, quibus infectis libri tegerentur: harum usus Pergami regnante Eumene inventus. Unde dictæ sunt 'pergamenæ,' quod nomen ad hanc usque diem servatum est.

8 *Directa plumbo*] 'Plumbum' illud tenuis e plumbo lamina fuit, in rotundum formata, Latinis 'Præductale' dicta a præducendis literis.

10 *Caprimulgus*] Avis nomen est apud Aristot. de qua item Plin. lib. x. cap. 4. hic rusticum significat capras mulgentem.

11 *Abhorret, ac mutat*] Alii legunt, *nutat,* contra manuscriptorum fidem: sed, *mutat,* neutrum est pro passivo,

Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius, videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure,
Simul poëmata attigit: neque idem unquam
Æque est beatus, ac poëma cum scribit:
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur; neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus quoique attributus est error:
Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

existimemus id esse? Ille, qui modo scurra, aut si quid videbatur esse exercitatius, idem ipse *ineptior est stolidissimo* quovis *rustico, statim atque versus attigit: neque unquam sibi ipse videtur esse perinde felix, ut quando versus componit; adeo sibi placet, et admiratur seipse. Nempe cuncti ob idipsum decipimur. Nemo est quem non in re aliqua queas Suffenum advertere; sua cuique vitia assignata sunt; sed non respicimus quid manticæ in tergo est.*

cultu.—18 In omnibus Stat. codd. Dresd. Vicent. Brix. Venett. et aliis *tristius;* Pont. corr. *tritius;* Pucc. *suavius.* Lect. codd. defendit Hand.—19 In Dresd. *in aliquo videre:* Hand. conj. *in ulla re.*—20 In nonnullis *manticæ quid.*

NOTÆ

quod Poëtis non est insolens.

14 *Inficetior rure*] 'Rus' hoc loco sumtum, pro rustico; ut scelus, pro scelesto: alibi sumitur pro rusticitate: 'pleni ruris et inficetiarum.'

19 *Videre Suffenum*] 'Suffenum' hic vocat quemlibet sua inepte mirantem, nec propria vitia cognoscentem.

21 *Manticæ quod in tergo est*] Alludit ad Æsopi Fabulam, quæ tradit homines duas 'manticas' habere, unam ante, alteram retro; in priorem aliena vitia mitti, in posteriorem nostra, quæ abscondimus, et videre negligimus; aliena vero semper ob oculos habemus.

CARMEN XXIII.

AD FURIUM.

Furi, quoi neque servus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis;
Verum est et pater, et noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt;
Est pulchre tibi cum tuo parente,
Et cum conjuge lignea parentis.
Nec mirum: bene nam valetis omnes,
Pulchre concoquitis, nihil timetis:
Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,

O *Furi, qui nec famulum habes, nec capsam, nec cimicem, nec araneum, nec focum; sed habes et patrem et novercam, quorum dentes possent* etiam *silicem comedere; bene tibi est cum patre tuo, et cum patris uxore lignea. Idque mirum non est: nam* omnes *sano corpore estis; bene digeritis* cibum; *nihil formidatis; nec deflagrationem, nec graves ruinas, nec improba facinora, nec fraudes veneni, nec*

NOTÆ

1 *Furi*] Iratus Furio Pisaurensi, quod is Juventio puero, quem diligebat, stuprum obtulisset, paupertatem illius salsissimo jucundissimoque versu insectatur; eumque contra pauperiem multis commodis instructum esse facete contendit. 'Arcam' porro non habere, nec 'servum,' apud Antiquos paupertatis erat signum.

2 *Nec cimex, neque araneus*] Id est, neque lectus, neque domus: contentum pro continenti. Sic fere Martial. lib. x. 'Nec toga nec focus est, nec tritus pumice lectus; Nec tibi de bibula sarta palude teges.'

Neque ignis] Summam describit paupertatem Poëta: quippe Tibullus cum paupertatem a se non deprecetur, hoc tamen excipit, ut sibi 'focus assiduo igne luceat:' ait enim, lib. I. Eleg. 1. vers. 5. 'Me mea paupertas vitæ traducat inerti, Dum meus assiduo luceat igne focus.'

6 *Conjuge lignea*] Ligneam dicit tenuem, Græcos imitatus, apud quos graciles et macilenti *κάναβοι* vocantur: hinc illud Alexidis Comici, ap. Athen. lib. x. *'Ακρολίπαροι, τὸδ' ἄλλο σῶμα ἀπόξυλον.* Lucretius quoque puellam arido corpore et exsucco 'ligneam' vocat, propter maciem et nimiam corporis siccitatem: 'Nervosa et lignea Dorcas.'

8 *Nihil timetis*] Quia nihil habetis, quod amittere possitis. Horat. 'At vigilare metu exanimem noctesque diesque Formidare malos fures, incendia, servos, Ne te compilent,' &c.

Non casus alios periculorum.
Atqui corpora sicciora cornu,
Aut, si quid magis aridum est, habetis,
Sole, et frigore, et esuritione.
Quare non tibi sit bene ac beate?
A te sudor abest, abest saliva,
Mucusque, et mala pituita nasi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quod culus tibi purior salillo est;
Nec toto decies cacas in anno:
Atque id durius est faba et lapillis:
Quod tu si manibus teras fricesque,
Non unquam digitum inquinare possis.
Hæc tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parvi:
Et sestertia, quæ soles, precari
Centum desine; nam sat es beatus.

alios discriminum casus. Habetis certe corpora aridiora cornu ipso, aut si quid siccius est, ab æstu, algore, et fame. Cur non bene haberes ac beatus esses? Nam *abest a te sudor, abest sputum, abest mucus, et molesta nasi pituita. Ad hanc munditiem adjunge puriorem, quod tibi culus salino mundior est, nec alvum exoneras decem vicibus per totum annum; idque durius est fabis et silicibus: quod si comprimas manibus et perfrices, non* tamen *queas inficere digitos* tuos. *Noli* igitur, *o Furi, contemnere, aut parvi facere hæc bona tam utilia. Et desine* Deos *orare centum sestertia, quæ soles petere; nam satis fortunatus es.*

12 *Aut qui* in uno Stat. cod. et duobus Maff. ll. unde Stat. legendum putavit, *Ut qui*, reclamante Vossio.—21 Pro *lapillis* Guilielmus et Hottomannus legendum esse censebant *lupillis*.—27 In omnibus Stat. codd. *satis beatus*.

NOTÆ

19 *Purior salillo*] 'Salillum,' vel 'Salinum,' vas in quo *sal* servatur: sali autem veteres summam puritatem tribuebant. Ovid. 'Far erat, et puri lucida mica salis.' Horat. 'Purum et sine labe salinum.'

24 *Hæc commoda*] Quæ hic enumeravit jocose Catullus 'commoda,' magna revera sunt incommoda.

26 *Sestertia Centum*] 'Sestertium' in neutro genere, mille 'sestertios' significat: 'sestertius' autem dictus est, quasi 'sesquitertius;' valebat enim duobus assibus æris et semisse, idemque erat quod nummus, etiamsi utrumque nonnunquam conjungatur. Centum igitur 'sestertia' sunt centena millia 'sestertiorum,' quorum singuli ad Gallicæ pecuniæ æstimationem redacti valent duodecim denariolos Turonicos et semissem.

CARMEN XXIV.

AD JUVENTIUM PUERUM.

O QUI flosculus es Juventiorum,
Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac aliis erunt in annis,
Mallem divitias mihi dedisses
Isti, quoi neque servus est, neque arca;
Quam sic te sineres ab illo amari.
Qui? non est homo bellus? inquies. Est:
Sed bello huic neque servus est, neque arca.

O qui flos es Juventiorum, non tantum horum, sed eorum etiam, qui vel fuerunt, vel erunt postea sæculis venturis: ego mallem, ut largitus esses opes isti, qui nec famulum habet, nec capsam, quam sic patereris te ab illo amari. Quare? Nonne est homo venustus? inquies tu. *Est* quidem; *sed venustus hic non habet famulum,*

1 In edd. vett. *Juventilorum;* Avant. conj. *juvenculorum:* sed omnes Stat. codd. habent *Juventiorum.*—4 In edd. vett. *delicias m. dedisses, Quam isti;* in Stat. codd. *divitias m. dedisses Isti;* in Voss. ll. *mi dedisses*, unde fecit, *Midæ dedisses.* Heins. locum ita constituit, *Mallem delicias mihi dedisses, Quam sic t. s. a. i. amari, Isto cui n. s. e. n. arca. Quid? non est, &c.*—6 In edd. vett. *ab isto;* in Stat. codd. *ab illo.*—7 Stat. legeret, *Cui non est: homo bellus, inquies est:* Mel. *Hui! non est homo bellus, inquies? est:* Scal. *Qui? non est h. b.*

NOTÆ

1 *O qui flosculus es*] Conqueritur cum *Juventio*, quod Furium mendicum pæne hominem potissimum elegerit, cui ætatis suæ florem fruendum daret.

Juventiorum] Romæ nobilis fuit familia *Juventiorum*, de quibus Livius, Plinius, et alii; quos inter fuit ille M. Juventius Talva, qui, ut ait Valerius Maximus, collega Tib. Gracchi Consulis, cum in Corsica, quam subegerat, sacrificaret, receptis literis decretas ei a Senatu ob rem bene gestam supplicationes nuntiantibus, subita lætitia mortuus humi jacuit.

4 *Mallem divitias mihi dedisses*] Legunt multi, *delicias*, pro *divitias*, sensu minus recto, et a manuscriptis omnibus alieno; longe enim elegantior sententia est, ut dicantur convenire egenti 'divitiæ' quam 'deliciæ:' nec movere debet, quod, *mihi*, subjungatur; sic enim τὸ *mihi*, ponunt scriptores nonnunquam, cum suum id esse consilium significant, et judicium interponunt suum. Ut sensus sit: Quantum ad me pertinet mallem, ut isti divitias dedisses, &c.

5 *Neque servus, neque arca*] Ut supra jam vidimus, summæ fuit signum egestatis non habere servum nec arcam.

Hæc tu, quam lubet, abjice elevaque:
Nec servum tamen ille habet, neque arcam.

nec capsam: tu vero *contemne, et quantum voles extenua* verbis *hæc* quæ dico; *tamen ille nec famulum habet, nec capsam.*

---

inquies? est: Sed, &c. alii, *Cui nil est, &c.*—9 In omnibus Stat. codd. *Hoc tu quamlibet abice, &c.*

CARMEN XXV.

AD THALLUM.

CINÆDE Thalle, mollior cuniculi capillo,
Vel anseris medullula, vel imula oricilla,
Vel pene languido senis, situque araneoso:
Idemque Thalle, turbida rapacior procella,

Thalle impudice, tenerior pilis cuniculi, aut anseris medulla, aut infima auricula, aut languente veretro vetuli, et situ araneoso: idem Thalle rapacior turbulenta tem-

---

2 In codd. *inula moricilla*, vel, *molicella*, vel, *moricilla*; unde Stat. conj. *inula amaricilla:* in quibusdam edd. vett. *inula mollicella;* in Mur. *hinnula te-*

NOTÆ

1 *Cinæde Thalle*] Thallum Cinædum monet, ut sibi remittat quæ surripuit, pallium scilicet et sudarium; quod nisi fecerit, fœde vapulabit. Versus est septenarius, qui fit cum Iambico trimetro additur pes amphibrachys cum duobus trochæis. Hanc vero versus formam alio modo explicat Diomedes cum Varrone, a quo verbis tantum, non re dissentimus.

2 *Imula oricilla*] Locus hic mere corruptus est. Alii legunt *hinnula mollicella*, idque interpretantur de pelle *hinnuli* pulli cervini; alii legunt, *imula moricilla;* alii, *hinnula tenella;* quod satis probatur. Nos cum Scaligero legimus *imula oricilla*, i. e. 'ima auricula:' 'auricula' enim, vel 'auricilla' veteribus dicebatur 'oricilla;' unde Catullus dixit, *imula oricilla*, pro, 'ima,' seu 'infima auricula;' idque recte et lepide, cum proverbium sit Latinorum, 'auricula infima mollior.' Cicero lib. II. ad Quint. Fratrem: 'Tu quemadmodum me censes oportere esse in Rep. et in nostris inimicitiis, ita et esse et fore auricula infima scito molliorem.'

Cum de via mulier aves ostendit oscitantes:
Remitte pallium mihi meum, quod involasti,

pestate, ubi sæva maris procella aves ostendit oscitantes. Redde mihi, o *stulte, pal-*

---

nella; in aliis, *hinnula mollicella:* Lect. nostra debetur Scaligero.—5 In Dresd. et nonnullis Stat. codd. *Quum diva mulier aves;* in cod. Guar. et aliis Stat. *Cum diva mulier alios:* in Palat. *Cum diva Maliæ naves:* Guar. P. conj. *Cum dira maris hyems aves,* quod recepit Gryph. 2. idem Guar. et hoc proposuit, *Cum diva mulier Laconas;* Stat. *Cum diva mater alites o. occinentes:* pro *oscitantes,* sive *occinentes* Faërn. offert *oscinentes,* et sic legit Livineius. Voss. e lect. Palat. effingit, *Quum clivias Malea aves;* unde Heins. *Cum Clivias Malea aves o. arce nantes,* vel, *Cum devias mare alites o. obnatantes.* Lect. nostra debetur inge-

NOTÆ

5 *Cum de via mulier* [*dira maris hyems*] Nullus fere Catulli locus medicam manum magis desiderat. Nos vero lectionem hanc, quæ metri servata ratione sensum etiam expeditiorem et apertiorem exhibet, correctiores secuti codices retinuimus. Scaliger, etsi de hoc loco quid statuat non habet, legendum tamen esse pronuntiat, *Cum de via mulier,* vultque quamlibet sagam significari, quæ *aves ostendat oscitantes* tempestatem, aut aliud quidvis præsagire. Alii legunt, *Cum diva mulier.* Alii, *Cum dia mulier Laconas offendit oscitantes,* voluntque intelligi per *diva,* seu *dia mulier,* Helenam, quæ meteori species est inimica navigantibus, et per *Laconas,* ipsius fratres, Castorem et Pollucem, qui nautis, ut ait Horatius, propitii sunt; ut sensus sit: Cum Helena *offendit,* id est, invenit fratres suos Lacedæmonios pigros et otiosos, ita ut navigantibus minime prosint, et ipsa sævitiam exerceat. Quod etiam auctoritate Homeri firmatur, apud quem Helena vocatur, δῖα γυναικῶν. Alii per *diva mulier* intelligunt Lunam, leguntque, *Cum diva mulier alios ostendit oscitantes,* ut sensus sit: Redde mihi pallium meum, quod furatus es nocturno tempore cum dormirem, et Luna ostenderet alios oscitantes in somno. Alii per *diva mulier* exponi volunt amicam, quæ dum ostendit et fecit me converti ad alios oscitantes in somno, tu furatus es pallium meum. Alii legunt, *Cum diva mulier,* alii *diva mater;* et hæc ad Halcyones referentes sic interpretantur: *Cum diva mulier,* seu, *mater,* Halcyone scilicet, quæ fuit olim mulier generosa, in avem postea mutata, *ostendit aves oscitantes,* i. e. pullos suos cibum appetentes, quod signum est illos jam educatos esse; nam dum educantur, summa est in mari tranquillitas, uti refert Plin. lib. x. cap. 12. Et sic Halcyonios dies præteriisse per circuitionem indicatur, sævamque imminere jam maris tempestatem. Alii legunt, *Cum diva mater,* exponuntque de Tethyde, id est, mari; quod nimirum mare, seu aqua principium sit ceterarum omnium rerum. Sic sensit Thales Milesius; sic et Homerus: Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν. Alii per *diva mulier* interpretantur Junonem, i. e. aërem, cujus inprimis aves mutationem sentiunt. Omnes porro volui loci hujus colligere expositiones, ut, quam lector magis probaverit, eam sequatur.

Aves oscitantes] Fulicas, aut Laros videtur intelligere, qui semper in fluctu degunt marinam spumam hiante ore pascentes, sed impendente tempestate in littus ejiciuntur, quibus

Sudariumque Sætabum, catagraphosque Thynos,
Inepte, quæ palam soles habere, tanquam avita.
Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina et remitte;
Ne laneum latusculum, natesque mollicellas,
Inusta turpiter tibi flagella conscribillent,
Et insolenter æstues, velut minuta magno
Deprensa navis in mari, vesaniente vento.

tium meum, quod surripuisti, et linteum Setabinum, et catagraphos Thynos, quæ omnia *consuevisti præ te ferre, quasi tradita tibi a majoribus. Quæ jam revelle è tuis unguibus, et restitue, ne flagra inflicta signent inhoneste delicatula tua latera, et tuas clunes tenellulas; et ne inusitate hinc inde agiteris, quasi parva ratis intercepta in vasto pelago ventis furentibus.*

---

nio Scaligeri.—7 In cod. Scal. et quos vidit Salmas. *cyrographos*, i. e. *chirographos*; postea vero maluit Salmas. *cirographos*, i. e. *cerographos:* Mur. habet, *catagraphonque linum;* edd. vett. Brix. et Venett. *catagraphonque linon;* sed codd. habent *Thynos*, vel *Thynon:* Voss. exhibet *catagraphonque Thynon:* vet. cod. Avant. *catagraphosque Thynnos.* Lect. nostram servant Stat. codd.—10 Mur. et al. vett. *manusque molicellas.*—11 Stat. codd. exhibent, *Insula.... conscribillent;* unde Scal. *Inlusa:* emendatio *Inusta* debetur Avantio, et recepta est in Ald. 1. Corrad. dedit *Insulsa*, insulse, ut ait Doer. alii, *Insuta, Injecta, Invisa.* Pro *conscribillent* Stat. conj. *conscrillent*, Livin. *constrigillent;* alii, *consigillent*, *concribillent*, vel, *contribillent*.

NOTÆ

in sicco visis, tempestatem in mari esse conjicitur.

6 *Pallium*] Vestis est lata, quæ palam, seu foris gestatur, sub qua tunica ferebatur, Græcorumque est indumenti genus: unde 'Palliatæ' Comœdiæ dictæ, quæ argumento sunt Græco, sicut 'Togatæ' quæ Latino, quia 'toga' Latinorum erat seu Romanorum.

7 *Catagraphosque Thynos*] Thyni Salmasio sunt annulli signatorii sculpturæ Bithynicæ, magno in pretio habiti, ut indicant hi versus apud Isidorum: 'Nec quos Thynia lima perpolivit Annellos, nec Iaspios lapillos.' Alii legunt, *Catagraphonque linum*, i. e. linteum variis figuris notatum et depictum; quod non displicet.

9 *Reglutina*] Libera et solve a glutino, seu glutine, quia nempe fures glutino et pice manus inquinatas, seu viscosas habere dicuntur.

11 *Conscribillent*] Id est, vibicibus signent, et depingant; quod eodem modo dixit Plaut. 'Corpus tuum virgis inscribam.' Alii legunt, *consigillent*, ut antepenultima syllaba vitio non laboret.

CARMEN XXVI.

AD FURIUM.

FURI, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Favonî,
Nec sævi Boreæ, aut Apeliotæ,
Verum ad millia quindecim et ducentos.
O ventum horribilem atque pestilentem!

Furi, rus nostrum non objectum est Austro vento, neque Favonio, neque Aquiloni, neque Subsolano; sed oppositum est simul quindecim millibus et ducentis ventis. *O ventum atrocem et exitiosum!*

1 In codd. Dousæ et Voss. et Venett. Brix. et Vicent. *vostra;* et sic legeret Mur.—4 In quibusdam *ducenta.*

NOTÆ

1 *Austri*] Hic noster Poëta commemorat quatuor ventos Cardinales. Auster ventus est qui flat a Meridie.

2 *Opposita est*] Lusus est in verbo, 'opponere,' quod significat etiam, oppignerare. Videtur Poëta innuere villam suam oppigneratam esse quindecim millibus, et ducentis H-S. idque Furio dixit; qui, ut credibile est, cum ex Catullo quæsivisset, cuinam vento esset *opposita*, festive poëta respondit, non quidem ulli ventorum tempestati objectam esse, sed pro quindecim millibus, et ducentis H-S. pignori esse 'oppositam.' Alii volunt de ventis hæc intelligi.

Favonî] Favonius ventus spirat ab Occasu: hunc Græci 'Zephyrum' nominant.

3 *Boreæ*] Boreas ventus, Latinis 'Aquilo,' flat secundum Plinium, Gellium, et alios, inter exortum Æstivum et Septemtriones.

Apeliotæ] Apeliotes ventus, Latinis dictus 'Subsolanus,' aspirat ab Oriente, contra Favonium.

CARMEN XXVII.

AD POCILLATOREM PUERUM.

MINISTER vetuli, puer, Falerni,
Inger mi calices amariores,
Ut lex Posthumiæ jubet magistræ,
Ebriosa acina ebriosioris.

O *famule, ministrator veteris Falerni, porrige mihi pocula amarulentiora*, ita capacia, *ut præcipit lex Posthumiæ magistræ, quæ erat ebriosior acinis vino imbu-*



2 *Ingere* in codd. et edd. vett. *Jungere* et *Ingue* in Voss. ll. Heinsius affert *Junge* e cod. Britannico Archiep. Cantuar. *Misce* in suo invenit Dous. F. Lect. nostra est ex conjectura Mureti.—4 In omnibus Stat. codd. et edd. vett. *Ebriosa acino;* sed Gell. Noct. Att. VII. 20. legendum esse monuit, *Ebriosa acina.*

NOTÆ

1 *Falerni*] Falernum vinum, a quodam Campaniæ agro sic dictum, inter Italiæ generosa vina secundum obtinebat locum. Ad mentem Catulli dixit Horat. II. Sat. 8. 'veterisque Falerni Mille cadis.' Et alibi, I. Od. 27. 'Vultis severi me quoque sumere Partem Falerni,' Vina enim vetusta amaritudine quadam infestantur, 'quæ quidem,' ait Cicero, 'amaritudo placet.' Unde Poëta dixit, vetuli Falerni amariores esse calices et austeriores, si maxime aqua non temperentur. Plin. lib. XIII. 'Vina primo dulcia austeritatem annis accipiunt, et rubra fiunt.' Per *calices amariores*, et meracum, et vetus vinum intelligi nihil obstat; longinquitate enim temporis vinum 'meracius' fieri Macrobius tradit.

2 *Inger*] Pro 'ingere,' 'porrige;' *mi*, pro 'mihi.' Unde et Nemesianus in Cynegetico: 'Castaliique mihi nova pocula fontis alumno, Ingerit.' Alii legunt, *infer*, quod nec displicet. Alii, *Misce mi calices amariores*, id est, 'meraciores.'

3 *Posthumiæ*] Catulli temporibus fuit quædam mulier vinosissima, et ebriosissima, quæ compotatoribus lege bibendi a se lata, tam magna et capacia indicebat pocula, ut amarum foret ac difficile ea uno haustu ebibere.

Jubet magistræ] Veteres talis sortiebantur, quis e convivis, quantum quisque vini biberet, præscripturus esset, et qui primus Venerem jecerat, is 'magister,' et 'Rex vini' vocabatur. Horat. I. Od. 4. 'Nec regna vini sortiere talis.' Et alibi, II. Od. 7. 'quem Venus arbitrum Dicet bibendi?' Varro 'Modimperatorem' appellat; Plautus 'Dictatorem,' qui leges dabat ad potandum.

4 *Ebriosa acina ebriosioris*] *Acina* dixit in fœminino, non, *acino;* quanquam alias *acinum* neutro genere

At vos, quo lubet, hinc abite, lymphæ,
Vini pernicies, et ad severos
Migrate: hic merus est Thyonianus.

tis; tu vero aqua, exitium vini, hinc facesse, quocumque volueris, et ad austeros abi: iste merus est Thyonianus.

NOTÆ

profertur: hoc fecit forsan, ut ad aurem melius sonaret versus.

7 *Thyonianus*] Id est, Bacchicus. Bacchus enim dictus Thyoneus, vel a *θύω*, vel a matre ipsius Thyone, quæ et Semele dicta est. Unde *merus Thyonianus* idem est ac merum vinum, seu merus vini liquor.

CARMEN XXVIII.

AD VERANNIUM ET FABULLUM.

Pisonis comites, cohors inanis,
Aptis sarcinulis et expeditis,
Veranni optime, tuque, mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satisne cum isto
Vappa, frigoraque et famem tulistis?

O Pisonis commilitones, optime Veranni, et tu, mi Fabulle, comitatus inutilis; accommodatis sarcinis et paratis, quas res agitis? An abunde tolerastis algorem, et

NOTÆ

1 *Pisonis comites*] Piso ille extremæ audaciæ homo, ut refert Sallustius, in Hispaniam Quæstor pro Prætore missus fuerat, annitente maxime Crasso, quod ipsum Cn. Pompeio inimicum cognovisset: neque tamen Senatus invitus Provinciam dederat; quippe fœdum hominem a Rep. procul esse volebat. Hunc Pisonem in Hispaniam secuti fuerant Verannius et Fabullus amici Catulli, neque cum eo quicquam lucri fecerant.

2 *Aptis sarcinulis*] Jocose perstringit Catullus tenuitatem pauperiemque Verannii et Fabulli, qui carebant sarcinarum impedimentis, nec multos rerum utensilium fasciculos habebant.

4 *Cum isto Vappa*] Pisone scilicet homine vili ac sordido. 'Vappa' vinum est acidum, corruptum et vitiosum. Hic sumitur pro ignavo, degeneri, ac probroso homine. Persius: 'Vappa et lippus, et in tenui farragine mendax.'

Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum? ut mihi, qui meum secutus
Prætorem, refero datum lucello:
O Memmi, bene me, ac diu supinum
Tota ista trabe lentus irrumasti.
Sed, quantum video, pari fuistis
Casu: nam nihilo minore verpa
Farti estis. Pete nobiles amicos.
At vobis mala multa Di Deæque
Dent, opprobria Romuli Remique.

*esuriem cum Vappa isto? Quid lucri in vestris rationibus expensum patet? Ut et mihi accidit, qui comitatus prætorem meum in tabulis expensum refero pro quæstu. * * * Verum, ut intelligo, simili fortuna fuistis * * * expete jam illustres amicos. At vero, vobis, o Romuli et Remi, probra* Reipublicæ, *et Di et Deæ inferant multa incommoda.*



8 Heins. tentabat, *ratum in lucello*, vel, *datum in lucello*.—9 In edd. Mur. et aliis hic novum Carmen exorditur, sed contra fidem codd. et edd. vett. excepto cod. Oxon. ut testantur Stat. Voss. et Ed. Cant. Qui hoc Carmen divellunt, *fuisti* pro *fuistis* in v. 11. et *Es fartus* pro *Farti estis* in v. 13. invitis codd. legunt. Heins. modo pro *Es fartus* vult *Is fartus;* modo probat quod Stat. codd. habent, *pari fuistis Casu*, et *Farti estis;* modo recte cod. Oxoniensem ex uno duo Epigrammata facere judicat.—10 Voss. pro *lentus* ex vett. libb. reposuit *tentus*.

NOTÆ

7 *Secutus Prætorem*] C. scilicet Memmium, cui Lucretius opus suum inscripsit, qui Romæ Prætura functus Bithyniam Prætor obtinuit, quo eum secutus Catullus nihil lucri fecit; ut hic et supra Carm. x. conqueritur.

8 *Refero datum lucello*] Id quod sequitur, et quod indignabundus per exclamationem declarat, quod videlicet ab illo irrumatus fuit, ad ipsum sermonem convertit, dicens, O Memmi, tu lentus in seminis emissione bene ac diu me supinum irrumasti tota ista trabe, pene tuo, ac membro magno et instar trabis. Per circumlocutionem enim de membro illius loquitur.

12 *Nihilo minore verpa*] Membro virili illius non *minore* quam fuerit Memmii videlicet. *Verpa* enim membrum dicitur sine præputio, unde 'Verpæ' et 'Verpi' Judæi dicti sunt, ab inversa pellicula. Esto alii dicant a verrendo podice. Juvenal. Sat. xiv. 'Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.'

13 *Farti*] Repleti; unde farcimina, quæ et insicia dicuntur.

Nobiles amicos] Invehitur in libidinem nobilium et magistratuum Romanorum, eorumque carpit mores, qui comites ac milites suos nefario flagitii genere contaminarent.

15 *Romuli Remique*] Romanorum proceres, *Romuli* ac *Remi* dicuntur a Poëtis, ducto nomine ab illis *Romæ* conditoribus. Plerique sic locum hunc interpretantur, ut existiment *Romuli Remique* esse in genitivo casu, nos in vocativo plurali esse putamus.

CARMEN XXIX.

IN CÆSAREM.

Quis hoc potest videre, quis potest pati,
Nisi impudicus, et vorax, et aleo,
Mamurram habere, quod Comata Gallia
Habebat uncti et ultima Britannia?
Cinæde Romule, hæc videbis et feres?
Es impudicus, et vorax, et aleo.

Quis istud potest spectare, quis potest ferre, præterquam impurus, et helluo, et aleator? Mamurram possidere quicquid Gallia Celtica, et extrema orbis regio *Britannia pretiosum habebant. Romule impudice hæc aspicies et patieris?* Tu *impurus*

2 Lect. nostram tuentur codd. et omnes fere edd. vett. *helluo* dedit Voss. quem sequitur Bip.—4 In Stat. codd. *Habebat cum te et;* Faërn. ex *cum te* fecit *uncti;* pro quo Stat. conj. *ante;* Mur. *omnis:* in edd. vett. *et cuncta,* vel, *cuncta et;* unde Scal. *unctum.*—5 Heins. *hoc videbis.*—6 Hunc versum expunxit Voss. aberat etiam a codd. Scal. et ed. Cant. sed extat in edd. Gryph.

NOTÆ

3 *Mamurram habere*] Mamurra ille, in quem Catullus tam acriter invectus est, eques Romanus fuit, Formiis natus; Præfectus Fabrorum Julii Cæsaris, cui maxime in deliciis fuit; hunc itaque Cæsar spoliis fere totius orbis locupletavit.

Comata Gallia] Galliam omnem Transalpinam intelligit, quam comatam vocabant vulgo Romani, a comæ, ut volunt, nutriendæ studio incolis ingenito.

4 *Britannia*] Insula Europæ longe nobilissima, inter Occasum et Septemtriones, in Oceano Septemtrionali posita. Dicitur *ultima,* quia Britanni a toto Orbe divisi in ultimo terrarum termino sunt positi; unde Hor. I. Od. 35. 'Serves iturum Cæsarem in ultimos Orbis Britannos.' Virgilius: 'toto divisos orbe Britannos.'

5 *Cinæde Romule*] Id est, impudice Cæsar: posuit ibi 'Romulum' pro Cæsare, quem 'Cinædum' dicit. Fuit vehemens fama Cæsarem, cum adhuc esset adolescens, apud Nicomedem Bithyniæ Regem prostravisse pudicitiam. Unde Gallico triumpho milites ejus currum prosequentes vulgatissimum illud canebant: 'Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem: Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias; Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.' Vide Sueton. in J. Cæsare, cap. 49. cujus quidem vehementer libidinem Catullus exagitat, his ipsum verbis compellans, *Cinæde Romule.* Hoc enim nomine utebantur in eos, quos significare volebant multum a præstanti Romuli virtute abesse. Auctor declamationis in Ciceronem, quæ tribuitur Sallustio, 'Oro te Romule

Et ille nunc superbus et superfluens
Perambulabit omnium cubilia,
Ut albulus columbus, aut Adoneus?
Cinæde Romule, hæc videbis et feres?
Es impudicus, et vorax, et aleo.
Eone nomine, Imperator unice,
Fuisti in ultima Occidentis insula,
Ut ista vestra diffututa mentula

es, et helluo, et aleator. Jamque iste arrogans, et superaffluens percurret cunctorum lectos, tanquam candidulus Columbus, aut Adonis. Romule impudice, istud cernes et patieris? Tu lascivus es, et helluo, et aleator. Eane causa, unice Imperator, versatus es in extrema Occidentis insula, ut iste tuus Mamurra devoraret du-



Mur. Græv. et aliis.—7 Barth. ad Claud. IV. Cons. Honor. v. 139. *circumfluens.*—9 In nonnullis Stat. codd. et Scal. *columbus aut idoneus;* in alio Stat. et Maff. l. *columbus aut ydoneus;* unde Scal. affirmat se conjecisse, *aut Adoneus,* cum idem jam publicaverat Statius. Lectio prisca erat, *columbulus Dionæus,* vel, *Dioneus,* ut habet Mur. et hoc quasi suum venditat Heins. Avant. legi jubet, *Ut albulus columbus, an idoneus.* Voss. pro *Adoneus* vult *Aidoneus.*—11 *Et si impudicus* in nonnullis; unde Voss. *Est impudicus.*—14 Alii legunt

NOTÆ

Arpinas.' Persius: 'Num Romule ceves?' Neque tamen pro quovis Romano, sed pro eo, qui ita gratia populari valebat, ut regnum tanquam alter Romulus obtinere videretur. Sallust. in Orat. Lepidi Consulis ad populum, 'Quæ cuncta sævus iste Romulus, quasi externis rapta tenet.'

7 *Superfluens*] Aliis nihil aliud est, quam divitiis abundans; alii hoc nomine significari putant eos, qui continere se in sua pelle præ superbia non queunt.

9 *Albulus columbus*] Alii ita hunc versum legunt, *Ut albulus columbulus Dionæus.* Quæ lectio si retineatur, dicendum est, *Columbus Dionæus,* sic a Catullo fuisse dictum, ut ab aliis 'pullum Jovis;' nam apud Festum, veteres puerum, quem quis amabat, 'pullum' ejus dicebant. *Columbus Dionæus,* id est, Venereus. Venus enim, cui sacri sunt Columbi, dicta est Dionæa, a matre Dione. Virg. 'Sacra Dionææ matri.' Horat. II. Od. I. 'Mecum Dionæo sub antro.' Et secundum hanc lectionem Catullus eleganter expressit versum quendam Alexidis apud Athenæum. Quo dicitur albus Columbus Veneris. *Ὁ λευκὸς Ἀφροδίτης εἰμὶ γὰρ περίστερος.*

Adoneus] Adonis apud Latinos dicitur 'Adoneus.' Plaut. 'Ubi aquila catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum.' Sic et Ulysseum, et Achilleum dicebant. Horat. I. Od. 6. 'Nec cursus duplices per mare Ulyssei.' Eodem lib. Od. 16. 'Classis Achillei.' Epod. 27. 'Laboriosi remiges Ulyssei.'

12 *Imperator unice*] Id est, qui factus es unicus Imperator, i. e. belli gerendi Magister. Ut apud Sueton. in Othone: 'Fortissimum virum unicum Imperatorem prædicantes.'

13 *Occidentis insula*] Intelligit Britanniam, quæ dicitur ultima terrarum, ut supra vidimus, sicut dicitur

Ducenties comesset, aut trecenties?
Quid est? ait sinistra liberalitas,
Parum expatravit; an parum helluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona:
Secunda præda Pontica: inde tertia
Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.

centies, aut trecenties? quid hoc *est? An isthæc largitio perniciosa parum consumsit? An pauca devoravit? Prima decocta sunt bona a patre relicta; secunda præda Pontica; tertia Ibera, et quas novit Tagus fluvius auriger. Galliæ eundem*

vesca, improbante Avant.—16 In codd. Stat. *Quid est: alit s. l.* Faërn. ex eo faciebat, *Quid abstulit;* et Stat. *Quid est aliud;* (nam *alid*, sive *alit*, pro *aliud*, dixerunt veteres); hanc lect. dederunt Scal. et Vulpius. Scal. et Voss. codd. exhibent *ait*, unde Scal. conj. *ai*. Avantii emendationem, *an hæc s. liberalitas P. expatravit?* receperunt Ald. 1. Mur. alii, et inter recentiores Bip.—18 In edd. vett. *primum:* Hadrianus ante Scal. conj. *prima*.—20 Marcil. corr. *quam*

NOTÆ

etiam, 'terrarum ultima Thule.' Britanniam subegit Cæsar, ut late scripsit in suis commentariis.

14 *Ut ista vestra diffututa mentula*] Mamurram 'mentulam' cognominat coitu exhaustam, uti vulgo etiam in contemtum dicere solemus. Alii, quibus non placet ut solum Cæsarem allocutus *vestra* dixerit, dictionem expungunt, et *vesca* substituunt, id est, parva. Ovid. Fast. 'Ut grandia farra coloni Quæ male creverunt vescaque parva vocant.' Et hinc videtur Servius Virgil. illud in Georg. exposuisse: 'Vescas salicum frondes:' i. e. siccas et teneras; nam per hoc quod dicit teneras videtur velle pusillas inferre, quasi dicat, minores frondes, quæ non erunt duræ, dandas esse. Neque enim siccum unumquodque durum est. Præterea siccum et tenerum non opponuntur, sicuti quibusdam Servium damnantibus videtur: sed tenerum et durum, siccum et viride. Ego vero, quod *vestra* pro *tua* Catullus poëtice posuerit, minime offendor, quamvis etiam ad totum exercitum respiciens, *vestra* dicere potuerit.

15 *Ducenties*] Id est, *ducenties aut trecenties* centena millia sestertium.

17 *Expatravit*] Id est, libidinibus absumsit. 'Patrare,' verbum olim honestum, in obscœnum intellectum detortum fuisse docet Quintil. lib. VIII. quod confirmat illud Persii Sat. I. 'patranti fractus ocello.'

19 *Secunda præda Pontica*] Poëta tangit omnia bella, quæ Cæsari suppeditaverunt, unde Mamurram divitiis cumularet. *Præda* autem illa *Pontica* reportata est ex bello, quo *Pharnacem* Mithridatis Ponti Regis filium nullo negotio et celerrime superavit; de quo notum illud Cæsaris; 'veni, vidi, vici.' Lege Sueton. in Cæsar.

20 *Hibera*] Id est, Hispana. Hispaniam enim dictam fuisse 'Iberiam' ab Ibero flumine supra vidimus. Prædam intelligit, quam ex Hispania retulit Cæsar, Petreio et Afranio Pompeianarum partium ducibus in Hispania superatis. Hæc satis nota est Historia.

Tagus] Hispaniæ fluvius in Oceanum ultra Ulyssiponem prorumpens, aquis aureis seu arenis apud veteres

Hunc, Galliæ, timetis, et Britanniæ ?
Quid hunc, malum, fovetis ? aut quid hic potest,
Nisi uncta devorare patrimonia ?
Eone nomine, Imperator unice,
Socer generque perdidistis omnia ?

reformidant, et Britanniæ horrent. Cur istum, proh nefas ! complectimini ? Aut quid potest iste, nisi deglutire bona patrimonia ? An ea de causa, o *singularis Imperator, et socer et gener cuncta evertistis ?*

auxit ; in codd. autem, *qua se amnis, &c.* unde Scal. dedit, *quas et amnis.*—21 In Scal. cod. erat, *Hunc Galliæ timet tellus, et Britanniæ ;* ex quo in ed. 1. finxit, *quas et a. a. T. Inundat, extimæ ecce Lusitaniæ ;* in ed. 2. ut spurium damnavit. *H. G. timent, timent B.* proposuit Avant. quod Ald. 1. et edd. optt. receperunt : *H. G. timent et B.* in Rheg. *Timentque G. hunc, timent B.* conj. Turn. In Stat. codd. extabat, *Hunc G. timet*   *et B.* sic, ut inter verbum *timet*, et id quod sequitur, paululum quid desit : itaque Faërn. conj. *timetis*, quod reposuit Ed. Bip.—22 *Quid hoc malum fovebis* Voss.—23 Pro prisca lect. *cuncta* Avant. legi jussit *uncta.*—24 *Eone nomine urbis opulentissimæ* in omnibus edd. ante Scaligerum.

NOTÆ

celebratus. Unde hic dicitur aurifer, quasi aurum ferens, quod et innuit illud Juvenal. Sat. III. 'tanti tibi non sit opaci Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum.'

21 *Hunc, Galliæ*] Id est, Mamurram tantum helluonem, qui tot rapinas, tantamque rapiendi licentiam habebat a Cæsare.

25 *Socer generque*] Id est, Cæsar et Pompeius, qui Rempub. omniaque everterunt, ut alter occuparet Imperium. Unde et Lucan. 'hinc socer, inde gener.' Dicuntur autem Cæsar et Pompeius omnia perdidisse, quia ipsi causa fuerunt bellorum Civilium, ex quibus præda opima obvenit Mamurræ. Sensus itaque est : Eone nomine, tu Cæsar, et tu Pompei, omnia perdidistis, ut iste Mamurra illa devoraret, et in voraginem ventris sui immergeret ?

CARMEN XXX.

AD ALPHENUM.

ALPHENE immemor, atque unanimis false sodalibus,

O *Alphene ingrate, et infidelis conjunctissimis amicis ; nunc,* o *inhumane, non*

NOTÆ

1 *Alphene*] Alphenus iste Varrus dictus, Cremona oriundus, abjecta arte Sutoria, quam in municipio suo exercuerat, Romam petiit, magistro-

Jam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi:
Jam me prodere, jam non dubitas fallere, perfide.
Nec facta impia fallacum hominum cœlicolis placent:
Quæ tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
Eheu! quid faciant dehinc homines, quoive habeant fidem?
Certe tute jubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia factaque
Ventos irrita ferre, et nebulas aërias sinis.
Si tu oblitus es, at Di meminerunt, meminit Fides:
Quæ, te ut pœniteat postmodo facti, faciet, tui.

misereris jucundi amici tui: nunc, o infidelis, non vereris deserere me, ac frustrari. Nec improba facinora perfidorum hominum Dis accepta sunt; quæ tu contemnis, et me in mea calamitate infelicem destituis. Eheu! eloquere, quid agant homines? Aut cuinam fidem adhibeant? Tu ipse profecto cogebas me tibi *committere animam, fallaciter me in* tui *studium impellens, tanquam cuncta mihi tuta essent* in amore tuo. Tu *ipse jam revocas te, et pateris auras, et nubes æthereas cuncta tua verba et facta irrita rapere.* Quæ *si tu oblitus es; at* certe *Di recordantur, et Fides ipsa recordatur, quæ* quidem *efficiet, ut aliquando pœniteat te facinoris tui.*

6 Stat. e Codd. affert *dico*, quod etiam habent Dresd. Venett. Brix. et Vicent. Stat. emend. *dehinc*, huncque secutus est Voss. Pontano legenti *dic* assentitur Hand.—7 In nonnullis edd. vett. *jurabas:* Marcil. in membranis non *jubebas* legit, sed *videbas*, quæ facile commutari possint, ob similitudinem syll. *vi* et *ju* in codd. antiq.—10 Mur. legit, *ad nebulas;* Stat. *ac nebulas.*—11 Lect. nostram tuentur edd. vett. In Stat. codd. *ut Di meminerunt;* in optimo Mureti, *at Di meminere, at m. F.* Guar. P. in notis ad h. l. affert, *et meminit:* hinc Hand. legit et interpungit, *Si tu oblitus es, (at Di meminere, at m. F.) Quæ, te....facti, facient, tui?*

NOTÆ

que usus Servio Sulpitio Jurisconsulto, factus et ipse Jurisconsultus, et Servii Sulpitii successor ad Consulatum etiam pervenit: cujus meminit Horat. I. Sat. 3. 'ut Alphenus vafer omni Abjecto instrumento artis, clausaque taberna Sutor erat sapiens operis.'

10 *Ventos irrita ferre*] Id est, pateris ut tua omnia promissa in vanum, et frustra sint. Nam quæ dicta sunt, nec ullum effectum consequuntur, 'a ventis et nubibus auferri' dicuntur; ut idem Catul. infra Carm. LXIV. vs. 142. 'Quæ cuncta aërii discerpunt irrita venti.' Ovid. 'Irrita ventosæ rapiebant cuncta procellæ.' Et alibi: 'et jubet aërios irrita ferre Notos.'

11 *Fides*] Fides etiam fuit Dea apud antiquos, maxime vero Romanos. Fidei ædes fuit in Capitolio ab Attilio Calatino consecrata. Cic. III. de Natura Deor. ait 'Fidem vicinam Jovi in Capitolio.' Vide Plin. lib. XXXV. Dionys. Hal. lib. II.

CARMEN XXXI.

AD SIRMIONEM PENINSULAM.

PENINSULARUM, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis,
Marique vasto fert uterque Neptunus:
Quam te libenter, quamque lætus inviso!
Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos
Liquisse campos, et videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis?
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.
Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude:

O *Sirmio, lumen peninsularum, et insularum omnium, quotquot habet in liquidis lacubus, et in immenso mari geminus Neptunus: quam jucunde, et quam gaudens ad te venio, vix ipse mihi persuadens me reliquisse Thyniam, et agros Bithynos, et te conspicere in tranquillo. O quid est fortunatius curis expeditis? Quando animus* noster *deponit pondus, et fatigati labore peregrino domum nostram advenimus, et quiescimus in cubili expedito. Istud* otium *est, quod pro tam magnis ærumnis unum* mihi præmium est. *Ave, o pulchra Sirmio, et lætare domino* tuo; *vos*

6 Pro vett. lectt. *tuo* et *tutu* Avant. legi jussit *tuto.*—9 Marcil. conj. *veni-*

NOTÆ

1 *Peninsularum, Sirmio*] Sirmio est oppidum in peninsula situm ad lacum Benacum, vulgo, *Lago di Garda.*

3 *Uterque Neptunus*] Aliis esse placet mare Superum et Inferum; aliis probabilius intelligitur et is, qui dulcibus, et is, qui salsis aquis imperat Neptunus.

5 *Thyniam atque Bithynos*] Thynia, sive Thynias, insula est juxta fauces Ponti, quam cum Bithynia eandem facit Claudian. 'Thyni Thraces arant, quæ nunc Bithynia fertur.'

9 *Larem ad nostrum*] Pro domo, igne, foco 'lar' in singulari numero maxime sumitur. Colum. II. cap. 1. 'Consuescat rusticos circa larem domini, focumque familiarem semper epulari.'

12 *Salve, o venusta*] Mos erat, ut qui primum ingrederentur regionem aliquam, religiose eam salutarent; quod cuique loco suum quendam Genium præesse arbitrabantur.

Gaudete, vosque Lydiæ lacus undæ:
Ridete quicquid est domi cachinnorum.

etiam gaudete, o *aquæ lacus Lydiæ; effundite in risum quicquid est cachinnorum domi.*



mus larem nostrum.—13 In nonnullis edd. vett. *vos quoque,* quod gloss. est lect. codd. *vosque. Ludiæ lacus* affert Scal. *Lariæ lacus* Marcil. e membranis; et sic Voss. ex opt. Commel. Avant. conj. *Lydiæ,* vel *limpidæ.*

NOTÆ

13 *Vosque Lydiæ*] Lydias aquas vocat Benaci Lacus, quasi Benacus, in quo Sirmio est, arenas aureas volvat, tanquam Hermus et Pactolus, auriferi Lydiæ amnes; vel potius quod sit Lacus Benacus in ditione Thuscorum, qui a Lydis originem duxere. Thuscorum enim Reges dicuntur Metropolin Mantuam habuisse.



CARMEN XXXII.

AD IPSITHILLAM.

Amabo mea dulcis Ipsithilla,
Meæ deliciæ, mei lepores,
Jube ad te veniam meridiatum.
Quod si jusseris, illud adjuvato,

Ipsithilla, mea suavis amica, *mea voluptas, mea festivitas, jube, quæso, me venire ad te meridiatum. Hoc si præceperis, id* etiam mihi *præstabis, ut nemo occludat*



1 *Hispitilla* profert Voss. ex libro vet. *Hypsithilla* Scal. et Vulp.—4 Gifa-

NOTÆ

1 *Amabo*] Vox est blandientis, qua Comici frequenter utuntur; adjunctum etiam non raro habet accusandi casum. Cic. ad Atticum: 'Cura, amabo te, Ciceronem nostrum.' *Hypsithilla* porro Latine, Græce dicitur ὑψιθέη, *Hypsithea.*

3 *Meridiatum*] Per meridiem dormitum. Meridiare enim, vel meridiari, est somnum capere meridianum, vel meridiem agere; unde 'meridiationes' apud Cic. de Divinat. Corn. Celsus: 'Longis diebus meridiare potius ante cibum utile est.' 'Meri-

Ne quis liminis obseret tabellam,
Neu tibi lubeat foras abire:
Sed domi maneas, paresque nobis
Novem continuas fututiones.
Verum, si quid ages, statim jubeto;
Nam pransus jaceo, et satur supinus
Pertundo tunicamque, palliumque.

fores ostii tui, et ne tibi veniat in mentem foras exire, sed moreris domi tuæ. * * *

nius in Indice Lucr. vult *adjubeto;* alii, *et jubeto.*—9 Vulp. tentabat, *si quid ago*, et explicat, 'si quid precibus proficio.'—10 Pro *satur* Stat. mavult *sathe*, a Gr. voce *σάθη*, *membrum virile.*

NOTÆ

diabat' Augustus Cæsar apud Sueton. in Augusto cap. 78. 'Meridiabat' et Cæsonia. Sueton. in Caligula cap. 38. Idem etiam Severus Imperator; Lamprid. in Alexand. Severo. cap. 62.

8 *Novem continuas fututiones*] Novem sine ulla intermissione coitus.

9 *Si quid ages*] Si venire me voles: vel, si eris in aliqua re occupata, cito te expedias, ut possis statim me admittere.

Statim jubeto] Scilicet, me venire.

10 *Nam pransus jaceo*] Ex hoc Catulli loco quidam mirantur, cur Servius in Æn. IV. dixerit apud antiquos in usu 'prandia' non fuisse, quod falsum affirmant. Quorum admiratio majori admiratione digna videbitur, si exactius rem ipsam considerare voluerimus. Constat enim 'prandium' penes antiquiores, in usu quidem apud omnes non fuisse. Quocirca apud Martial. in Epigr. de Horarum Divisione, nulla illius mentio habetur, sed militibus tamen concedebatur. Immo 'prandium' ideo dictum fuit, quia eos ad prælium paret. Dissolutiores quoque personæ prandebant. Hinc Liv. de Annibale intra Capuam luxuriante, 'Cœperunt convivari de die.' Apud Comicos quoque 'prandii' frequentissima fit mentio, ut in fabulis palliatis et dissolutioribus personis: ita etiam Catullus ad amicam scribens, et dissolute vivens, vel vivere simulans, 'prandii' hoc loco mentionem facit.

11 *Pertundo tunicamque palliumque*] Tanta est tentigo, ut non modo interiorem, sed etiam exteriorem percutiam vestem. Ab illo verbo *pertundo* dicta est Dea 'Pertunda,' de qua Arnobius lib. IV. 'Pertunda Dea, quæ in cubiculis præsto est virginalem scrobem effodientibus maritis.'

CARMEN XXXIII.

IN VIBENNIOS.

O FURUM optime balneariorum,
Vibenni pater, et cinæde fili:
Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius est voraciore:
Cur non exilium malasque in oras
Itis? quandoquidem patris rapinæ
Notæ sunt populo, et nates pilosas,
Fili, non potes asse venditare.

O tu Vibenni pater maxime furum balneariorum, et tu Vibenni fili impudice: pater enim manus habet inquinatiores; * * * *cur non abitis in exilium in aliquas regiones infelices? Siquidem patris furta manifesta sunt* toti *plebi.* * * *

3 Ex L. Carrionis Antiq. Lect. Comment. I. 16. patet, h. l. ita legi in codd. *Nam dextra pater est voraciore, Culo filius inquinatiore*; et sic corrigendum putavit Hand. Pro *inquinatiore* Guy. conj. *uncinatiore*.

NOTÆ

1 *O furum optime*] Vibennios patrem et filium exagitat, alteri furta, alteri nefanda stupra objiciens, patrem dicit callidissimum furandi magistrum, furacissimumque furum omnium, qui circa balnea versantes, lavantium se vestes surripere solerent. Quod sane Catullus lepide expressit vocabulo illo, *optime*, usus, quasi in vitiis bonitas esse possit.

5 *Malasque in oras*] Sicut dicimus, 'in malam horam abi,' quamvis et *in oras* legitur absque aspiratione, in infelices regiones.

6 *Quandoquidem*] Posteaquam, quoniam; rationem enim assignat, cur discedere debeant.

7 *Nates pilosas*] Hispidas nates, et minime appetibiles.

8 *Fili*] Casus est vocativi.

Non potes venditare] Frequenter, ut prius vendere.

Asse venditare] Ne minima quidem mercede conduci jam ad libidinem potes; assem enim hoc loco pro minutulo nummo accipere debemus, sicut et apud Horat. 'Quem si comminuas, vilem redigatur ad assem.'

CARMEN XXXIV.

AD DIANAM.

DIANÆ sumus in fide
Puellæ, et pueri integri:

Nos *puellæ et pueri incorrupti sumus in tutela Dianæ: nos* ergo *pueri et puellæ*

In Bip. et aliis Inscriptio est; *Seculare Carmen ad Dianam;* et sic in Scal. cod. improbante Bentl. qui malit, *Hymnus ad Dianam:* Avant. legebat *Hymnus Dianæ.*—1 In edd. vett. *sumus in æde:* Avant. conj. *simul in fide.*—3 Hic

NOTÆ

Ad Dianam [*Sæculare Carmen ad Dianam*] Sæculum spatium annorum centum vocarunt Antiqui, dictum a sene, quod longissimum spatium senescendorum hominum illud putarunt, ut Romanorum doctissimus Varro lib. v. de L. L. memoriæ prodidit. Hinc appellatum constat *Carmen seculare*, quod Ludis Secularibus in laudem Apollinis et Dianæ pro salute totius imperii Romani cantari solebat. Dicti sunt autem Ludi Sæculares, quod uno sæculo, hoc est, centum annorum spatio semel tantum a prima origine et præscripto Sibyllinorum versuum fierent. Aliquando celebrabantur ad Tiberim, sæpius in Capitolio, et in his inter alia observatum est, ut pueri puellæque ingenui patrimi ac matrimi tribus continuatis diebus ac noctibus Carmina et Pæanas accinerent, quibus populi Rom. imperium Dis immortalibus commendarent. Sacrificabant Apollini bovem album; Dianæ vero capras albas. Ad hos cum Præco populum Ludos invitaret, ad eos uti ad ludos venirent dicebat, quos nemo ipsorum antea vidisset, nemo esset postmodum visurus. Unde illa Vitellii assentatio Claudio Ludos Sæculares exhibentis, 'sæpe faciat.' Primus hos Ludos Valer. Publicola fecit post exactos Reges anno ab urbe condita 243. Secundi facti sunt ex libris Sibyllinis anno undecimo primi belli Punici, Claudio Pulchro, et L. Junio Bruto Coss. ann. Urbis 501. Quintos Augustus celebravit Furnio et Syllano Coss. De his noster Catullus hic agit, de quibus etiam tres hymnos lusit Horatius. Sextos Claudius Cæsar anticipatos nec expectato legitimo centum annorum spatio fecit; quod et alios sæpe fecisse comperimus.

Hujus porro Carminis versus est Glyconius constans spondæo et duobus dactylis, sed loco spondæi modo iambum, modo trochæum, quarto vero quoque versu loco ultimi dactyli spondæum, seu trochæum recipit.

1 *Dianæ sumus in fide*] In tutela Dianæ, quæ eadem est cum Luna nascentium ortus moderante, pueri sunt et puellæ; unde et Catullo concinit Horat. IV. Od. 6. 'Virginum primæ, puerique claris Patribus orti, Deliæ tutela Deæ.'

Dianam pueri integri,
  Puellæque canamus.
O Latonia, maximi
Magna progenies Jovis!
Quam mater prope Deliam
  Deposivit olivam;
Montium domina ut fores,
Sylvarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
  Amniumque sonantum.
Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis:
Tu potens Trivia, et notho es
  Dicta lumine Luna.

incorruptæ celebremus Dianam. O Latonia, clara soboles præpotentis Jovis, tu, quam parens enixa est ad oleam Deliacam, ut esses præses montium, et sylvarum frondentium, et saltuum abditorum, et fluminum resonantium! Tu Juno Lucina appellata es puerperis laborantibus; tu magna Hecate, et Luna appellata es lucens

versus debetur Avantio, et receptus est in Ald. 1. deest in codd. et edd. vett. —8 Prisca lectio erat *Deposuit;* Petrus Victorius primus docuit legendum

NOTÆ

3 *Dianam pueri integri, Puellæque canamus*] Ter novem pueri prætextati, totidemque virgines, patrimi ac matrimi, Græca Latinaque voce carmina Dianæ atque Apollini concinebant ludis sæcularibus, ut jam supra vidimus. Horat. I. Od. 21. 'Dianam teneræ dicite Virgines, Intonsum pueri dicite Cynthium, Latonamque supremo Dilectam penitus Jovi.'

5 *O Latonia, maximi*] Diana dicitur Latonia a matre Latona, quæ, ut tradunt fabulæ, ex Jove peperit Dianam et Apollinem.

7 *Prope Deliam*] De Latonæ partu varii Scriptores varia prodidere: communior sententia est, Apollinem Dianamque uno partu ab ea editos in Delo insula maris Ægæi inter Cycladas eminenti, quæ celeberrimum habuit Apollinis et Latonæ templum, quamque alio nomine veteres dixerunt Ortygiam.

8 *Deposivit*] 'Antiqui,' Priscianus ait, 'posivi pro posui protulisse inveniuntur.' Plaut. 'Nunc apud sequestrum vidulum posivimus.' Apul. 'Et cibatum eum apposiverunt.'

15 *Tu potens Trivia*] Diana multiplici nomine dicta, multiplici quoque potestate prædita fingebatur, sed inter illa omnia nomina et munia, 'Trivia,' eademque 'triformis Hecate,' quod esse diceretur 'Luna Polo, Diana Solo, Proserpina Averno.' 'Lucina' dicta est, quod adsit parturientibus, et partum in lucem producat. Unde apud Terent. 'Lucina, fer opem;' et apud Virgil. 'Casta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo.'

Tu cursu, Dea, menstruo
Metiens iter annuum,
Rustica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.
Sis quocumque placet tibi
Sancta nomine, Romulique
Antiquam, ut solita es, bona
Sospites ope gentem.

aliena luce. *Tu* etiam, o *Diva, percurrens viam annuam curriculo menstruo, imples rusticanas domos agricolarum utilibus fructibus. Qualibet appellatione* vocari *velis, augusta sis; et serves incolumem, ut consuevisti, faventi præsidio Romuli et Anci populum.*

h. l. *Deposivit:* Avant. legebat *Deportavit.*—22 Lect. nostram servant plurimi codd. unus Stat. habet, *Antiqui;* codd. Marcil. *Antiquum;* unus Scal. *Antique,* unde finxerat *Ancique,* ob similitudinem litt. *t* et *c* in membranis, et hæc lect. plurimas edd. invasit.

NOTÆ

Unde et Horat. 'Quæ laborantes utero puellas Ter vocata audis,' &c. Juno dicitur a 'juvando,' quod puerperas juvare crederetur.

Notho es Dicta lumine] Cum Luna aliena luce luceat, antiqui mulos ejus vehiculo dabant; quod ut mulus non suo genere, sed equis, creatur, sic ea Solis, non suo, fulgore luceat: auctor Festus.

22 *Romulique Antiquam* [*Ancique*] Romulus et Ancus Romæ Reges fuerunt. Alter ordine primus, alter quartus: unde eorum Gens dicitur Populus Romanus.

CARMEN XXXV.

CÆCILIUM INVITAT.

Poëtæ tenero, meo sodali,
Velim Cæcilio, papyre, dicas,

O *Charta* mea, *nunties velim Cæcilio Poëtæ suavi amico meo,* ut *deserens Novi*

NOTÆ

1 *Poëtæ tenero*] Cæcilium Poëtam amicum Catullus accersit Novo Como Veronam, ipsi quædam amici cujuspiam utrique communis consilia

Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque littus:
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui, meique.
Quare, si sapiet, viam vorabit,
Quamvis candida millies puella
Euntem revocet, manusque collo
Ambas injiciens, roget morari:
Quæ nunc, si mihi vera nuntiantur,
Illum deperit impotente amore.
Nam, quo tempore legit inchoatam
Dindymi dominam, ex eo misellæ
Ignes interiorem edunt medullam.
Ignosco tibi Sapphica, puella,

Comi muros, et Larium Lacum, Veronam adveniat: etenim cupio ut *excipiat quædam consilia familiaris sui simul et mei. Itaque si prudens erit, iter avide accelerabit, etsi pulchra puella millies retardet proficiscentem, et utramque manum cervici ejus implicans precetur ipsum remanere: quæ* quidem *si certa mihi referuntur, jam ipsum amat insano ardore; ex quo enim legit inceptam Dindymi præsidem, exinde flamma consumit intima viscera infelicis puellæ. Sed parco tibi,* o *puella,*

13 In Brix. et Vicent. *legit entheatam Dindymi dominam:* Mur. scribit *inco-*

NOTÆ

communicaturus. Variis autem temporibus varii fuere Cæcilii, quos inter duo celebres a Quintil. memorantur, alter Rhetor, alter Comicus, Statius dictus, cui primas in Comœdia nonnulli tribuunt; sed illi superiores tempore fuerunt hoc Cæcilio, qui Poëta Veronensis fuit, et Catulli amicus.

3 *Novi Comi mœnia*] Novum Comum civitas est Galliæ Cisalpinæ juxta Larium Lacum, a Gallis, Duce Brenno, condita, ut vult Justinus. De qua Strabo lib. v.

4 *Lariumque littus*] Lacus Larius, Alpibus vicinus, Italis *Lago di Como*, ad Comum oppidum, totius Italiæ amplissimus, dictus est a fulicarum multitudine; Λάρος enim Græcis, *fulica* Latinis dicitur. Larium lacum integro libello descripsit elegantissime Paul. Jovius. *Littus* porro hic sumitur pro ripa; nam *Littus* maris tantum esse putatur a multis, quamquam Virgilius de fluminibus etiam *Littus* dixit. l. VII. Æneid. 'Quique Numici Littus arant.' Idemque Æn. VIII. 'viridique in littore conspicitur sus.'

14 *Dindymi dominam*] Cæcilius ille inchoaverat poëma de Cybele Deorum matre, cujus sacra in Dindymo Phrygiæ monte celebrabantur.

16 *Sapphica, puella, Musa doctior*] Alii alio modo hunc locum interpretantur; hæc recta videtur interpretatio, ut dicatur Cæcilii amica multo doctior Sappho illa poëtria celebri, quod illa Phaonem ignarum adoles-

Musa doctior: est enim venuste
Magna Cæcilio inchoata Mater.

eruditior Musa Sapphica, nam eleganter incepta est a Cæcilio magna Deorum parens.



hatam.—18 Avantius legebat, *Magna a Cæcilio.*

NOTÆ

centem, qui nihil venuste posset scribere, adamavit; hæc vero non ante Cæcilium deperire cœperit, quam inceptum opus ejus de Cybele eleganter scriptum legit.



CARMEN XXXVI.

IN ANNALES VOLUSII.

Annales Volusî, cacata charta,
Votum solvite pro mea puella:
Nam sanctæ Veneri, Cupidinique
Vovit, si sibi restitutus essem,
Desissemque truces vibrare iambos,
Electissima pessimi poëtæ
Scripta tardipedi Deo daturam

O Annales Volusii, papyrus oleto fœdata, nunc reddite votum pro amica mea; ipsa enim vovit Augustæ Veneri et Cupidini se tradituram esse tardigrado Deo versus exquisitissimos impurissimi Poëtæ infaustis lignis concremandos, si modo sibi



3 Livin. conj. *sancte.*—5 In edd. vett. *Dedissemque;* Avant. conj. *Desissem-*

NOTÆ

1 *Annales Volusî*] Volusius ille insulsus Poëta Patavio oriundus Annales versibus scripserat; cui quod Catullus erat iniquior, Lesbia ejus amica, ut ipsum sibi iratum reconciliaret, voverat joco se Annales Volusii crematuram.

7 *Tardipedi Deo*] Vulcanus Jovis et Junonis filius 'tardipes' dicitur, quia e Cœlo a parentibus ob deformitatem dejectus est in Lemnum insulam, ubi ab Eurymone Oceani filia

Infelicibus ustulanda lignis:
Et hæc pessima se puella vidit
Jocose et lepide vovere Divis.
Nunc, o cœruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium, Syrosque apertos,
Quæque Ancona, Cnidumque arundinosam
Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos,
Quæque Durrachium Adriæ tabernam:
Acceptum face, redditumque votum,

reconciliatus essem, et cessavissem in ipsam jaculari iambos asperos. Atque hæc pessima puella novit se per ludum festive facere votum illud Dis. Jam vero, o Dea progenita e mari cæruleo, quæ habitas Idalium venerandum, et Urios patentes, et Anconam, et Cnidum arundinibus abundantem, et Amathunta, et Golgos, et Durrachium maris Adriatici hospitium, tu fac admissum et solutum tibi hoc votum, si non

que.—9 *Et hoc* in Venet. Gryph. et Mur.—10 *Jocose, lepide* omnes Stat. et Scal. codd. *Joco se* Voss. quem sequuntur Gott. Bip. et aliæ: *Joco sed lepido* conj. Heins. Lect. nostram servant edd. vett. et Gryph. et Mur.—12 In edd. vett. *Uriosque*, quod recepit Bip. Avantii conjecturam *Eriosque* dedit Ald. Stat. conj. *Uxiosque;* Turnebus *Mariosque;* Corrad. *Erycosque;* Heins. *Uriosque portus.* Lect. nostram ex vestigiis antiquorum codd. eruit Vossius. —14 *Colchos* in omnibus codd. quod in *Golgos* primus mutavit Hermolaus Barbarus, aliter Petrus Bembus.—15 Alii *Durrhachium* vel *Dyrrachium.*—

NOTÆ

et Thetide enutritus est: quo ex casu sibi crus infregisse dicitur, unde claudus factus est.

8 *Infelicibus ustulanda lignis*] Veteribus arbores erant aliæ felices, aliæ infelices: prodigia autem et portenta sic illi plerumque curabant, ut ea lignis infelicibus exurerent. Macrob. 'Arbores,' inquit, 'quæ inferum Deorum avertentiumque in tutela sunt, eas infelices nominant: quibus portenta, prodigiaque comburi jubere oportet.'

12 *Sanctum Idalium*] Cypri nemus et oppidum, in quo Venus colebatur, unde Idalia dicta est.

Syrosque [*Uriosque*] *apertos*] Uria, nunc vulgo *Orea*, urbs in ora Apuliæ, seu Iapygiæ, in plano et edito loco sita, post flexum Gargani montis: hujus incolas Catullus *Urios* appellat, apud quos 'Αφροδίτη ἀναίτιος colebatur. Sunt qui legant *Ærios*, ac populos Cypri fuisse dicant.

13 *Anconam*] Urbs est Italiæ in Piceno sita, 'Ancon,' seu 'Ancona' dicta.

Cnidumque] Urbs insignis Cnidus in extremo cornu peninsulæ Cariæ adhærens, Praxitelis Venere inprimis nobilis. Horat. I. Od. 30. 'O Venus, Regina Cnidi Paphique.'

14 *Amathunta, quæque Golgos*] Hæ sunt urbes Cypri insulæ, quæ tota Veneri sacra.

15 *Durrachium Adriæ tabernam*] Urbs est in ea parte Macedoniæ, quæ mari Adriatico incumbit.

16 *Acceptum face*] Metaphora ducta ab argentariis qui acceptam redditamve pecuniam facere dicuntur, cum in tabulas suas referunt eam sibi solutam fuisse.

Si non illepidum, neque invenustum est.
At vos interea venite in ignem,
Pleni ruris et inficetiarum,
Annales Volusi, cacata charta.

est indecorum et injucundum: vos igitur Annales Volusii, papyrus oleto fœdata, referti rusticitate et ineptiis, accedite in flammas.

19 *Pleni turis* in edd. vett. et cod. Scal. Palladius dedit *ruris* ex antiq. codd. et sic conj. Statius.

NOTÆ

19 *Pleni ruris*] Hic Poëta *rus* pro rusticitate posuit, ut supra dixit, 'Idem inficeto est inficetior rure.' Alii legunt, *thuris* seu *turis*, quod vilioribus chartis thus et odores involuti darentur emtori. Unde Horat. 'Deferar in vicum vendentem thus et odores.' Martial. 'Et thuris piperisque sis cucullus.'

CARMEN XXXVII.

AD CONTUBERNALES.

SALAX taberna, vosque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas vobis?
Solis licere quicquid est puellarum
Confutuere, et putare ceteros hircos?

O *taberna libidinosa, et vos,* o *sodales, nona columna post fratres pileatos.* * *

5 Hunc versum non a Catullo conscriptum, sed vel ab antiquiore interpolatore, vel a lectore aliquo libidinoso adjectum esse, arbitrabatur Haudius.—

NOTÆ

1 *Taberna*] Tabernæ Romæ per pilas designabantur, nam cuique tabernæ sua pila opponebatur; hinc per pilas tabernæ numerabantur, ut hoc loco Catullus, qui hic significat nonam tabernam a Castoris templo.

2 *A pileatis nona fratribus pila*] Pileati fratres erant Castor et Pollux, qui Romæ habitu Laconico dedicati fuerant, pileis tecti. Lacones enim fuerunt, quibus *pileatis* militare mos fuit. Horum templum fuit in foro ad lacum Juturnæ, a Castore tantum nominari solitum; etsi tum ipsi, tum Polluci sacrum erat.

3 *Solis putatis esse mentulas vobis*] Vos tantum mentulati esse creditis?

4 *Quicquid est puellarum*] Id est, omnes puellas.

5 *Confutuere*] Simul cum illis rem

An, continenter quod sedetis insulsi
Centum, aut ducenti, non putatis ausurum
Me una ducentos irrumare sessores?
Atqui putate; namque totius vobis
Frontem tabernæ scipionibus scribam.
Puella nam mea, quæ meo sinu fugit,
Amata tantum, quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic. Hanc boni beatique
Omnes amatis: et quidem, quod indignum est,

* * * *Nam stipitibus* semiustis *exarabo faciem totius tabernæ vestræ. Nam amica mea, quæ a me discessit tantum dilecta, quantum nulla unquam diligetur; pro qua a me gravia sunt certamina decertata, ibi commoratur.* Vos *omnes belli et fortunati*

---

9 Idem Hand. pro *namque* contendit legendum *jamque*. Mox pro *scipionibus* substituit *inscriptionibus*, et locum ita interpr. 'Putate me ausurum, una ducentos sessores et simul vos omnes irrumare. Jamque ego in vestram contumeliam totius tabernæ frontem epigrammatis et titulis inscribam.' In codd. et edd. vett. *scipionibus;* Guar. P. metrum non curans, emend. *siphonibus inscribam;* Voss. *sopionibus*, vel *soprionibus:* aliis placet *titionibus*, vel *scriptionibus.*—11 Omnes Stat. codd. et Dresd. exhibent, *Puella nam me, quæ*, quod recepit Guarinus; Ald. ex conj. Avantii *Puella namque, quæ;* Vicent. Brix. Rheg. et Venett. *Puella nam modo, quæ*, quod placuit Mureto et Voss. In uno Stat. *quæ meo e sinu;* in omnibus aliis ejusdem, ut et in Vicent. Brix. Venett. Ald. et Mur. *quæ meo sinu;* in Rheg. *quæ e meo sinu.* Lect. nostra est ex ingenio Statii, a Scal. Græv. Bip. aliis recepta; metro tamen laborat, et ab Hand. damnata est, qui codd. lect. manifeste corruptam ita emendandam putavit, *Puella amata, quæ meo sinu fugit, Amata, &c.*—13 *Pro qua sunt mihi* in Dresd. Venett. Brix. Rheg. et Vicent. *mihi sunt* est emend. Avantii primum recepta in Ald. 1. Scal. e cod. affert *patrata*, (probante Heins.) quod

NOTÆ

habere. Notandum est in prima sede hujus carminis dactylum esse.

Et putare ceteros hircos] Id est, tanquam *hircos* puellis invisos esse, hoc est, habere hircinum et fœtidum odorem, qui in alis maxime innasci solet, et 'hircus' ab animalis fœtore appellatur. De quo alibi dicit: 'Valle sub alarum trux habitare caper.'

6 *An, continenter quod sedetis*] *Continenter*, adverbium, sine intervallo significat.

Insulsi] Illepidi et invenusti, sine sale.

7 *Centum, aut ducenti*] Quasi diceret, multitudine et numero, non viribus, freti estis.

8 *Sessores*] Qui semper in tabernis sicut opifices et tabernarii sedetis.

9 *Atqui putate*] Sed putate, scilicet, et nobis mentulas esse, et me ausurum vos irrumare.

10 *Scipionibus scribam*] Solebant veteres, eorum, quibus obtrectare vellent, ædium fores dicteriis probrosis pingere, et quidem carbone aut semiusto stipite literis ductis, quod Plaut. dixit, 'implere fores Elogiorum carbonibus.'

Omnes pusilli, et semitarii mœchi;
Tu præter omnes une de capillatis
Cuniculosæ Celtiberiæ fili,
Egnati, opaca quem bonum facit barba,
Et dens Hibera defricatus urina.

amatis illam; et quod minus ferendum est, viles omnes et vulgares scortatores: sed *tu præ ceteris, o fili Egnati, une de comatis Celtiberiæ cuniculis plenæ, quem probum efficit densa barba, et dentes Hispaniæ lotio detersi.*

corrigi vult *parata;* lect. plur. codd. *pugnata* propugnavit Stat.—17 Quatuor hi ultimi versus, quos recentiores edd. huic Carm. adjunxerunt, in Dresd. novum Carmen efficiunt. Pallad. et Guar. P. auctore Avantio, post v. 9. Carm. XXXIX. posuerunt. In Vicent. Brix. Rheg. et Venett. cum sequenti Carmine conjunguntur. Vers. 17. 18. affert Priscian. lib. V. p. 673. 10. et iterum VI. p. 741. 24. ed. Putsch. in altero loco pro *Cuniculosæ* legitur *Celtiberosæ;* unde Voss. conj. *Celtis perosæ:* sed lect. nostram tuentur omnes codd. et ex nummo, ubi sedens cum oleæ ramo mulier et astans cuniculus, peculiare Hispaniæ symbolum, exhibetur, defendit Spanhem. 'Tantum abest, ut hos quatuor versus cum Carm. XXXVII. conjungendos defenderim, ut ex alio Carmine desumtos, e Capri Gramm. libris, quos Priscian. ante oculos habuit, in codd. Catulli receptos, et juxta Carm. XXXIX. similis argumenti positos existimem.' *Hand.*

NOTÆ

18 *Cuniculosæ Celtiberiæ*] Pars est Celtiberia Hispaniæ Citerioris, in qua Bilbilis et Numantia, quamque Celtiberi populi, ex Celtis et Iberis misto nomine dicti, incoluerunt. Unde Lucan. 'Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.' Porro Celtiberia cuniculis et cavernis abundat. Strabo, lib. III.

20 *Et dens Ibera defricatus urina*] Refert Strabo, Hispanos adeo viles ac sordidos fuisse, ut ex lotio diu inter cloacas collecto lavacra sibi conficerent, et ex eo sibi suisque uxoribus intritis purgamentis dentes abstergerent.

CARMEN XXXVIII.

AD CORNIFICIUM.

MALE est, Cornifici, tuo Catullo:

Cornifici, ægre est Catullo tuo, ægre est certe, et operose, qui etiam magis et

NOTÆ

1 *Cornifici*] Hic Cornificius forte fuit eruditissimus ille Poëta, cujus egregia opera usus est Augustus in bello Siculo: huic soror fuit nomine Cornificia, cujus carmen magno in pretio habitum fuit.

Male est, mehercule, et laboriose,
Et magis magis in dies et horas:
Quem tu, quod minimum facillimumque est
Qua solatus es allocutione?
Irascor tibi. Sic meos amores?
Paulum quid lubet allocutionis,
Mœstius lacrymis Simonideis.

magis in dies succenseo tibi; itane delicias meas puerum *accepisti? Quem tu quo sublevasti alloquio? Quod tamen levissimum est et tibi expeditissimum; parum quidpiam alloquii adhibuisti, tristius lacrymosis versibus Simonideis.*

2 In Mur. *Hercule me;* in vett. libb. *mercule*, ut conj. Stat. et edidit Corrad.—3 Lect. nostram servant cod. unus Mur. aliique vetusti. Vide infra Carm. LXIV. 275. *Magisque et magis* in Gryph. Scal. 1. Voss. et Vulp. Statim post hunc versum sextum posuit Scal.—4 *Quam* tentabat Corrad. improbante Doer.—6 *Dic meos amores* vult Heins. improbante Doer. Stat. interpungit, *Sic meos amores Paulum: quid, &c.*—7 *Paulum quid*, vel, *quod*, in quibusdam vett. *Paulum quidlibet* in Gryph. Mur. et aliis; *Paulum quod juvet* Voss. approbante Heins. 'Versum desidero qui post hunc sequeretur; nisi si cui videtur *Mœstius* in *Misisses* mutandum.' *Stat.*

NOTÆ

8 *Mœstius lacrymis Simonideis*] Simonides ex Cea insula oriundus, Lyricus Poëta insignis, ac Bacchilidæ Lyrici patruus condendorum carminum auctor egregius, funebres laudationes singulari commiseratione prosecutus est; ad quas alludit Horat. II. Od. 1. 'Ceæ retractes munera næniæ.' Testaturque Fabius eum in tristium rerum tractatione excelluisse.

CARMEN XXXIX.

IN EGNATIUM.

EGNATIUS, quod candidos habet dentes,
Renidet usquequaque: seu ad rei ventum est

Egnatius arridet in omni loco et tempore, quia habet nitidos dentes: sive acces-

1 In nonnullis edd. vett. *quæ candidos.*—2 Pro *seu* ad vitandam diphthongi

NOTÆ

1 *Egnatius*] Ineptiam Egnatii Hispani exagitat, qui ut candorem dentium, quem sibi crebris urinæ lavacris spurcissime parabat, ostentaret, semper nulla etiam occasione ridebat.

2 *Seu ad rei ventum est Subsellium*]

Subsellium, cum orator excitat fletum,
Renidet ille: seu pii ad rogum fili
Lugetur, orba cum flet unicum mater,
Renidet ille: quicquid est, ubicumque est,
Quodcumque agit; renidet. Hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati:
Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut pastus Umber, aut obesus Etruscus,

sum est ad subsellium rei, ubi orator lacrymas commovet; tamen ipse arridet: sive ploratur ad funus boni nati, quando mater orba unicum filium *plorat; ipse tamen arridet, quidlibet accidit, quocumque in loco est, quicquid facit, semper arridet. Hoc habet vitium, neque, ut opinor, facetum nec venustum. Itaque illud monendus es a me,* o *bone Egnati, si Romanus, aut Sabinus esses, aut Tiburtinus, aut obesus*

elisionem in hoc et quarto versu Voss. legit *si*.—9 *Quare monendus est mihi. Bone Egnati* Muretus; Scal. et Voss. legunt *es*, sed interpungunt post *mihi*.—11 In plerisque vett. *parcus Umber;* unde Scal. fecit *porcus*, quem sequitur Bip. 'Ea emendatio nostra confirmatur Lexico P. Danielis, cui parile ego vidi in Monasterio Vindocinensi.' *Scal.* 'Parum recte Scal. noluit enim Catullus Umbros ridere, sed potius laudare succulenta Umbrorum corpora.' *Doer.* Mel. pro *Parthus*, quod invenerat in cod. legit *fartus*: quidam *pinguis*.

NOTÆ

Cum in judicium venit, ut advocati munere fungatur. Subsellia enim erant, in quibus ii judices qui Magistratum Curulem non gerebant, considebant, et causas cognoscebant: quinetiam ii, qui causas agerent, in subselliis erant, cum reis atque testibus. Aliquando etiam subsellia pro ipsis judicibus accipiuntur. Martial. lib. I. 'Sextiliane bibis quantum subsellia quinque.'

10 *Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs*] Hic *urbanus* idem est ac Romanus, quemadmodum 'Urbs' κατ' ἐξοχὴν dicitur Roma. Sabini autem populi fuerunt in quarta Italiæ regione non longe ab urbe Roma. Hi graves habiti fuerunt et austeri. Horat. II. Epist. 1. 'Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis.' Tiburs Civitas in Sabinis, crebris fontibus irrigua, olim Polystephanos dicta, a Tiburto, Catillo, et Corace Græcis, Amphiarai liberis communiter condita, et a Tiburti solius nomine Tibur, seu Tiburs appellata. Tiburs etiam idem est ac Tiburtinus, et Tiburtius.

11 *Aut pastus* [*porcus*] *Umber*] Umbria Italiæ regio dicta ἀπὸ τοῦ ὄμβρου, hoc est, *ab imbre*, quod Umbri, omnium Italiæ populorum antiquissimi, inundationi terrarum imbribusque superfuisse credantur: vel Umbria dicta est ab umbra, quod ea regio propter Apennini montis vicinitatem umbrosa sit, cujus incolæ dicti sunt Umbri vel Umbrici. *Porcus* autem, Varrone teste, pinguis et obesus veteribus dicebatur. Alii vero legunt, *parcus*, sed male; nam luxus Umbrorum a multis incessitur scriptoribus idoneis.

Aut obesus Etruscus] Etruria sive

Aut Lanuvinus ater atque dentatus,
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut quilibet, qui puriter lavit dentes;
Tamen renidere usquequaque te nollem:
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiber es: Celtiberia in terra
Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane
Dentem, atque russam defricare gingivam;

Umber, aut pinguis Tuscus, vel Lanuvinus niger et dentosus, vel Transpadanus, ut etiam meos attingam: si denique *quivis esses, qui pure dentes* suos *abluit; non tamen concederem te omni loco et tempore arridere: neque enim quicquam absurdius est risu intempestivo. Jam vero cum sis Celtiber,* natus *in Celtiberia regione,* ubi *unusquisque mane solitus est abstergere* sibi *dentes et rubentes gingivas eo* lotio,

—12 In quibusdam edd. vett. *Lavinius acer,* pro quo legi jubet Avant. *Lanuvinus acer.*—17 In Stat. codd. *Nunc Celtiber Celtiberia in terra;* in cod. Scal. Venett. Brix. et Vicent. *Nunc Celtiber ex Celtiberia in terra;* unde Scal. legit, *N. Celtiber in Celtiberia terra;* in Ald. Gryph. Mur. Stat. præeunte Avant. *N. Celtiberus Celtiberia in terra;* Faërn. legendum putavit, *N. Celtiberque, Celtiberaque in terra,* improbante Stat. Cant. tentat, *N. Celtiber, et Celtiberia in terra,* et expl. 'Nunc cum sis Celtiber:' Heins. vult, *Nunc Celtiber e Celtiberia terra:* Doer. *Nunc Celtiber, at Celtiberia in t.* Emendatio Corrad. in Gott. et Bip. recepta, quamque nos etiam exhibuimus, vere genuina videtur. In membranis vett. *ex* et *es* vix distingui possunt.—19 Omnes Stat. codd. habent *rusam;* edd. vett. *rufam,* vel *russam.* Apul. Apol. I. legit, *pumicare gingivam,* probante Marcil.

NOTÆ

Tuscia Italiæ item regio est, a Latio Tiberi, a Liguribus Macro fluvio divisa. Hujus incolæ Etrusci, Tusci, ac etiam Tyrrheni appellantur.

12 *Lanuvinus ater*] Lanuvii civis, quod oppidum est Latii ad viam Appiam a Diomede conditum.

13 *Transpadanus*] Transpadana regio ea pars est Italiæ, quæ inter Apenninum et Alpes sita est ad Padum flumen, in qua Verona Poëtæ nostri patria.

14 *Puriter lavit*] Veteres 'puriter,' 'proterviter,' 'ignaviter, 'superbiter,' 'temeriter,' &c. dicebant, ait Priscian. *Lavit* etiam pro *lavat:* sicut et lavo, lavas, et lavo, lavis, veteres efferebant. Horat. IV. Od. 6. 'Phœbe qui Xantho lavis amne crines.' Virgil. 'Lavit improba teter Ora cruor.'

17 *Celtiber*] Alii legunt, *Celtiberus,* veriti ne una syllaba deficiat versus. Celtiberi porro populi sunt Hispaniæ ad Iberum flumen siti, quorum regio dicta est Celtiberia, a Celtis et Iberis simul mixtis et habitantibus. Vide Strab. lib. III. Plin. lib. III. cap. 4. et lib. IV. cap. 17. *Celtiberia in terra* dixit Catullus, quomodo 'Galliam terram,' et 'Africam terram' dixit Cæsar Comment. de Bell. Gall. et ut dixit Gellius lib. II. cap. 22. 'Ventum qui ex Gallia terra flaret, Circium appellari.'

19 *Russam defricare gingivam*] Spurcissimam Hispanorum insectatur fœditatem, de qua etiam Apuleius Apolog.

Ut quo iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse prædicet lotî.

quod minxit, facis indecore renidendo; *ut quanto nitidiores sunt isti dentes vestri, tanto magis indicent vos ebibisse plus urinæ.*

NOTÆ

21 *Lotî*] Synæresis est, pro, *lotii*, quod est non urina solum hominis, sed aliorum quoque animalium. Fœdum autem hunc Hispanorum morem præter nostrum Catullum notarunt etiam Diodorus Sicul. lib. v. et Strabo Geograph. lib. III. qui Hispanos urina et lotio in cisternis inveteratis non tantum dentes, sed et totum corpus lavare consuevisse scripserunt.

CARMEN XL.

AD RAVIDUM.

QUÆNAM te mala mens, miselle Ravide,
Agit præcipitem in meos iambos?
Quis Deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
Anne ut pervenias in ora volgi?
Quid vis? qualubet esse notus optas?
Eris: quandoquidem meos amores

Quænam te dira mens, o *infelix Ravide, præcipitat in meos iambos? quis Deus male invocatus a te vult insanam movere contentionem? An* hoc facis *ut in sermonem hominum venias? quid cupis? An vis notus esse quacumque possis ratione?*

1 Faërn. pro *Ravide* legendum putavit *Raude;* sed nihil necesse; postrema sylk. a principe subsequentis versus absumitur: Avant. legit *rapide*, litera prima minore.—5 In omnibus Stat. codd. *perveniamus*.—6 *Quia vis* in uno Stat. cod. unde ille, *Quovis qualubet esse notus optas:* Voss. *Cuivis qualubet, &c.*

NOTÆ

1 *Quænam te, Ravide*] Ægre ferens Poëta noster Ravidum quendam obscurum ac vilem hominem factum esse sibi rivalem, minatur se mordaces iambos in ipsum vibraturum, ut sic tandem notus, et ad infamiam traductus, evadat in fabulam vulgi.

3 *Non bene advocatus*] Hoc est, non legitimo ritu placatus. A Dis enim iratis mala consilia veteres immitti putabant. Cicer. pro Mil. 'Di immortales mentem dederunt illi perdito ac furioso, ut illi faceret insidias; aliter perire pestis illa non poterat.'

Cum longa voluisti amare pœna.

Eris; quoniam ausus es amare meam puellam cum sempiterno tuo *supplicio.*

NOTÆ

8 *Cum longa voluisti amare pœna*] Quia nempe tamdiu ab hominibus infamia Ravidi ridebitur, quamdiu Catulli Carmina legentur.

CARMEN XLI.

IN AMICAM FORMIANI.

An sana illa puella defututa
Tota? millia me decem poposcit;
Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani.
Propinqui, quibus est puella curæ,
Amicos medicosque convocate:

*Acme illa puella * * * a me postulavit decem millia integra* nummorum! *puella,* inquam, *ista naso turpi,* quæ est *amica* illius Mamurræ *Formiani decoctoris!* Vos, o *cognati, in quorum tutela est* ista *puella, amicos vestros et medicos advocate.*

1 In edd. vett. plerisque, *Acme illa;* et sic in Bip. in Stat. codd. *Ameana;* unde fecit *Acme, una puella:* Scal. in suo cod. invenit *A mean;* unde dedit, *Ah me, an:* Voss. conj. *Ain' sana puella:* Vulp. secutus est Scal. Lect. nostra est ex emend. Corrad. in Gott. recepta, cui, inquit Doer. egregie respondere videtur vs. 7. Passer. qui legit *Acme,* interpungit post *Tota,* alii jungunt

NOTÆ

1 *An sana* [*Acme, an*] *illa*] Meretriculam Acmen, cujus blanditiis fuerat delinitus, insectatur Poëta, quod ab ipso decem millia nummorum pro mercede concubitus ausa sit postulare; eamque ob id velut insanam, phreneticam, et larvarum imaginationes patientem traducit; quæ nempe, cum esset deformis, prorsusque infamis, ac projectæ turpitudinis prostibulum, cuperet sibi tantum pretium dari.

Defututa [*Difututa*] Compositio verbi multitudinem significat, quasi dicatur puella a diversis viris subagitata.

2 *Millia*] Hoc a Demosthenis dicto sumitur, a quo cum Lais famosa meretrix mille drachmas ad concubitum petiisset; ipse respondit: 'Non emo tanti pœnitere.'

4 *Decoctoris Formiani*] Decoctores dicuntur ii, qui bonis male consumtis gula ad inopiam redacti fallunt creditores. Ille vero, de quo hic Catullus, Mamurra est, Formiis urbe Campaniæ oriundus, Julii Cæsaris Fabrum præfectus, de quo plura postea.

Non est sana puella; nec rogare
Qualis sit solet hæc imaginosum.

Nam puella ista *non est sui compos; nec quærite quo malo laboret; nam ipsa consuevit imaginosum* morbum pati.

Tota millia.—7. 8 Statii codd. exhibent, *nec rogare Qualis sit solet, et imaginosum;* vel, *nec rogare Qualis sit solet, nec imaginosum;* in aliis codd. et edd. vett. *nec rogate Qualis sit, solet hæc imaginosum.* Mur. qui legit, *nec rogare Qualis sit solet hæc imaginosum,* interpr. 'speculum de forma sua consulere non solet.' Scal. legit et interpungit, *nec rogate Qualis sit. Solet hæc imaginosum,* et supplet ad vocem *imaginosum* 'morbum ægrotare,' h. e. κορυβαντιᾷ, φρενιτιᾷ· Salmas. ad Solin. p. 1087. legit, *dolet hæc imaginosum,* quod explicat, μαίνεται, φρενιτιᾷ· Voss. ut novam inferret obscœnitatem, exculpsit ἐκμαγείου ὄζειν· '*hæc imago nasum* inepte Turnebus,' inquit Doer. at Turnebus ap. Scal. non sic legit, sed sequitur Muretum, et eodem modo interpretatur: Corrad. dedit, *en imago nasum!* cui adhæret Gott. Doer. proposuit, *nec rogare Qualis sit, solet; en imaginosam!* h. e. nec in se descendere et quærere solet, quam vilis et deformis sit; en quantum ejus phantasia valet in fingenda sibi de se formaque sua imagine; vel, in eandem sententiam, *nec rogare, Qualis sit, solet hæc imaginosa.* 'Equidem lubenter fateor, me nondum a sensu meo impetrare potuisse, ut in ulla a VV. DD. ad h. l. allata vel explicatione vel emendatione acquiescerem. Immo totum locum vel plane mutilum, vel alia certe medela sanandum puto.' *Doer.* In edd. vett. Venet. an. 1500. Gryph. et aliis cum sequenti Carmine hoc conjungitur, a quo quidem illud disjungendum esse monuit Victor.

NOTÆ

8 *Solet hæc imaginosum*] Antiqui verbo, *solet,* infinitivum sæpius non adjungebant. Plaut. 'Quæ cum viris suis prædicant nos solere.' Catullus infra Carm. CXIII. 'Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant Mœchi.' *Solere* autem *imaginosum,* est imaginoso morbo conflictari. Morbus vero imaginosus est, vel cum phantasmata et imaginationes animo occurrunt, vel cum tinnitibus aures personantur. Qui autem hoc morbo laborant, insomniis vexantur, et sæpe patentibus oculis dormiunt. His porro morbis affecti dicebantur olim 'Corybantiare,' quod vetustas superstitiosa imagines illas a Corybantibus immitti crederet. Sed forsan dicit Poëta imaginosum morbum pati puellam, quod nempe ita esset insana mente, ut se formosam crederet, cum esset omnino deformis et turpis.

CARMEN XLII.

IN QUANDAM.

ADESTE, hendecasyllabi, quot estis
Omnes undique, quotquot estis omnes.
Jocum me putat esse mœcha turpis,
Et negat mihi vestra reddituram
Pugillaria, si pati potestis.
Persequamur eam, et reflagitemus.
Quæ sit, quæritis? illa, quam videtis
Turpe incedere, mimice ac moleste
Ridentem catuli ore Gallicani.

O versus *hendecasyllabi*, *adeste* huc *omnes undequaque*, *quotquot estis*, *omnes quotquot estis*, quantumvis multi. *Ridiculum me habet fœda adultera*, *aitque se minime* esse *reddituram mihi vestras tabellas*; *si ferre valetis eam insectemur*, *et pugillares reposcamus.* An vos *rogatis quænam* illa *sit? illa* ipsa *est*, *quam conspicitis turpiter incedere*, *histrionum more*, *et moleste cachinnantem rictu canis Gal-*

---

4 In edd. vett. *nostra*, ortum ex antiq. lect. *vostra:* in Stat. codd. *vestra.* Catullum scripsisse *redditura* putavit Scal.—5 Mel. conj. *sic pati potestis?* alii legunt et distinguunt, *Pugillaria: si pati potestis, Persequamur*, &c.—8 Vicent. Brix. Venett. et aliæ vett. exhibent, *Turpe i. myrmice*, quod defendere tentabat Dous. P. afferens ex Plauto 'formicinum gradum:' in Stat. codd. *mirtinæ* sive *murmire*; in Maff. l. *mirmice*; unde Stat. leviter mutans legebat, *illa q. v. Turpe*, sive *Turpem*, *incedere*, *mimice ac*, &c. probante Scal. Corrad. dedit *murice.* Erhard. ad Petron. c. 126. conj. *ritmice*, quod sibi

NOTÆ

1 *Hendecasyllabi*] Carminis genus est ita dictum ab undecim, e quibus constat, syllabis, alio nomine Phalæcium seu Phaleucium ab ejus inventore Phaleuco nuncupatum. Hoc maxime Catullus excellit Carmine: unde ejus opem in sui ultionem implorat, ut pugillares a meretrice quadam sibi surreptos extorqueat. Primum quidem eam conviciis aggreditur, quæ cum nihil prosint, tandem etiam blanditiis eam demulcere tentat.

3 *Jocum me putat*] Sic Propert. lib. II. Eleg. 24. 15. 'verum Fallaci dominæ jam pudet esse jocum.'

5 *Pugillaria*] 'Pugillares' et 'pugillaria,' dixerunt Antiqui. Tabellæ erant ligneæ, vel cereæ, vel etiam eboreæ, aut ex alia materie, in quibus stylo scribebatur. Dixit autem Catullus, *vestra pugillaria*, alloquendo suos versus hendecasyllabos, quia nimirum his scribendis erant dicata.

8 *Mimice*] Id est, turpiter incedendo gesticulantem. Alii legunt *myrmice*, ut sit ita lento gradu, formicarum more, incedere, ut vix pedi pes præferatur. Plaut. in Menœch.

9 *Catuli ore Gallicani*] Celebrantur apud Veteres e Gallia venatici canes. Ovid. Met. I. 'Ut canis in vacuo le-

Circumsistite eam, et reflagitate :
Mœcha putida, redde codicillos ;
Redde, putida mœcha, codicillos.
Non assis facis ? O lutum, lupanar,
Aut si perditius potest quid esse.
Sed non est tamen hoc satis putandum.
Quod si non aliud pote est, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce :
Mœcha putida, redde codicillos,
Redde, putida mœcha, codicillos.
Sed nil proficimus, nihil movetur.
Mutanda est ratio, modusque vobis,
Si quid proficere amplius potestis.
Pudica et proba, redde codicillos.

lici. Circumvenite illam, et codicillos *reposcite.* O *turpis adultera, restitue* mihi *pugillares, restitue* mihi, *turpis adultera,* meos *pugillares. Non eos æstimas unius assis ?* O *cænum,* o *prostibulum, aut si quid aliud potest esse fætidius et turpius. Non tamen æstimandum est hoc sufficere ; quod si* quid *aliud* fieri *non potest,* saltem *eliciamus ruborem ex impudenti vultu* illius *canis. Rursus igitur conclamate altiori voce ; fætida adultera, restitue* mihi meos *pugillares ; restitue* mihi, *fæda adultera,* meos *pugillares. Sed nihil promovemus ; nec flectitur nostris conviciis. Mutanda est* igitur *vobis* agendi *ratio, et modus, si quid amplius potestis proficere.* O *casta et honesta mulier, redde* mihi meos *pugillares.*

---

vindicat Scal.—13 In edd. vett. et Stat. codd. *Non assis facis o lutum, lupanar ;* unde Stat. legendum suspicabatur, *o lutum, o lupanar ;* sive, *o lutum luparum ;* sive, *os litum lupanar :* Avant. legi jubet, *Assis non olidum facis lupanar ;* Voss. *o lutum lupanare :* Heins. tentat, *oblitum o lupanar,* quia, teste Voss. olim lectum sit, *oblitum lupanar :* alii ex Plauto, *o blitum,* duobus verbis, i. e. scortum.—16. 17 In edd. vett. *non aliud potest ruborem Afferre o canis ;* in Stat. codd. *non aliud potest, ruborem, Ferreo canis :* Scal. 2. *nil aliud potest.*

NOTÆ

porem cum Gallicus arvo Vidit, et hic prædam pedibus petit, ille salutem.' Vide etiam Plin. lib. VIII. cap. 40. Ridere porro ore canis Gallicani, est turpiter ac late os inter ridendum diducere, ut patulus est rictus canis venatici.

11 *Redde codicillos*] Codicillorum nomine, hic tabellæ seu pugillares accipiuntur ; sed ab Augusti Imperatoris temporibus apud Jurisconsultos codicilli sumuntur pro scriptis, quibus aliquis ultimam suam voluntatem profitetur.

17 *Ferreo*] Perditæ mulieris impudentiam notat, cujus os dicitur ferreum, quomodo apud Aristoph. ἀνὴρ σιδηροῦς, *Vir ferreus,* et apud Ovid. ' duri puer oris et audax.'

24 *Pudica et proba*] Cum nihil convicia profuerint, fictas etiam tentat adhibere blanditias.

CARMEN XLIII.

IN AMICAM FORMIANI.

Salve, nec minimo puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore sicco,
Nec sane nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani.
Ten' provincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra comparatur?
O sæclum insipiens et inficetum!

Tu salva sis, o *puella, neque nimio naso, neque eleganti pede, neque nigris oculis, neque longis digitis, neque ore sicco, neque certe sermone nimium venusto*, o *amica decoctoris Formiani. An provincia prædicat te pulchram et formosam esse? An confertur tecum nostra Lesbia? o sæculum fatuum et insulsum!*

1 *Salve nec nimio* ex cod. edidit Scal. probante Heins.—8 In omnibus Stat. codd. *insapiens.*

NOTÆ

1 *Nec minimo* [*nimio*] *puella naso*] Eandem exagitat Acmen Formiani amicam, de qua jam Carm. XLII. quamque nullum pæne nasum habuisse innuit. Plures tamen legunt, *nec minimo naso;* sed cum Scaligero legendum putamus, *nimio*, cum alibi Catullus dixerit Acmen esse 'turpiculo naso;' non enim nasum immodicum et nimium dixisset 'turpiculum.'

2 *Nec bello pede*] Pedis brevitas et elegans forma laudatur in puellis. Ovid. Amor. III. 'Pes erat exiguus, pedis hæc aptissima forma est.'

Nec nigris ocellis] Commendabatur olim apud Romanos, maxime in mulieribus, oculorum et superciliorum nigror; quæ enim mulieres natura non habebant nigra supercilia, denigrabant arte, quod significat Juvenal. Sat. II. 'Ille supercilium madida fuligine tinctum Obliqua producit acu: pingitque trementes Attollens oculos.'

3 *Nec longis digitis*] Longi elegantesque digiti manuum formam commendabant. Propert. de Cynthia, lib. II. Eleg. 2. 5. 'Fulva coma est, longæque manus, et maxima toto Corpore, et incedit vel Jove digna soror.'

Nec ore sicco] Nimia salivæ abundantia, sputique frequentius excrementum in puellis præcipue indecorum est. Juvenal. Sat. VI. 147. 'Jam gravis es nobis, et sæpe emungeris, exi Ocyus, et propera: sicco venit altera naso.'

6 *Ten' provincia*] Provinciam hic appellat regionem Transpadanam, in qua et amica Mamurræ, et Catullus, cum hæc scriberet, erant. Tunc enim ibi Mamurra Fabrorum Cæsaris præfectus versabatur. *Ten'* autem pro *tene* interrogative et cum admirati-

NOTÆ

one, ut infinitis locis apud Plaut. et Terent.

8 *O sæclum insipiens*] O homines insipientes, et penitus judicio carentes, qui hoc sæculo vivunt, turpemque et deformem Mamurræ amicam cum formosa Lesbia comparant!

CARMEN XLIV.

AD FUNDUM.

O FUNDE noster, seu Sabine, seu Tiburs,
Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere: at quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt.
Sed seu Sabine, sive verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa, malamque pectore expuli tussim;

O prædium meum, sive Sabinum sis, *sive Tiburtinum;* ii *enim, quibus non placet Catullum offendere, existimant te esse Tiburtinum:* ii *vero, quibus placet illum offendere, quolibet* etiam deposito *pignore* te *esse Sabinum contendunt. At vero sive sis Sabinum, sive potius Tiburtinum, egregia animi alacritate versatus sum in rure tuo suburbano, et exscreavi molestam tussim e* meo *pectore, quam mihi non*

7 Sic h. l. correxerunt VV. DD. in edd. vett. ex corrupta codd. lectione. Omnes Statiani exhibebant, *aliamque pectore expulsus sum;* Scal. cod. *aliamque petere expulsus sum:* hinc Stat. fecit, *aridamque pectore expuli;* Scal. et Voss.

NOTÆ

1 *O funde*] Agro suo gratulatur, agitque gratias, quod in eo commodissime sit hospitatus, et tussi liberatus, quam apud suum Sextium contraxerat, cum orationem quandam inter cœnandum audivisset.

2 *Te esse Tiburtem*] Mavult Poëta fundum suum esse Tiburtem quam Sabinum, vel quod agri Tiburtis amœnitas celebrior esset, quam Sabini; vel forte quod Sabinus ager vectigalis esset, vel militibus attributus. Tiburtini porro populi sunt Latii Sabinis confines, a Tibure seu Tiburte civitate sic dicti; cujus regionis summa fuit amœnitas: unde et Horat. eam sedem senectuti optat suæ. II. Od. 6. 'Tibur Argæo positum colono Sit meæ sedes utinam senectæ.' Et post pauca: 'Ille terrarum mihi præter omnes Angulus ridet.'

4 *Sabinum*] Ejusdem Latii populi sunt Sabini, quorum fines erant angusti, nec procul extensi: unde non vult Catullus suum agrum esse Sabinum, sed potius Tiburtinum, cujus nempe fines vellet latius protensos.

7 *Villa*] Dicta est domus rusticana quasi 'vehilla,' quia illuc fruges, et inde in urbem vehebantur. 'Subur-

Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumtuosas appeto, dedit, cœnas.
Nam, Sextianus dum volo esse conviva,
Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni et pestilentiæ legit.
Hic me gravedo frigida, et frequens tussis
Quassavit, usquedum in tuum sinum fugi,
Et me recuravi otioque et urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta peccatum.
Nec deprecor jam, si nefaria scripta

immerito alvus mea attulit, cum lauta convivia quærerem. Cum enim cuperem esse conviva Sextii, recitavit mihi *orationem adversus actorem* suum *Attium, refertam veneno et pestilentia; ibi me algida gravedo et crebra tussis vexavit, donec in tuum gremium confugi, ac me curavi ocimo et urtica. Itaque jam recreatus maximas tibi refero gratias,* o villa, *quod non punieris culpam meam. Nec recuso nunc quin, si*

malamque p. expui.—8 In edd. vett. *Non i. vertitur mihi quam mens;* sive, *verenti....mens;* sive, *vertitur....mensa;* sive, *meretur....mens:* in cod. Lambini, *vorax venter;* in Statianis, *quam mihi mens vertitur;* vel, *veretur;* vel, *fertur:* in Mur. cod. *meus vertet;* unde affirmat se conj. *meus venter;* sed hæc lectio Faërno debetur, non item Mureto, si Statio fides sit.—11 In codd. et edd. vett. *minantium petitorum;* in quibusdam *munacii;* in Ald. 1. *in Actium petitorem:* Stat. e lect. codd. fecit, *in Antium;* Scal. *in Attium.*—15 In edd. vett. *Et me recuravi ocymoque,* vel, *ocioque:* in uno Stat. cod. *Et me curavi;* in aliis ejusdem, *Et me recuravi otioque:* Stat. conj. *Et me ne curavi,* ut *ne* pro 'quidem' dictum sit, breve syllaba. Scal. edidit, *Et me procuravi ocimoque,* improbante Marcil.—17 Ita legebat Stat. in omnibus codd. præterquam in Pat. in quo erat, *quæ non es ulta:* Faërn. emend. *quod non es ulte,* ut ad 'fundum' referatur, quem sequitur Vulpius; in nonnullis edd. vett. *meoque non:*

NOTÆ

bana' vero dicitur quæ non procul ab urbe est.

11 *Orationem*] Mos fuit Antiquis, ut ubi quid scripserant, amicos convocarent, iisque illud quicquid erat, recitarent, ac ipsorum judicio subjicerent, antequam in lucem ederetur.

12 *Plenam veneni*] Maledictorum nempe quibus Attium, alii legunt *Atticum,* competitorem suum proscindebat. 'Petitores' vero dicebantur, qui eundem Magistratum petebant.

13 *Gravedo frigida*] Capitis morbus est, cum humor crassior e cerebro in nares defluit, nares ipsas obstruit, vocem obtundit, et tussim siccam et frequentem movet.

15 *Otioque* [*ocimoque*] *et urtica*] Alii legunt, *otioque. Urtica* medetur tussi, ut scribit Plin. lib. XXII. et Cornel. Celsus lib. IV. de Tussi loquens: 'Cibus interdum mollis, ut malva et urtica.' 'Ocimum' etiam cum rosaceo aut aceto capitis doloribus mederi dicit Plin. lib. XX. cap. 12.

17 *Quod non es ulta*] Ad villam debet referri quæ versu præcedenti debuit subaudiri cum dixit, *maximas tibi grates Ago.*

Sexti recepso, quin gravedinem et tussim
Non mi, sed ipsi Sextio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, cum malum legit librum.

rursus recepero detestanda scripta Sextii, frigus afferat catharrum et tussim, non mihi quidem, *sed ipsi Sextio, qui tum me invitat, quando nefarium librum legit.*

Mur. dedit, *non es ultu' peccatum.*—19 In edd. vett. *Sentire capso*, vel, *cesso* : Avant. conj. *Sexti recepso*, ut erat in Stat. codd. Maff. I. habuit *Sesti recepso* : Lect. *Sesti* præferret Doer.—20 In nonnullis edd. vett. *Non mihi:* Avant. legi jussit, *Non mi.* In quibusdam *Sestio.*

NOTÆ

19 *Recepso*] Antique dictum pro, 'recepero.' Sic Cic. lib. II. de Leg. 'Sacrum sacrove commendatum si quis clepsit rapsitve, parricida esto :' pro 'clepserit et rapuerit.' Sic et Virgil. Æn. XI. 'Cetera quæ jusso mecum manus inserit arma :' i. e. 'jussero.'

20 *Sextio*] Plures asserunt hunc eundem esse cum P. Sextio Equite Romano, pro quo extat Ciceronis Oratio.

CARMEN XLV.

DE ACME ET SEPTIMIO.

ACMEN Septimius, suos amores,
Tenens in gremio, Mea, inquit, Acme,
Ni te perdite amo, atque amare porro
Omnes sum assidue paratus annos,
Quantum qui pote plurimum perire :
Solus in Libya, Indiave tosta,

Septimius complectens in sinu Acmen delicias suas, ait illi : o *Acme mea, si te non amo vehementissime, et paratus non sum jugiter amare* te *deinceps per ætatem omnem, quantum qui maxime amare potest, obvius occurram glauco leoni solus in*

NOTÆ

1 *Acmen*] Describit Septimii et Acmes meretricis auspicatissimos amores, quasque blanditias sibi invicem dicebant faciebantque, exponit.

5 *Perire*] Pro 'deperire' dicitur, quod est impatienter amare, et amando uri. Plaut. in Trucul. 'Tres unam pereunt adolescentes mulierem.'

6 *In Libya, Indiave tosta*] Tertia pars totius orbis est, quam et Africam dicimus. Sic autem appellata 'Libya' putatur, quod inde Libs ventus flare soleat. India vero regio orientalis Asiæ terminus est, quæ

Cæsio veniam obvius Leoni.
Hoc ut dixit, Amor, sinistram ut ante,
Dextram sternuit approbationem.
At Acme leviter caput reflectens,
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore suaviata,
Sic, inquit, mea vita, Septimille,
Huic uno domino usque serviamus,
Ut multo mihi major acriorque
Ignis mollibus ardet in medullis.
Hoc ut dixit, Amor, sinistram ut ante,

Libya aut India torrida. Statim atque pronuntiavit ista verba, Cupido a læva parte sternutavit prosperum consensum, ut prius. Acme vero retorquens leviter cervicem, et vultu illo rubicundo osculata suavis adolescentuli oculos ebrios, O mi *Septimille, inquit* illa, *vita mea, ita semper obsequamur soli huic domino; quemadmodum flamma multo vehementior et acrior mihi flagrat in teneris visceribus. Statim atque* verba *ista dixit, Cupido a læva parte sternutavit felicem consensum*

5 In marg. Bodl. *quoi.*—8 In edd. vett. et Stat. codd. *sinistra, ut ante Dextra, sternuit approbatione;* in aliis *stertuit:* in Voss. ll. *sinistrante ante;* unde fecit, *Hoc ut dixit Amor sinister ante, Dextram sternuit approbationem:* Scal. et Marcil. legerent, *Amor sinistra inante, Dextram sternuit approbationem;* Mel. pro *ut ante* conj. *amanti.* Lect. nostram produxit Stat. ex Pat. altero.—10 In Stat. codd. *Ad hanc me,* vel, *Ad hæc me,* in aliis codd. *Ad Acme.*—12 Mel. *saviata.*—14 In Pat. utroque *uno, ἀρχαϊκῶς·* in aliis *uni,* improbante

NOTÆ

tam vasta esse perhibetur, ut eam tradant esse tertiam partem omnium terrarum.

7 *Cæsio leoni*] Cæsius est color subviridis, igneo quodam splendore intermicans, qualem in leonis oculis potissimum cernimus: hujusmodi oculos Minervæ bellorum præsidi tribuerunt Poëtæ, utpote præferocis animi indices.

8 *Amor, sinistram*] Licet 'sinistrum' significet 'infaustum,' et 'inominatum,' quantum tamen ad Deos et auguria pertinet, significat 'prosperum.' Cic. de Leg. 'Is ave sinistra dictus populi magister est.' Et illud Virgil. 'Intonuit lævum,' &c. Nam quæ nobis sinistra sunt, Diis et Cœlitibus dextra habemus. Alii tamen aliter interpretantur, ut sensus sit: Amor dextra sternuit approbatione, ut ante sinistra, i. e. cœpit propitius esse, sicut ante fuerat adversus et sinister. Sternutationem namque habebant pro signo confirmandi augurii et amoris. Propert. 'Aureus argutum sternuit omen Amor.'

9 *Dextram sternuit approbationem*] Hoc est, propitiam et prosperam. In quam sententiam Theocritus scribit Simichidæ pastori amores sternutavisse, in bonum auspicii omen. Penelope etiam apud Hom. Od. Ξ. e sternutatione Telemachi gaudio perfunditur.

11 *Ebrios ocellos*] Amore scilicet. Sic Anacreon Ἐς πολὺν κῦμα κολυμβῶ, μεθύων ἔρωτι.

Dextram sternuit approbationem.
Nunc ab auspicio bono profecti,
Mutuis animis amant, amantur.
Unam Septimius misellus Acmen
Mavult, quam Syrias Britanniasque:
Uno in Septimio fidelis Acme
Facit delicias, libidinesque.
Quis ullos homines beatiores
Vidit? quis Venerem auspicatiorem?

suum, *ut prius. Jam vero a prosperis istis ominibus auspicati affectu mutuo amant, et amantur. Septimius infelix solam Acmen plus amat, quam* omnes *Syrias et Britannias. Acme constans in uno Septimio amores* suos *et voluptates ponit. Quis* unquam *vidit mortales ullos fortunatiores? quis* unquam vidit *amorem feliciorem?*

Doer.—17 Scal. 1. *sinistra, ut ante, Dextram sternuit approbationem;* in aliis, *sinistra, ut ante Dextra, sternuit approbatione.*

NOTÆ

19 *Auspicio bono*] Sine auspicio Veteres nihil agebant, ut Cic. lib. II. de Divinat. et Val. Max. lib. II. cap. 1. testantur. Sunt igitur bona auspicia quæ cogunt res inchoare; sunt mala quæ prohibent.

20 *Mutuis animis*] Summa est in amore felicitas invicem æque amari.

22 *Syrias Britanniasque*] Romanis solemne erat provincias plurali numero enuntiare ad majorem vim exprimendam. Syria porro est Asiæ regio quæ quasi in medio orbe constituta dicitur, quo fit, ut nec frigore nimio rigeat, nec calore torreatur. Britannia Insula est in Oceano Septentrionali, omnium quæ Europæ adjacent maxima, a Britone rege sic dicta, cum prius Albion diceretur.

CARMEN XLVI.

AD SE IPSUM DE ADVENTU VERIS.†

Jam ver egelidos refert tepores,

Nunc ver reducit nobis *tepidam temperiem; jam ira venti æquinoctialis conti-*

NOTÆ

† Catullus e Bithynia decedens, ubi hyemaverat, coactus est in Troade ob fratris valetudinem subsistere, ubi ipsum ex morbo amisit, eumque humavit.

1 *Egelidos tepores*] Quia extra fri-

Jam cœli furor æquinoctialis
Jucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Nicææque ager uber æstuosæ.
Ad claras Asiæ volemus urbes.
Jam mens prætrepidans avet vagari;
Jam læti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longe quos simul a domo profectos
Diverse variæ viæ reportant.

tescit blandis flatibus Favonii. O *Catulle, deseratur Phrygia regio, et terra fertilis Nicææ fervidæ*, et *ad urbes Asiæ insignes advolemus. Jam animus* meus *prægestiens optat excurrere. Jam pedes* mei *affectu alacres vigent. Valete, o jucunda comitum turba, quos pariter profectos procul a patria varia itinera ad varia loca reducunt.*

---

3 Marcil. e vestigio codd. legit, *Jucunda z. s. aura.*—4 Stat. conj. *Liquantur.*—5 *Niceæque ager ruber* in nonnullis edd. vett. *uber* legi jussit Avant. in quibusdam *æstivosæ.*—11 In edd. vett. et nonnullis codd. teste Ed. Cant. *Diversos variæ viæ*, quam lect. servat Vulp. *Diverse varie* liber Heins. in aliis, *Diversæ vario*, vel, *Diversæ varie*, vel, *Diversæ et variæ.* Lect. nostram testantur omnes Statiani.

NOTÆ

gus jam sunt, ut cum egelida dicitur aqua, cum incipit calefieri, et jam est tepida, ut habet Suetonius in Augusto cap. 82. 'Sudabat ad flammam, deinde perfundebatur egelida aqua, vel Sole multo calefacta.' Aliquando vero idem est 'egelidus' ac 'valde gelidus,' sicut 'edurus, 'valde durus,' ut ait Servius ad Æn. VIII. Utramque vocabuli significationem unico versu complexus est Ovid. 'Egelidum Boream, egelidumque Notum.'

3 *Zephyri*] Ventus est Æquinoctialis tepens et jucundus, qui sub Æquinoctium vernum ab occasu spirat.

4 *Phrygii campi*] Asiæ minoris pars est Phrygia, Cariæ, Lydiæ, Mysiæ, et Bithyniæ contermina, cujus incolæ dicti sunt Phryges. Quidam pro *Linquantur*, legunt, *Liquantur*, hoc est, tepescunt, et glacie dissipata molliores fiunt: quod non improbo.

5 *Nicææque ager æstuosæ*] Nicæa urbs est Bithyniæ quondam primaria, ad Ascanium lacum, quam primus Antigonus Philippi filius condidit, Antigoniamque appellavit; postea Lysimachus, a nomine uxoris Antipatri filiæ, Nicæam voluit nominari. De hac Plin. lib. v. cap. ultimo. Et Strabo lib. XII. Dicitur 'æstuosa' Catullo, quod ibi aër æstivo tempore non sit admodum saluber: unde etiam nonnulli volunt a Poëta *æstivosæ* dici.

6 *Ad claras Asiæ volemus urbes*] Duplex est Asia, major et minor. Sed rursus in Asia minori Provincia est 'Asia' proprie dicta, in qua hæ quatuor urbes celebres sunt, quas a numero 'quadrigam Asiæ' vocat Propert. scilicet Ephesus, Smyrna, Colophon, et Miletus.

11 *Diverse variæ viæ*] Alii legunt, *Diversæ varie*, quia non uno et eodem tempore, eademque ratione erant domum redituri: alii, *vario*, quia nempe in varia loca singuli proficiscebantur.

CARMEN XLVII.

AD PORCIUM ET SOCRATIONEM.

PORCI et Socration, duæ sinistræ
Pisonis, scabies famesque Memmî;
Vos Veranniolo meo et Fabullo
Verpus præposuit Priapus ille?
Vos convivia lauta sumtuose
De die facitis; mei sodales
Quærunt in triviis vocationes?

O *Porci et Socration, lavæ duæ Pisonis scabies, et esuries Memmii! an vos obscœnus iste recutitus prætulit Verannio meo et Fabullo? an vos splendidas epulas de die magnifice instruitis, dum familiares mei in plateis expectant invitationes?*

2 In Venett. Gryph. 2. et aliis edd. vett. *Memmi*, ut edidit Scal. ex antiquo cod. Cuj. quod receperunt Græv. et Vulp. In Statianis *mundi*, vel *mondi*, unde Stat. conj. *Mindi*, M. Mindum intelligens, cujus meminit Cic. in Epist. ad Rufum. in codd. Mel. *myndi*, vel, *mandi*: in Bip. et aliis recentioribus *mundi*.—3 In nonnullis vett. *Teraniolo*; in aliis *Veraniolo*.—7 Mur. legit, *in trivio*.

NOTÆ

1 *Porci et Socration, duæ sinistræ*] Invehitur acriter in Porcium et Socrationem homines impudicos, quos ob stupri merita Memmius et Piso, Prætores, Verannio et Fabullo honestis adolescentibus præposuerant.

2 *Pisonis, scabies famesque Memmî*] His nominibus exagitat Poëta Porcium et Socrationem, quod altero Piso uteretur ad voluptatem et libidinem, altero Memmius ad avaritiam explendam. Alii loco *Memmî* legunt *mundi*, quod nempe isti duo nebulones omnium bona diriperent, famelicosque omnes redderent. Sunt qui velint legi, *Pisonis mundi*, i. e. frugi, quod erat Calphurniorum, quorum de gente erat Piso, cognomen.

4 *Verpus*] Proprie dicitur Judæus circumcisus, qui et 'recutitus.' Unde Martial. 'Delapsa est misero fibula, verpus erat.' De Memmio supra Catullus. Carm. XXVIII. 'Sed, quantum video, pari fuistis Casu.'

6 *De die facitis*] De die apparare convivium est mature, ac de meridie cœnam instruere, cum sero tantum apparari soleret. De nocte porro quam de die indulgere genio tolerabilius habebatur; diem enim agendis rebus, noctem curandis corporibus animoque exhilarando impendi volebant. Unde Cato ipse largius ac prolixius de nocte invitari libenter consuevisse dicitur.

7 *Quærunt vocationes*] Verannius et Fabullus, de quibus supra Carm. XXVIII. in triviis expectantes dum se aliquis ad cœnam invitet. 'Vocare' enim Veteres pro 'invitare ad cœnam' dicebant. Unde supra Catullus Carm. XLIV. 'Qui tunc vocat me, cum malum legit librum.' Parasitus quidam apud Plaut. in Sticho. 'Negare nulli soleo, si quis me vocat.'

CARMEN XLVIII.

AD JUVENTIUM.

Mellitos oculos tuos, Juventi,
Si quis me sinat usque basiare,
Usque ad millia basiem trecenta,
Nec unquam saturum inde cor futurum est:
Non si densior aridis aristis
Sit nostræ seges osculationis.

O *Juventi, si quis patiatur me semper osculari dulces tuos oculos, oscularer* illos *usque ad trecenta* osculorum *millia; nec* tamen *unquam mihi videor inde exsatiandus, etiamsi seges* et multitudo *meæ basiationis copiosior esset spicis siccis.*

4 Ita in Venett. et nonnullis codd. et sic edidit Scal. in aliis Stat. *Nec numquam inde cor sater futurus;* et aliis ejusdem, *Nec numquam inde cor satur futurus;* unde legendum putavit, *Nec mi unquam videor satur futurus:* in Gryph. 2. *Nec unquam videar satur futurus:* Ed. Cant. tentat, *Nec unquam satur inde ero futurus;* nam in Rheg. et nonnullis codd. erat, *Nec unquam inde ero satur futurus,* probante Voss.

NOTÆ

1 *Juventi*] Gentem Juventiam inprimis claram fuisse constat. M. Juventius cum Tiberio Graccho Consul fuit. Ex eadem gente M. Juventius Laterensis, qui Plancum ambitus accusavit, quique sibi ipse in Lepidi castris mortem conscivit. Juventius autem de quo hic Catullus, is ipse est de quo supra Carm. XXIV. 'O qui flosculus es Juventiorum!' De hoc etiam infra Carm. LXXXI. et XCIX. 'Subripui tibi, dum ludis, mellite Juventi, Suaviolum dulci dulcius ambrosia.'

3 *Usque ad millia basiem trecenta*] Ardentem animi affectum, amoremque intimum penitus expressit. Nam, ut ait Plin. 'Oculos cum osculamur, animum ipsum videmur attingere.'

6 *Seges osculationis*] Sic etiam Virgil. dixit: 'Telorum seges.'

CARMEN XLIX.

AD M. T. CICERONEM.

Disertissime Romuli nepotum

O *Marce Tulli, eloquentissime Romuli posterorum, quotquot sunt, vel fuerunt, vel*

Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis;
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poëta:
Tanto pessimus omnium poëta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

erunt postea sæculis venturis: Catullus Poëta omnium pessimus agit tibi summas gratias; tanto pessimus omnium Poëta, quanto tu optimus et præstantissimus es *omnium Orator.*

6 Hic versus in Pat. altero non erat; etiam in melioribus abesse affirmat Voss. quo quidem sublato, nec sensum turbari idem existimat, cum 'quantus,' 'qualis,' et similia pronomina absque relativis poni soleant: id tamen parum commode huic loco accommodari posse videtur Doeringio, qui librariorum incuria, ob verborum repetitionem, hunc versum excidisse putat.

NOTÆ

2 *Marce Tulli*] Ciceroni Poëta noster modeste maximas agit gratias ob patrocinium sibi in aliqua causa, quam non licet divinare, exhibitum.

7 *Omnium patronus*] Videtur Cicero vulgo dictus esse 'omnium patronus.' Aulus enim Cæcinna lib. VIII. Epist. 7. ad Familiares, ad Ciceronem sic scribit: 'Ubi hoc omnium patronus facis, quid me veterem tuum, nunc omnium clientem sentire oportet?' Lucius quoque Antonius Marci Antonii frater, quod ejus nominis laudem affectarit, irridetur a Cicerone.

CARMEN L.

AD LICINIUM.

HESTERNO, Licini, die otiosi
Multum lusimus in meis tabellis,
Ut convenerat esse; delicatos

Hesterna luce, o *Licini,* cum essemus *quieti, multos versus per lusum scripsimus*

3 In Pat. altero *dedicatos,* quod non improbandum usquequaque putavit

NOTÆ

1 *Licini*] Fuit is Cornelius Licinius Calvus, Poëta et Orator insignis; de quo Quintil. 'Inveni qui Calvum præferrent omnibus.' Huic pater fuit C. Licinius Macer, item Poëta.

3 *Delicatos*] *Delicatos,* pro 'dedicatos' aliqui dictum putant, sic enim Festus 'delicatos' interpretari vide-

Scribens versiculos uterque nostrum,
Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
Reddens mutua per jocum atque vinum.
Atque illinc abii, tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Ut nec me miserum cibus juvaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos,
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem,
Ut tecum loquerer, simulque ut essem.
At defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo jacebant,
Hoc, jucunde, tibi poëma feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax, cave, sis; precesque nostras,
Oramus, cave despuas, ocelle,

in pugillaribus meis, ut convenerat inter nos *esse. Nos ambo* igitur *carmina exquisita componentes ludebamus nunc isto modo, nunc illo, mutua* nobis *invicem rependentes in ludo et vino. Statim atque discessi, tua venustate et urbanitate* ita *sum inflammatus,* o *Licini, ut nec esca me infelicem delectaret, nec sopor clauderet oculos* meos *requie; et æstuans impatientia per totum cubile agitarer, exoptans diem intueri, ut tecum confabularer, et una* tecum *essem. Sed posteaquam corpus* meum *insomniis fatigatum pæne exanime recubabat* in *cubili, hos versus scripsi tibi,* o *suavis* amice, *ex quibus angorem meum nosceres. Nunc vide* ne *arrogans sis; vide, quæso,* ne *vota mea supercilio* tuo *despicias, ne Nemesis a te repetat*

Stat. id damnat Doer. In Bip. et aliis interpungitur post *delicatos.*—18 In Stat. codd. *Nunc audax cave,* et, *Nunc audax caveris.*—19 In omnibus Stat. et Scal. codd. *ocello,* improbante Doer.—20 *Ne pœnas Nemesis reponat: Ate Est vehemens Dea* Mel. Voss. et Cant. 'sed quilibet, opinor, vulgatam sine hæsitatione præferet.' *Doer.*

NOTÆ

tur: 'Delicata,' inquit Festus, 'dicebant Dis consecrata, quæ nunc dedicata: unde adhuc manet delicatus. Delicare autem proprie est, dicendo deferre.' Hæc ille; et esset sensus, Catullum, et Licinium, eo die se lusui dedicasse. Alii *τὸ esse* ab 'edo' derivandum putant, sed male. Nos aliter interpungendum esse, et vocabulum, *delicatos,* id est, exquisitos, ad *versiculos* referendum censemus. Delicati vero versus sunt, qui molliculi. Festus verbo 'hilarodos' dixit, 'carmen delicatum et lascivum.' Et Cic. in Pisonem: 'Delicatissimis versibus exprimere omnia conviviorum genera.'

16 *Poëma feci*] Accepit hic *poëma* pro Epigrammate; nam poëma proprie pars est alicujus operis, ut Tragœdia: sicut Poësis est contextus totius operis effecti, ut 'Ilias' et 'Æ-

Ne pœnas Nemesis reposcat a te:
Est vehemens Dea; lædere hanc caveto.

supplicium; Dea illa *acerba est, timeto ipsam offendere.*

NOTÆ

neis.' 'Poëtice' autem seu 'Poëtica' est proprie ars ipsa 'Poëmata' et 'Carmina' conscribendi.

20 *Nemesis*] Dea est malefactorum ultrix, et benefactorum remuneratrix; sed quæ maxime superbos persequitur. Dicta etiam est 'Rhamnusia,' quod in Rhamnunte Atticæ oppido templum et simulachrum Phidiacum habuerit. Vide Strab. lib. IX. Plut. in Theseo. Plin. lib. XXVIII. cap. 2.

CARMEN LI.

AD LESBIAM.†

ILLE mi par esse Deo videtur,
Ille, si fas est, superare Divos,
Qui sedens adversus identidem te
Spectat et audit

Is mihi Deo similis apparet, is, si licet dicere, videtur mihi *Cœlites antecellere, qui residens contra te, aspicit te subinde et auscultat suaviter ridentem, quod mihi*

NOTÆ

† Hoc Carmen Catullus mutuatus est a Sappho illa celebri Poëtria, quæ ambo carmina, Græcum Sapphus, et Latinum Catulli, inter se comparat Janus Dousa F. Oden porro Sapphus debemus Rhetori Longino, qui hanc in sua scripta transtulit; sed cum nemo forsan sit, qui non decimam illam Musam audire gestiat, ejus verba hic adscripsimus:

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν
Ἔμμεν ἀνὴρ, ὅστις ἐναντίος τοι
Ἰσδάνει, καὶ πλασίον ἀδὺ φωνᾶ-
σαί σ' ὑπακούει,
Καὶ γελᾶις ἱμερόεν· τό μοι 'μὰν
Καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν.
Ὡς γὰρ εἴδω σε, βροχέως με φωνᾶς
Οὐδὲν ἔτ' ἵκει·
Ἀλλὰ καμμὰν γλῶσσα ἔαγε, λέπτον δ'
Αὐτίκα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν,
Ὀππάτεσσιν δ' οὐδὲν ὄρημι, βομβεῦ-
σιν δ' ἀκοαί μοι·
Καδδ' ἴδρως ψύχρος χέεται, τρόμος δὲ
Πᾶσαν ἀγρεῖ, χλωρότερα δὲ ποίας
Ἔμμι, τεθνάκην δ' ὀλίγω 'πιδεῦσα
Φαίνομαι ἄπνους.

Postremum tetrastichon a Catullo non expressum, ita convertit charactere Catulliano ludens Janus Dousa F.

Frigidus sudor fluit, horror artus
Pallidos herba magis it per omnes,
Et pati mortem videor morans in
Limine mortis.

1 *Ille mi par esse Deo*] Beatum esse ait, quicumque Lesbiæ aspectu et alloquio frui possit: sed postea se corrigens, ejusmodi cogitationes dicit

Dulce ridentem, misero quod omnes
Eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi
* * *
Lingua sed torpet: tenuis sub artus
Flamma dimanat: sonitu suopte
Tintinant aures: gemina teguntur
Lumina nocte.
Otium, Catulle, tibi molestum est;
Otio exultas, nimiumque gestis:
Otium et reges prius, et beatas
Perdidit urbes.

infelici adimit omnem mentem; nam statim atque spectavi te, o *Lesbia, nihil mihi amplius superest,* * * *Verum lingua* mea *stupet, ignis subtilis pervadit* mea *membra, aures* meæ *tinnitu proprio resonant, oculi* mei *duplici caligine operiuntur.* O *Catulle, otium tibi grave est, otio delectaris,* eoque *plus æquo lætaris,* sed et *otium afflixit* aliquando *Principes et felices civitates.*

7 In nonnullis Stat. codd. *suprema* pro *super mi.* Secundæ hujus Strophes ultimus versus desideratur: is autem qui vulgo legitur, *Quod loquar amens,* non est Catulli sed Parthenii. Corrad. supplevit, *Voce loquendum;* certe tale quid postulat verba Græca, *βροχέως με φωνᾶς Οὐδὲν ἔτ' ἵκει.* In Scal. 1. penes editorem sic manu expleta est lacuna, *nihil est super mi in Fauce loquelæ.*—9 In quibusdam *tenues;* male: nam est in Sapphus Ode *λεπτὸν πῦρ.*—10 Voss. vult *suapte* absolute positum pro 'sponte,' in quam rem laudat Lucr. VI. 755. sed ibi in optt. codd. legitur *sua vi.*—11 *Tinniunt* in edd. vett. Lect. nostra est ex cod. Scal.—13 'Apertum exemplum interpolationis insulsæ ac stultæ. Iis, qui aliquem literarum atque humanitatis sensum habent, non multis verbis demonstrandum est, quam inepta sit hæc stropha, pannus in purpura positus, ut cum Nævio loquar. Catullus totum Sapphus Carmen eleganter Latinis verbis expresserat, at ultima stropha æque ac versus octavus periit vel incuria librariorum, vel quoniam verba in codice obliterata legi non poterant. Lacuna inde facta, librarius nasutus ac nimis otiosus, ne quid codici deesset, hos versus videtur adjecisse, et occasione esse abusus, qua ipse, in describendo Catullo sudans atque otio poëtæ invidens, mentem suam stupidam explicaret. Neque attendit metri defectionem in verbis *Otium Catulle.* Credibile enim est, Catullum iisdem numeris reddidisse Carmen Sapphus, quod ita scriptum est, ut epitrito secundo versus incipiant. Hoc uno loco Carminis leguntur trochæi, quod, aliorum Latinorum exempla sequutus, semper evitasse videtur poëta; nam e duobus Carm. XI. locis, qui habent trochæos, alter cubat in mendo.' *Hand.*—15 In quibusdam edd. vett. *simul et beatas.*

NOTÆ

nasci tantum ex otio, quod subinde multis regibus, multisque urbibus exitii causam fuisse significat.

5 *Dulce ridentem*] Idem Catullus in Epithalamio Juliæ et Manlii, 'Dulce rideat ad patrem.' Horat. 'Dulce ridentem Lalagen amabo.' Hujus porro Strophes deest ultimus versus.

15 *Otium et Reges*] Molestus sim,

NOTÆ

si hoc in loco Reges omnes et civitates, quibus otium fuit exitio recensere pergam. Illud Justini satis sit referre: 'Quos ante Cyrum invictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos otium et desidia superavit.' Ad mentem Catulli scribit Ovid. de Ægistho de Rem. Amor. vs. 161. 'Quæritis Ægisthus quare sit factus adulter? In promtu causa est: desidiosus erat.'

CARMEN LII.

AD SE IPSUM DE STRUMA ET VATINIO.

Quid est, Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet:
Per consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Catulle, quid moraris emori?

Quid est, o *Catulle, quid* jam *mori cunctaris?* en *Struma Nonius sedet in sella curuli*, et *Vatinius falso jurat per consulatum* suum: *quid est*, o *Catulle, quod cunctaris jam mori?*

1 In Ald. Mur. et aliis *quod moraris*; 'cujus lectionis patrocinium in se suscepit Vulp. usus auctoritate Cic. qui semper dicere soleat, 'quid, quod:' sed in omnibus, quæ produxit, exemplis τὸ 'quod' conjunctivis jungitur; et sic debebat etiam esse *moreris: quid* multo magis animum concitatiorem exprimit.' *Doer.* Lect. nostram testantur edd. vett. cum omnibus Stat. et aliorum codd. Hic, et versu 4., Græviana exhibet *amori* pro *emori*, haud dubie typothetarum incuria.

NOTÆ

2 *Sella curuli*] Propria erat eorum, qui majoribus Magistratibus in Republica fungebantur, Consulis scilicet, Prætoris, et Ædilis: tres enim illi Magistratus honoris gratia vehebantur curru, in quo erat sella eburnea, supra quam considerent.

Struma Nonius] Fuit is Prætor, et filius Senatoris illius Nonii, quem Antonius proscripsit, ut haberet opalum ejus, sestertiis viginti millibus æstimatum.

3 *Vatinius*] Inquinatissimæ vitæ homo. Pompeii opera Consul fuit dies aliquot. In hunc extat Ciceronis Oratio acerbissima.

CARMEN LIII.

DE QUODAM ET CALVO.

RISI nescio quem modo in corona,
Qui, cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvus explicasset,
Admirans ait hæc, manusque tollens:
Di magni, salaputium disertum!

Nuper in cœtu forensi risi nescio quem, qui, cum Calvus amicus *meus mirum in modum exposuisset Vatiniana scelera, stupens, et manus efferens,* o *magni Cœlites, inquit,* quam *eloquens salaputium!*

1 In Palat. p. Rheg. et codd. ap. Ed. Cant. *et corona;* in Commel. *e corona,* probante Mel.—3 Pro lect. antiq. *carmina* legi jussit Avant. *crimina.*—5 In Scal. cod. ut et in Venett. Brix. et Vicent. *salaputium;* in Rheg. *salapantium;* in Commel. *salipiticium;* in aliis vett. codd. teste Salmas. *solopugium.* Lect. codd. non produxit Statius. Seneca, Controv. III. 19. de eodem Calvo, h. l. meminit: 'Erat enim parvulus statura, propter quod etiam Catullus in Hendecasyllabis vocat illum *salaputium disertum;*' sed et hic libri turbant. Senecæ codd. teste Stat. exhibuere vel *salicippium,* vel, *sallupitium;* hinc ille et Mur. legebant ap. Nostrum *salicippium,* quod placuit Hermolao Barbaro, Lil. Geraldo, P. Manut. R. Titio, aliis. Salmas. affirmat *solopugium* etiam legi tam in vett. codd. Senecæ, quam in codd. Catulli; unde fecit *salopygium;* alii Senecæ codd. habebant *salii putium,* quod et legi possit *saluputium,* et veræ lect. propius accedit: *solopichium* affert Avant. ex eodem Senecæ loco. Turn. Advers. XXI. 26. conj. *ascalabotium,* sive *calabotium;* Alciatus *holopygium.* Alii *salapusium, saliputium, sapientium, salapichium, sallicipium, holopachium.*

NOTÆ

2 *Vatiniana*] De Vatinio probrosissimo homine jam supra.

3 *Calvus*] Orator disertissimus, qui apud Senatum Romanum Vatinium accusavit, cuique sanctitatem orationis et judicium Quintilianus, Cicero vero, præter judicium, doctrinam summamque elegantiam, tribuit.

5 *Salaputium*] Sic nutrices vocare solebant pueros, cum vellent ipsis blandiri; cum autem Calvus esset staturæ perexiguæ, ut Seneca testatur, homo ille de turba nescio quis admiratus Calvum recitantem, serio putavit esse puerum, non virum: itaque exclamavit, nutricum more, *salaputium disertum!* Legunt alii *holopachium:* quasi dicas, *totum cubitum,* i. e. hominem cubitalem, ab ὅλος, *totus,* et πῆχυς, *cubitus:* legunt alii *salicippium* ex Seneca, nomine a 'saliendo in cippum' venuste conficto; is enim in controversia quadam, ne propter corporis parvitatem minus conspicuus esset, imponi se supra cippum jusserat. Alii denique aliter legunt. Cum autem ad locum hunc Catulli obscurissimum illustrandum maxime faciant quæ de Calvo scribit Seneca Controversiarum lib. III. Controversia 19. ejus verba hic debere me recensere putavi. 'Calvus,' inquit Seneca, 'qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiæ habuit, us-

NOTÆ

que eo violentus actor, et concitatus fuit, ut in media actione ejus surgeret Vatinius reus, et exclamaret: 'Rogo vos, Judices, num si iste disertus est, ideo me damnari oportet?' Idem postea cum videret a clientibus Catonis rei sui Pollionem Asinium circumventum in Sorite, imponi se supra cippum jussit; erat enim parvulus statura, propter quod etiam Catullus in Hendecasyllabis vocat illum *salicippium disertum*; et juravit si quam injuriam Cato Pollioni Asinio accusatori suo fecisset, se in eum juraturum calumniam; nec unquam postea Pollio a Catone advocatisque ejus, aut re, aut verbo violatus est. Solebat præterea excedere subsellia sua, et impetu elatus usque in adversariorum partes transcurrere.'

CARMEN LIV.

AD CÆSAREM.

OTHONIS caput oppido pusillum,
Vetti, rustice, semilauta crura,

Si tibi forte non lubet odisse *omnia* eorum qui tecum sunt vitia, *optarem, ut tibi saltem et Fuffitio annoso veteratori displiceret perexiguum Othonis rustici heri*

1 Tres primi versus in quibusdam editionibus antecedenti Carmini annexi sunt. In nonnullis edd. vett. *oppido est; τὸ est*, inquit Doer. haud dubie intrusum est ab illis, qui nexum Carminis non caperent.—2 Hic versus in quibusdam edd. post sequentem ponitur; quæ transpositio debetur Statio, qui legit, *Heri Rustice;* pro quo Gryph. et Mur. *Heri rustice:* in vetustioribus, *At en rustice*, vel *rusticæ:* in codd. Scal. et Voss. *Etri*, vel *Veteri, rustica semiplota crura;* unde Scal. fecit *Peri rustice*, et Voss. lect. nostram *Vetti:* in aliis *Peti.* Turn. si quid mutandum, legeret, *Heri rustica et armilausa curta,*

NOTÆ

1 *Othonis caput*] Hoc Epigrammate Poëta exagitat quosdam ex decuria Scribarum Cæsaris; Othonem scilicet, et Libonem, et Fuffitium, in quos et Cæsarem ipsum amarissime invehitur. Hos sane versus, nisi Sibylla legerit, interpretari alium posse reor neminem. Lucem tamen quam potui densissimis tenebris attuli, paratus meliorem amplecti sensum, si quis proposuerit: illud tamen certum videtur, insectari nempe Catullum illius L. Roscii Othonis exilem mentem, angustumque cerebrum et caput, qui Tribunus plebis, Consule Cicerone, legem theatralem stultam et rationi contrariam tulit, qua cautum erat, ut potius fortunarum, quam generis, honoris, aut virtutis ratio haberetur, et ut Patriciis, aut Equestris Ordinis, et Senatoriis viris, summis etiam honoribus functis, quibus quadringentorum sestertiorum census non esset, spectandi jus in theatro in primis quatuordecim gradibus seu subselliis adimeretur, sed qui ditiores

Subtile et leve peditum Libonis;
Si non omnia displicere vellem
Tibi, et Fuffitio seni recocto.
Irascere iterum meis iambis
Immerentibus, unice Imperator.

caput, ac pariter *crura squalentia, et tenues ac fluxi Libonis peditus.* Tu modo, o *singularis Imperator*, quod hæc dixerim, *rursus excandesces adversus meos iambos* iram tuam *non merentes.*

i. e. brevis quædam vestis.—3 Stat. legit, *παίγνιον Libonis.*—4 *Sed non* Ald. Mur. Stat.—5 *Suffecio*, Venett. Brix. Vicent. Gryph. et Mur. in codd. *Suffitio;* sed *Fuffitio* legendum docuit Scal. ex Dione, ubi est *Φουφίτιος.*—6. 7 'Hi versus et in codd. et impressis alieno leguntur loco.' *Stat.*

NOTÆ

essent, loca honoratiora occuparent. De hoc Othone Horat. Epod. 4. 'Sedilibusque magnus in primis Eques Othone contempto sedet.' De ejusdem Othonis lege, quæ honorum præmia divitibus tantum hominibus sæpe sceleratis decernebat idem Horat. I. Epist. 1. 'Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum Nænia? quæ recte regnum facientibus offert.' Juvenal. Sat. III. 'de pulvino surgat equestri, Cujus res legi non sufficit; et sedeant hic Lenonum pueri quocumque in fornice nati: Hic plaudat nitidi præconis filius inter Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque lanistæ. Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.'

2 *Vetti, rustice* [*Heri rustici*] Qui nempe adeo male habuit claros, nobiles, et virtute præstantes Viros, quibus obscuros et infima sorte natos homines, modo divites, anteposuit. Alii legunt, *Peri*, i. e. perdite ama, ut Scaliger, qui solus interpretandum ante nos suscepit hoc Epigramma, ceteris enim visum est ineluctabile. Sensus igitur Scaligeri hic est: O Rustice perdite ama Othonis caput exiguum, et crura sordida et tenues ac fluxos peditus Libonis. Dispeream, nisi vellem omnia tibi displicere, &c. Quis porro fuerit hic Libo, cum plures ea fuerint ætate Libones, incertum; constat tamen ipsum Cæsari familiarem fuisse.

4 *Si non omnia*] Idem Scaliger putat subintelligendum esse, 'dispeream.'

5 *Fuffitio seni recocto*] 'Recocti' dicebantur Scribæ qui sæpius cum Proconsulibus in Provincias missi, exercitatiores facti fuerant usu: mittebantur autem quinque viri; qui cum rediissent, vendebant decurias suas, quod si voluissent iterum Magistratibus apparere, 'cocti' dicebantur, quique sæpius hoc refactitabant, 'recocti.' Horat. 'sæpe recoctus Scriba ex Quinqueviro corvum delusit hiantem.'

6 *Irascere iterum*] Julium Cæsarem Imperatorem alloquitur, quem constat jam semel fuisse Catullo iratum, ob notam versiculis de Mamurra sibi inustam. Qua de re sic Suetonius in Cæsare cap. 73. 'Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat, satisfacientem eadem die adhibuit cœna, hospitioque patris ejus, sicut consueverat, uti perseveravit.'

CARMEN LV.

AD CAMERIUM.

Oramus, si forte non molestum est,
Demonstres ubi sint tuæ tenebræ.
Te quæsivimus in minore Campo,
Te in circo, te in omnibus libellis,
Te in templo superi Jovis sacrato,
In Magni simul ambulatione:
Fœmellas omnes, amice, prendi,
Quas vultu vidi tamen sereno;

Rogamus te, *si forsan* id tibi *grave non est*, ut *ostendas* mihi *quo in loco sunt latebræ tuæ. Investigavimus te* in *campo minore, te in Circo*, et *in omnibus Librariorum officinis* quæsivimus; *te in Æde sacra Jovis excelsi, in porticu quoque* Pompeii *Magni; apprehendi* etiam manu *cunctas puellas, quas tamen animad-*

Metro laborat hoc Carmen in vers. 1. 4. 7. 8. 9. 10. 11. 13. 14. 16. 18. 20. 22. 23. 31. 32. Ver. 10. tribrachyn habet in regione prima.—1 *Oro, si forte* in nonnullis edd. vett. *Oramus, tibi forte si molestum est* Gronov. ad Liv. VII. 13. Nostra lect. est in omnibus codd.—2 In Stat. codd. et edd. vett. *tenebræ;* in Scal. cod. et ed. Stat. *tabernæ*, probante Vulpio; *latebræ* Gryph. et Mur.—3 Scal. et Cuj. edidit, *Te campo quæsivimus minore*, quem sequitur Voss.—4 Hunc versum sic scandunt, *Te in campo, tĕ ĭn*. In Vicent. Brix. Venett. et omnibus codd. *libellis*, i. e. tabernis librariis; in Ald. 1. Gryph. et Mur. *tabernis;* in vet. cod. Heins. *plateis*. Pallad. primus *labellis* reposuit, quem secutus est Stat. in quibusdam *tabellis;* Parth. conj. *locellis*.—5 In Voss. ll. *summi Jovis*.—7 In Venet. *prækendi*.—8 Nostram lect. servant omnes

NOTÆ

1 *Oramus*] Jocose et lepide Camerium puellas nimium assectantem increpat, exponitque quantum ipso quæritando sese defatigarit, rogatque eum, ut, sibi, quo in loco lateat, indicet, suosque amores detegat.

2 *Tuæ tenebræ*] Alii legunt, *tabernæ*. In tabernis fere perditi homines versabantur. Hæ Græcis λέσχαι dicebantur: ad quas scilicet confabulandi causa convenirent: *tenebræ* etiam antea legebatur, i. e. tenebrosæ latebræ.

3 *In minore Campo*] Campum Cœlium notat, in quo Circenses fiebant, cum Campus Martius diluvio Tiberis stagnabat. Ovid. Fast. III. 'Cœlius accipiet pulverulentus equos.'

4 *Te in circo*] Circum maximum intelligit; tres enim Circi Romæ fuisse referuntur.

Libellis] Per Synecdochen pro 'tabernis librariis' usurpatur. Alii *labellis* legunt, et 'thermas' interpretantur. Utrumque graves et magnos habet auctores.

5 *Te in templo*] Capitolium dicit Jovi consecratum.

6 *In Magni simul ambulatione*] Pompeii porticum liquido indicat, de qua Ovid. de Arte Amandi: 'Tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra.'

Has vel te sic ipse flagitabam:
Camerium mihi, pessimæ puellæ.
Quædam inquit, nudum sinum reducens:
En hic in roseis latet papillis.
Sed te jam ferre Herculei labos est.
Tanto te in fastu negas, amice.
Dic nobis, ubi sis futurus: ede,
Audacter committe, crede luci.
Num te lacteolæ tenent puellæ?
Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus projicies amoris omnes:
Verbosa gaudet Venus loquela.

verti esse *liberali facie; has etiam ego te ita poscebam*, o *pessimæ fœminæ*, reddite *mihi Camerium* meum. *Tum ex his una nitidum retegens sinum, dixit* mihi: *Ecce latitat hic in nostris roseis mamillis. Nunc vero ærumna est Herculis, quærere te, amice* mi, *tanta cum arrogantia celas te. Cedo mihi quo in loco futurus sis; profer istud libere, revela* te, *et trade luci. An te detinent candidulæ virgines? Si linguam contineas, in silenti ore perdes omnem fructum amoris tui. Venus*

codd. et edd. vett. *Quas vultu mage vidimus sereno* Gryph. *vultu v. t. serenas* Mur.—9 In codd. teste Mel. *Avellite*, vel *Aulite sic ipse*, qui inde proposuit, *Ah vult in, sic ipse flagitabam Camerium mihi:* Avant. *Avelli sinite.* In cod. Scal. *Ah vel te sic*, unde eruit lect. nostram, *Has vel te sic;* at Voss. mavult, *Ah avellite ipse flagitabam:* in marg. libri Heins. *Jamjam reddite sæpe flagitanti*, probante Doer.—11 In quibusdam edd. vett. *nitidum;* sed *nudum* est in omnibus codd.—12 Vide VV. LL. ver. 23.—13 *Sed te quærere jam Herculis labos est* in Venet. Mur. et nonnullis aliis: *quærere Herculis labos sit* Gryph. *Sed næ jam ferre* Mel. Lect. nostram testantur codd. Scal. et Voss. cum aliis ap. Ed. Cant. et Rheg.—14 Sic quoque in cod. Scal. in nonnullis edd. vett. *Tanto ten' fastu*, improbante Scal.—15 Totum hunc versum glossema putat Ed. Cant. ex cujus sententia locus ita distingui et legi debet, *Dic nobis ubi sis futurus, ede hoc, Num te lacteolæ tenent puellæ?* Sed non sensit V. D. ejusmodi locos, ubi eadem sententia ter et quater aliis verbis iteratur, egregie exprimere vehementiorem, quo quid petitur, animi impetum.' *Doer.*—16 In Venet. Gryph. Mur. *Audacter comiti hoc libenter ede*, vel, *licenter ede;* in aliis, *A. committe, crede lucet;* in Stat. codd. *Audacter, hoc committe, crede, Lucet;* unde conj. *A. committe, crede, Luci;* sed Scal. *lucei* pro *luci* antiquo more, cui debetur nostra lect. Voss. dedit *crede, licet.*—17 In cod. Rom. teste Lipsio,

NOTÆ

10 *Camerium mihi*] Camerii nomine Cæsarem quidam intelligi volunt, quem suis amoribus addictum difficile erat in urbe reperire.

13 *Herculei labos est*] Rem arduam et difficilem Veteres proverbialiter dicebant 'Herculis laborem.' Propert. 'Deinde ubi pertuleris, quos dicit fama labores Herculis.'

20 *Venus loquela*] Venus hic sumitur pro Amore, quem loquacitate gaudere dicit Catullus; contra vero sensit Tibullus, cum dixit: 'celari vult sua furta Venus.'

Vel, si vis, licet obseres palatum,
Dum vestri sim particeps amoris:
Non custos si fingar ille Cretum,
Non si Pegaseo ferar volatu,
Non Ladas si ego, pennipesve Perseus,
Non Rhesi niveæ citæque bigæ:
Adde huc plumipedes volatilesque,
Ventorumque simul require cursum,
Quos junctos, Cameri, mihi dicares:

delectatur loquaci sermone. Aut, si vis, occludas aliis *os* tuum, *per me licet, dummodo conscius ego sim amoris tui.* Alioquin te non *invenirem: etsi fierem ille procurator Cretensium, neque si rapiar volatu Pegaseo, neque si Ladas forem, aut pennatus Perseus, neque si tam citus sim quam albi et celeres equi Rhesi. Adjunge etiam ad hæc pennipedes, et volaticos, quære pariter velocitatem ventorum, quos*

lacteolæ tenent papillæ.—21 *Vel signis licet obseres palatum* vult Voss.—22 In omnibus Stat. codd. *Dum nostri sis particeps amoris;* sed *vestri* in *nostri* mutaverant, qui non meminerant ἀρχαϊκὸν esse characterem Catulli: Ald. *Dum vestri sim ego*, jubente Avant. in aliis, *Sis nostri quoque particeps.*—23 Sequentes decem vers. adduntur in Venett. Brix. et Vicent. et in codd. ap. Ed. Cant. Carmini LVIII. cujus est initium, *Cœli, Lesbia nostra*, et ita esse in plerisque codd. affirmat quoque Voss. Quem nunc occupant locum, eis assignavit Scal. sed Voss. ad præcedens Epigramma pertinere et haud dubie deesse aliquid putat. Mur. et ed. Gryph. constituunt eos post versum 12. *En hic in roseis, &c.* Aptissime hoc ipsum Carmen claudere Doeringio videntur.—24. 25 In ed. Mur. *Non si Ladas pennipesve Perseus, Non si Pegaseo ferar volatu, Non R. niveis citisque bigis*, probante Doer. *penniferve Perseus* in Venett. Brix. et Vicent.—26 Voss. e Mediol. affert, *Citæque bigæ*, litera prima majore, quod de curru Medeæ, utpote natæ in oppido Cyta, intelligi posse autumat.—27 Mur. habet *plumideas.*—29 Gryph. et Mur. *mihi dicaris.*—

NOTÆ

23 *Non custos si fingar ille Cretum*] Dædalus Micionis filius, Athenis capitis judicium effugiens, in Cretam delatus, ingenio suo adeo Minoi acceptus fuit, ut Atheniensibus bellum inferens regni custodem ipsum reliquerit.

25 *Non Ladas si ego*] Alexandri Macedonis cursor fuisse traditur, tanta pedum velocitate, ut vestigia ejus in arena non apparerent.

Pennipesve Perseus] Filius Jovis et Danaës, qui a Polydecte Magnetis filio ad Gorgonas missus, a Mercurio, qui eum dilexit, talaria et petasum accepisse æstimatur.

26 *Non Rhesi niveæ citæque bigæ*] Rhesus Thraciæ Rex equos habuit velocissimos, in quibus Trojanorum fata pendebant, quos cum ille ad ipsorum auxilium duxisset, prima nocte ipse cum equis interfectus est.

27 *Adde huc plumipedes*] Licet id intelligi possit de avibus, rectius tamen interpreteris esse Zethum et Calaim Boreæ filios, quos alatos fuisse finxerunt Poëtæ.

Defessus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus peresus
Essem, te, mi amice, quæritando.

etsi conjunctos donares mihi, o *Cameri, nihilominus totis visceribus fatigatus essem, et gravi infirmitate consumtus, te jugiter*, o *mi amice, requirendo.*

32 *Esse in te* ed. Voss. *mihi amice* Venet. Gryph. Mur.

CARMEN LVI.

AD CATONEM.

O REM ridiculam, Cato, et jocosam,
Dignamque auribus, et tuo cachinno.
Ride, quicquid amas, Cato, Catullum:
Res est ridicula et nimis jocosa.
Deprendi modo pupulum puellæ
Trusantem. Hunc ego, si placet Dionæ,
Pro telo rigida mea cecidi.

O rem risu dignam, et lepidam, et dignam, o *Cato* amice, *auribus tuis, et risu tuo soluto. Ride igitur*, o *Cato, quantum diligis me Catullum* tuum, nam *res est* prorsus *risu digna, et admodum faceta.* * * *

2 *Dignam naribus* legendum esse censet Scal.—3 In marg. ed. Gryph. ap. Doer. *si quid amas.*—6 Voss. vult *Crissantem*, et explicat κελητίζοντα. Pro *si* Stat. conj. *sic.*—7 *Protelo* pro adverbio acceperunt Stat. Scal. Voss. Vulp. alii, ut sit jugiter eodem tractu et tenore, συντόνως. Cf. Gesneri Thes. s. v. 'protelum.'

NOTÆ

1 *Cato*] Hic non Uticensis, sed ille fuit Valerius Cato, de quo Suetonius lib. de Illustribus Grammaticis refert hos Bibaculi versus: 'Cato Grammaticus, Latina Siren, Qui solus legit, ac facit Poëtas.' De eodem Ovid. quoque Trist. lib. II. 'Et leve Cornifici parque Catonis opus.' Scripsit Poëmation, quod Diras inscripsit, præter Grammaticos libellos.

5 *Deprendi modo*] Paulo ante inveni.

Pupulum] Puerum, sic enim antiquitus 'puppos' pueros, et 'puppas' puellas dicebant.

6 *Trusantem*] Frequentativum a 'trudo,' i. e. per vim impellentem membrum videlicet virile intra genitalia puellæ. Sic Martial. lib. XI. Epigr. 47. 'Truditur et digitis pannucea mentula lassis.' Alii *crissantem* legunt, i. e. se in coitu moventem. Sed improprie, est namque fœminarum 'crissare,' sicut 'cevere' virorum.

NOTÆ

7 *Pro telo*] Loco teli: sicut enim qui in adulterio reperiuntur telo interficiuntur; ita, inquit, loco teli mentula rigida ipsum cecidi. Et sic metaphorice loquitur, et ne videatur in hac re Venerem offendere, cum de libidine in masculum abominabili loquatur, ideo interponit, *si placet Dionæ*, i. e. Veneri, de qua superius diximus.

Rigida] Tanquam substantivo usus est, mentulam significans.

CARMEN LVII.

AD MAMURRAM ET CÆSAREM.

PULCHRE convenit improbis cinædis
Mamurræ pathicoque, Cæsarique.
Nec mirum: maculæ pares utrisque,
Urbana altera, et illa Formiana,
Impressæ resident, nec eluentur.
Morbosi pariter, gemelli utrique:
Uno in lectulo, erudituli ambo:

Bene congruit flagitiosis cinædis, Mamurræ nempe *pathico, et Cæsari: neque id novum: nam vitia ambobus similia* sunt; *hæc urbica, illa Formiana, hæc hærent infixa, nec delebuntur. Sunt æque flagitiosi, æquales ambo,* et velut *gemini*

7 Vulgatam distinctionem post *lectulo* tollit Mel. et respici putat proverbium 'uno in lectulo edocti;' ita ut ambo in omnibus sibi simillimi et in eodem quasi 'lectulo improbitatis' nequiter instructi intelligantur. Stat. conj. *Unilectuli;* Avant. ob metrum proposuit, *lectululo,* absque necessitate,

NOTÆ

1 *Pulchre convenit*] Hoc mordaci Carmine Julium Cæsarem et Mamurram Formianum exagitat, eorum nefandas libidines rapinasque carpens.

2 *Mamurræ*] De Mamurra Formiano jam supra.

Cæsarique] Non tantum Catullus in J. Cæsarem scripsit, sed et Bibaculus, teste Tacito Annal. IV. cap. 34. 'Carmina Bibaculi et Catulli, referta contumeliis Cæsarum, leguntur; sed ipse Divus Julius, ipse Divus Augustus, et tulere ista, et reliquere: haud facile dixerim, moderatione magis, an sapientia; namque spreta exolescunt, si irascare, agnita videntur.'

6 *Gemelli utrique*] Qui eodem partu nascuntur ut plurimum magnam inter se solent habere similitudinem. Hic 'gemellos' dicit Cæsarem et Mamurram, propter vitiorum similitudinem, et scelerum societatem.

Non hic, quam ille, magis vorax adulter,
Rivales socii puellularum.
Pulchre convenit improbis cinædis.

ambo semidocti, uno in lecto. Non plus hic est, quam ille, mœchus prodigus, sodales puellarum rivales: bene consentiunt inter se flagitiosi cinædi.

ultimum enim *o* brevis est propter sequentem vocalem.—8 In Venet. *magis vorax et adulter;* Stat. tentabat, *Non hic quam ille, magis vorax adulter Rivalis socius puellularum;* Voss. *puellarum;* in aliis edd. *socii et puellularum;* Doer. conj. *Rivales et socii puellarum*, vel, *Rivales sociique puellarum;* sed quid ineptius et Hendecasyllabi legibus repugnantius? reposuit tamen lect. Scal. 1. ex Bipontina.

CARMEN LVIII.

AD CŒLIUM DE LESBIA.

CŒLI, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam se, atque suos amavit omnes,
Nunc in quadriviis et angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

O *Cœli, Lesbia mea, Lesbia illa, illa Lesbia, quam Catullus solam multo plus dilexit quam seipsum, et suos omnes amicos, nunc in compitis et angiportis expoliat fortes Remi posteros.*

5 Voss. vult *magnanimi Remi.* Vide VV. LL. ad Carm. LV. 23.

NOTÆ

1 *Lesbia illa*] Putatur fuisse Clodia soror Publii Clodii, cujus consuetudine usus est hic Cœlius, pro quo Cicero scripsit Orationem adversus eandem Clodiam.

4 *Quadriviis*] Quadrivia sunt loca, in quibus quatuor viæ concurrunt.

Angiportis] Dicitur 'hic angiportus,' et 'hoc angiportum:' viæ sunt in urbibus angustiores, ut plateæ latiores. In angiportubus vilissima scorta merebant. Horat. Od. I. 25. 'Flebis in solo levis angiportu.'

5 *Remi nepotes*] Remi posteros Romanos intelligit, quos ironice vocat *magnanimos.*

CARMEN LIX.

DE RUFA ET RUFULO.

Bononiensis Rufa Rufulum fellat,
Uxor Meneni, sæpe quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo cœnam,
Cum devolutum ex igne prosequens panem
Ab semiraso tunderetur ustore.

An Rufa illa *Bononiensis eludit Rufulum? an conjux* illa *Menii, quam spectavistis frequenter in bustis surripere silicernium ex ipso igne, quando appetens cibum delapsum e flamma percuteretur a bustuariis semitonsis?*

1 Priscam lect. *fallat* pro *fellat* revocavit Scal. *Rufa Rufum fellat* in Venet. *me rursum fallit* in marg. ed. Gryph. ap. Doer.—2 Vetus scriptura est, *Uxor nemeni;* unde Scal. *Uxorne Meni?* 'quem perperam sequitur Bip. nam præter Scaligerum veterem illam scripturam nemo reperit, immo omnes codd. quibus ceteri interpretes usi sunt, constanter servant *Uxor Meneni:* signum interrogandi post *Meneni,* et in fine, apparet in Cant.' *Doer.* In Venet. *sepulchris* pro *sepulcretis.*—3 Mur. *carpere e rogo;* in aliis vett. *rapere e rogo:* Stat. codd. habent *rapere de rogo.*—5 *Ab semiraso* in codd. *A semiraso* in edd. vett. *tonderetur* Voss. ex auctoritate plur. librorum vett. et sic in Gryph. et Venet. an. 1500. accipit autem Voss. 'tondere' pro 'vellicare,' 'radere,' 'lacerare' et 'carptim ferire,' et addit penultimam more antiquo in *tonderetur* corripi.

NOTÆ

1 *Bononiensis Rufa fellat* [*fallit*] Sententia Epigrammatis est Rufam, quæ nuper tanta inopia laborabat, ut e media flamma cibum peteret, nunc superbo fastu Rufuli amantis preces eludere. Nonnulli legunt, *fallat,* et volunt sumi *fallare* antiquum verbum pro *fallere,* eodem modo quo *vanare.* Attius, 'Tanta ut frustrando vanans, lactans protrahat.' Quæ verba, 'vanare,' 'lactare,' 'fallare,' idem prope significant, id enim est, 'falsa spe producere.' Alii legunt, *fellat,* quod idem est ac 'exsugit,' quod non male convenit illi mendicabulo, cui Rufulus se tradiderat.

2 *Uxor Meneni* [*Uxorne Meni*] Is ipse Menius videtur esse, de quo Horat. scripsit paterna atque materna bona abligurisse; 'Menius, ut rebus maternis atque paternis Fortiter absumtis.' Adeo ut ejus uxor coacta ideo sit silicernia in sepulcretis vorare.

3 *Rapere de rogo cœnam*] Extremam egestatem arguit illius Rufæ, quæ ex ipsa flamma rapiebat silicernium, quod vorare posset. Nam in sepulcretis ustrinæ erant, quæ sepulcris applicabantur, ad quas culinæ erant in quibus silicernium, i. e. funebris cœna coquebatur, quam gustare nefas erat: unde tamen cibos et panes sæpius pauperes et scortilla rapiebant.

5 *Ab semiraso ustore*] 'Ustores,' seu 'bustuarii' erant ii, qui rogis comburendisque cadaveribus operam locabant: erat autem abjectissimum genus mancipiorum; nam semirasi erant qui ad aliquod opus publicum damnati erant; ut ad molendina, ad remum, et cadavera efferenda, qui et 'vespiliones' dicebantur.

CARMEN LX.

NUM te leæna montibus Libyssinis,
Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
Tam mente dura procreavit ac tetra,
Ut supplicis vocem in novissimo casu
Contemtam haberes? O nimis fero corde!

An te leæna aliqua *in jugis Libycis progenuit tam inhumano animo et tam fero, aut Scylla latrans ima pubis parte, ut despectam haberes precantis vocem in extrema calamitate? o* virum *mente nimium immiti!*

In quibusdam edd. hoc Carmen cum superiori conjungitur, ut in Venet. an. 1500. Gryph. et Scal. 1. 2. in Venet. 1. et Brix. inscribitur, *Ad Camerium.*—1 Ita in edd. vett. *Libystinis* Scal. et Voss.—5 *A nimis* in edd. vett.

NOTÆ

Deest initium hujus Epigrammatis, sicut et finis superioris.

1 *Montibus Libyssinis*] In montibus Libycis immanes ac præcipui nascuntur leones. Libyam porro partem esse Africæ supra vidimus. A Libya, Libycus, Libyssus, et Libystinus derivantur.

2 *Aut Scylla latrans*] Scylla fuit Phorci filia, quæ cum mutuo Glauci amore teneretur, indignata est Circe, quæ Glaucum deperibat, hanc sibi ab illo præferri, ac fontem in quo illa lavare se solebat, herbis infecit noxiis et veneficis, quarum vi in canem pube tenus Scylla commutata fingitur.

CARMEN LXI.

IN NUPTIAS JULIÆ ET MANLII.

COLLIS o Heliconei
Cultor, Uraniæ genus,

O Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe, incola Heliconii montis, fili Uraniæ,

Hoc Carmen inscribitur in edd. vett. *Epithalamium*, vel *Hymenæus;* in aliis, ut et in codd. *In nuptiis*, vel, *nuptias Juliæ et Manlii*, sive, *Epithalamium Juliæ et Manlii:* sed, ut ait Marcil. *Julia* non prior esse debuit in ἐπιγραφῇ.

NOTÆ

In nuptias, &c. [*Juliæ et Manlii Epithalamium*] Quænam hæc Julia fuerit, obscurum est, sed Manlius Torquatus dictus est ex illustri Torquatorum familia, de Catullo bene meritus. *Epithalamium* Carmen est

Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe:
Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.
Flammeum cape: lætus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede soccum:
Excitusque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate tædam.

qui adducis mollem puellam ad maritum suum. *Redime caput floribus amaraci fragrantis; sume velum nuptiale. Huc alacer accede, ferens candidis pedibus calceamenta crocea. Et evocatus die læto canens acuto sono versus conjugales, pulsa pedibus terram. Spineam facem dextra concute. Quippe Julia benigna*

—1 *Heliconii* in edd. vett. in codd. *Heliconei.*—5 In Scal. 1. *O Hymen Hymenæe.*—7 In edd. vett. *Suave olentis,* duobus verbis.—8 *Flameum* Mur.—15 In Venet. an. 1500. Mur. et aliis *Spineam* ex emend. Parth. probante Berol. ad Apul. sed lect. nostram testantur omnes codd. Stat. Scal. Voss.

NOTÆ

a Virginibus decantari solitum, nova nupta ad conjugem adducta, et in thalamo collocata; unde tractum *Epithalamii* nomen: hinc nonnulli malunt hoc Catulli Poëma *Hymenæum,* Ticidæ Poëtæ exemplo, appellari, quam Epithalamium. Apud Græcos primus scripsit Epithalamium Apollo in nuptiis Thetidis et Pelei. Apud Latinos Epithalamii primus auctor, cujus memoria literis tradatur, Catullus noster memoratur. Theocritus inter Græcos Idyllium decimum octavum 'Epithalamium Helenæ' inscripsit, Stesichorum imitatus.

1 *Collis o Heliconei*] Helicon Bœotiæ, alii volunt Phocidis, mons, Apollini sacer est, et Musis, quæ hinc Heliconides et Heliconiades sunt appellatæ. Pherecratii seu Glyconii carminis genus est, cujus etiam generis jam supra Oden vidimus. Carm. xxxiv.

4 *O Hymenæe Hymen*] Hymen nuptiarum Præses, qui hoc loco dicitur Uraniæ Musæ filius, ab aliis Liberi patris et Veneris filius dictus est; tradunt alii virum fortem fuisse Athenis natum, qui raptas a prædonibus virgines oppressis latronibus intactas patriæ restituerit: hinc factum, ut boni ominis causa in nuptiis nomen invocetur: a Romanis pro 'Hymenæo' 'Thalassius' invocatur.

8 *Flammeum cape*] Flammeum velum erat lutei coloris, quo novæ nuptæ facies tegebatur.

15 *Pineam* [*Spineam*] *quate tædam*] Nuptiis faces adhibebantur ex iis arboribus quæ resinam ferunt. Alii le-

Namque Julia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem, bona cum bona
Nubit alite virgo:
Floridis velut enitens
Myrtus Asia ramulis,
Quos Hamadryades Deæ
Ludicrum sibi roscido
Nutriunt humore.
Quare age, huc aditum ferens

puella, talis, qualis Venus Idalium habitans accessit ad Phrygem arbitrum, cum felicibus avibus datur nuptum Manlio; tanquam myrtus Asia eminens ramis vernantibus, quos Hamadryades Divæ ad oblectationem alunt liquore rorulento. Eia

et Vulp. cum optt. edd. Livin. etiam probata est.—16 In nonnullis edd. vett. *Julia Mallio;* in omnibus Stat. codd. *Junia.*—20 In Stat. codd. *Nubet.*—22 *Myrtus agia* in Venet. et sic e Plin. H. N. xv. 29. legendum quoque censet Ramirez de Prado ad Luitprandi Chron. an. DCXXIII. *hagia* est in marg. ed. Gryph. ap. Doer.—25 In edd. vett. *Nutriunt in humore,* improbante Avant. (prima enim in *humore* producitur,) cujus emendatio, *Nutriunt humore* recepta est in Ald. 2. Gryph. Mur. Stat. et recentt. quamque etiam testantur nonnulli Stat. codd. in aliis ejusdem codd. ut et in Ald. 1. *Nutriunt in honore;* in marg. ed. Gryph. ap. Doer. *in odore;* quæ binæ lect. haud dubie profectæ sunt ab auctoribus, qui spondæum pro dactylo positum ferre non

NOTÆ

gunt, *Pineam,* nullo incommodo; nam et 'pineas' et 'spineas' tædas fuisse in nuptiis adhibitas constat. De 'pineis' nihil dubium. De 'spineis' Plin. lib. XVIII. c. 16. 'Spina nuptiarum facibus auspicatissima, quoniam inde fecerunt pastores qui Sabinas rapuerunt.' Festus præterea ait, 'Patrimi et matrimi prætextati tres nubentem deducunt: unus, qui facem præfert e spina alba, quia noctu nubebant, duo qui tenent nubentem.' Vides præcipuam facem nuptialem fuisse 'spineam,' quæ vim habere credebatur averruncandi mali. Vide Ovid. Fast. VI.

17 *Idalium colens*] Idalium est oppidum Insulæ Cypri Veneri sacrum. Est item nemus in eadem Insula Veneri dicatum.

18 *Ad Phrygium Judicem*] Ille est Paris Priami filius, ad quem Juno, Minerva, et Venus accesserunt; ut creditum ipsius judicio pomum aureum harum pulchriori adjudicaretur.

22 *Myrtus Asia*] Asia hoc loco nomen paludis in Mysia prope Caystrum fluvium, a quo vicinos campos 'Asia prata' Virgilius appellavit. In hac regione felicissime provenit myrtus, arbor pulcherrima simul et gratissima.

23 *Hamadryades*] Nymphæ sunt, quæ cum arboribus nascuntur, et intereunt. Hamadryades hic pro Naiadibus vel Napæis posuit.

Perge linquere Thespiæ
Rupis Aonios specus,
Lympha quos super irrigat
Frigerans Aganippe:
Ac domum dominam voca,
Conjugis cupidam novi,
Mentem amore revinciens,
Ut tenax hedera huc et huc
Arborem implicat errans.
Vos item simul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite in modum
Dicite: O Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe:
Ut lubentius, audiens
Se citarier ad suum
Munus, huc aditum ferat
Dux bonæ Veneris, boni
Conjugator amoris.

igitur, huc accedens perge deserere antra Aonia saxi Thespii, quæ Aganippe unda desuper frigefaciens humectat; et adduc sponsam appetentem novi mariti in domum ipsius, *astringens ejus animum amore, tanquam hedera inhærens, hac illac extensa, arborem innectit. Vos etiam puellæ intactæ, quibus instat similis dies, agedum, canite in numerum, o Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe. Ut* ipse *advertens se vocari ad officium suum, huc promtius veniat auctor honestæ Veneris,*

possent.—29 In omnibus Stat. codd. *Nympha*, ut est etiam in edd. vett.—31 *Ad domum* in omnibus Stat. codd. in edd. vett. *Ac domum*. Stat. conj. *Ac domus;* Passer. *ac domu*, pro 'e domo,' vel, 'ab domo,' ut ap. Hor. IV. Od. 5.—34 In edd. vett. *hac et hac*, quas sequitur Gryph. Mur. et Stat. *huc et huc* in omnibus Stat. codd.—36 In omnibus Stat. codd. *Vosque item;* in Venet. *Vos iterum*.—38 In quibusdam edd. vett. *nondum* vel *nodum*.—41 In edd. vett. *Ut l. audiat Se citarier....ferens, Dux, &c.* Marcil. legit et interpungit, *Ut l.*

NOTÆ

27 *Thespiæ*] Thespias, oppidum Bœotiæ, sive Aoniæ, infra montem Heliconem conditum, nobilitavit Cupido Praxitelis, quem ab eo Glycerium meretrix consecuta dedicavit.

28 *Aonios*] Aonia dicta est Bœotia, maxime qua parte montana est; unde Musæ dicuntur 'Aonides.'

30 *Frigerans Aganippe*] Fons est Bœotiæ, Musis sacer, quem Poëtæ fabulantur factum esse Pegasi equi alati ungula.

36 *Vos item integræ Virgines*] Virgines et pueros adhiberi nuptiis, ex quibus chorus constabat, quem Drama vocarunt, scribit Hieronymus in Cantica Canticorum, et apparet infra in Carmine Nuptiali.

Defessus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus peresus
Essem, te, mi amice, quæritando.

etsi conjunctos donares mihi, o *Cameri, nihilominus totis visceribus fatigatus essem, et gravi infirmitate consumtus, te jugiter*, o *mi amice, requirendo.*

32 *Esse in te* ed. Voss. *mihi amice* Venet. Gryph. Mur.

CARMEN LVI.

AD CATONEM.

O REM ridiculam, Cato, et jocosam,
Dignamque auribus, et tuo cachinno.
Ride, quicquid amas, Cato, Catullum:
Res est ridicula et nimis jocosa.
Deprendi modo pupulum puellæ
Trusantem. Hunc ego, si placet Dionæ,
Pro telo rigida mea cecidi.

O rem risu dignam, et lepidam, et dignam, o *Cato* amice, *auribus tuis, et risu tuo soluto. Ride igitur*, o *Cato, quantum diligis me Catullum* tuum, nam *res est* prorsus *risu digna, et admodum faceta.* * * *

2 *Dignam naribus* legendum esse censet Scal.—3 In marg. ed. Gryph. ap. Doer. *si quid amas.*—6 Voss. vult *Crissantem*, et explicat *κελητίζοντα.* Pro *si* Stat. conj. *sic.*—7 *Protelo* pro adverbio acceperunt Stat. Scal. Voss. Vulp. alii, ut sit jugiter eodem tractu et tenore, *συντόνως.* Cf. Gesneri Thes. s. v. 'protelum.'

NOTÆ

1 *Cato*] Hic non Uticensis, sed ille fuit Valerius Cato, de quo Suetonius lib. de Illustribus Grammaticis refert hos Bibaculi versus: 'Cato Grammaticus, Latina Siren, Qui solus legit, ac facit Poëtas.' De eodem Ovid. quoque Trist. lib. II. 'Et leve Cornifici parque Catonis opus.' Scripsit Poëmation, quod Diras inscripsit, præter Grammaticos libellos.

5 *Deprendi modo*] Paulo ante inveni.

Pupulum] Puerum, sic enim antiquitus 'puppos' pueros, et 'puppas' puellas dicebant.

6 *Trusantem*] Frequentativum a 'trudo,' i. e. per vim impellentem membrum videlicet virile intra genitalia puellæ. Sic Martial. lib. XI. Epigr. 47. 'Truditur et digitis pannucea mentula lassis.' Alii *crissantem* legunt, i. e. se in coitu moventem. Sed improprie, est namque fœminarum 'crissare,' sicut 'cevere' virorum.

NOTÆ

7 *Pro telo*] Loco teli: sicut enim qui in adulterio reperiuntur telo interficiuntur; ita, inquit, loco teli mentula rigida ipsum cecidi. Et sic metaphorice loquitur, et ne videatur in hac re Venerem offendere, cum de libidine in masculum abominabili loquatur, ideo interponit, *si placet Dionæ*, i. e. Veneri, de qua superius diximus.

Rigida] Tanquam substantivo usus est, mentulam significans.

CARMEN LVII.

AD MAMURRAM ET CÆSAREM.

PULCHRE convenit improbis cinædis
Mamurræ pathicoque, Cæsarique.
Nec mirum: maculæ pares utrisque,
Urbana altera, et illa Formiana,
Impressæ resident, nec eluentur.
Morbosi pariter, gemelli utrique:
Uno in lectulo, erudituli ambo:

Bene congruit flagitiosis cinædis, Mamurræ nempe *pathico, et Cæsari: neque id novum:* nam *vitia ambobus similia* sunt; *hæc urbica, illa Formiana, hæc hærent infixa, nec delebuntur. Sunt æque flagitiosi, æquales ambo,* et velut *gemini*

7 Vulgatam distinctionem post *lectulo* tollit Mel. et respici putat proverbium 'uno in lectulo edocti;' ita ut ambo in omnibus sibi simillimi et in eodem quasi 'lectulo improbitatis' nequiter instructi intelligantur. Stat. conj. *Unilectuli;* Avant. ob metrum proposuit, *lectululo,* absque necessitate,

NOTÆ

1 *Pulchre convenit*] Hoc mordaci Carmine Julium Cæsarem et Mamurram Formianum exagitat, eorum nefandas libidines rapinasque carpens.

2 *Mamurræ*] De Mamurra Formiano jam supra.

Cæsarique] Non tantum Catullus in J. Cæsarem scripsit, sed et Bibaculus, teste Tacito Annal. IV. cap. 34. 'Carmina Bibaculi et Catulli, referta contumeliis Cæsarum, leguntur; sed ipse Divus Julius, ipse Divus Augustus, et tulere ista, et reliquere: haud facile dixerim, moderatione magis, an sapientia; namque spreta exolescunt, si irascare, agnita videntur.'

6 *Gemelli utrique*] Qui eodem partu nascuntur ut plurimum magnam inter se solent habere similitudinem. Hic 'gemellos' dicit Cæsarem et Mamurram, propter vitiorum similitudinem, et scelerum societatem.

Non hic, quam ille, magis vorax adulter,
Rivales socii puellularum.
Pulchre convenit improbis cinædis.

ambo semidocti, uno in lecto. Non plus hic est, quam ille, mœchus prodigus, sodales puellarum rivales: bene consentiunt inter se flagitiosi cinædi.

ultimum enim *o* brevis est propter sequentem vocalem.—8 In Venet. *magis vorax et adulter;* Stat. tentabat, *Non hic quam ille, magis vorax adulter Rivalis socius puellularum;* Voss. *puellarum;* in aliis edd. *socii et puellularum;* Doer. conj. *Rivales et socii puellarum,* vel, *Rivales sociique puellarum;* sed quid ineptius et Hendecasyllabi legibus repugnantius? reposuit tamen lect. Scal. 1. ex Bipontina.

CARMEN LVIII.

AD CŒLIUM DE LESBIA.

Cœli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam se, atque suos amavit omnes,
Nunc in quadriviis et angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

O *Cœli, Lesbia mea, Lesbia illa, illa Lesbia, quam Catullus solam multo plus dilexit quam seipsum, et suos omnes amicos, nunc in compitis et angiportis expoliat fortes Remi posteros.*

5 Voss. vult *magnanimi Remi.* Vide VV. LL. ad Carm. LV. 23.

NOTÆ

1 *Lesbia illa*] Putatur fuisse Clodia soror Publii Clodii, cujus consuetudine usus est hic Cœlius, pro quo Cicero scripsit Orationem adversus eandem Clodiam.

4 *Quadriviis*] Quadrivia sunt loca, in quibus quatuor viæ concurrunt.

Angiportis] Dicitur 'hic angiportus,' et 'hoc angiportum:' viæ sunt in urbibus angustiores, ut plateæ latiores. In angiportubus vilissima scorta merebant. Horat. Od. I. 25. 'Flebis in solo levis angiportu.'

5 *Remi nepotes*] Remi posteros Romanos intelligit, quos ironice vocat *magnanimos.*

CARMEN LIX.

DE RUFA ET RUFULO.

BONONIENSIS Rufa Rufulum fellat,
Uxor Meneni, sæpe quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo cœnam,
Cum devolutum ex igne prosequens panem
Ab semiraso tunderetur ustore.

An Rufa illa *Bononiensis eludit Rufulum? an conjux* illa *Menii, quam spectavistis frequenter in bustis surripere silicernium ex ipso igne, quando appetens cibum delapsum e flamma percuteretur a bustuariis semitonsis?*

1 Priscam lect. *fallat* pro *fellat* revocavit Scal. *Rufa Rufum fellat* in Venet. *me rursum fallit* in marg. ed. Gryph. ap. Doer.—2 Vetus scriptura est, *Uxor nemeni;* unde Scal. *Uxorne Meni?* ' quem perperam sequitur Bip. nam præter Scaligerum veterem illam scripturam nemo reperit, immo omnes codd. quibus ceteri interpretes usi sunt, constanter servant *Uxor Meneni:* signum interrogandi post *Meneni*, et in fine, apparet in Cant.' *Doer.* In Venet. *sepulchris* pro *sepulcretis.*—3 Mur. *carpere e rogo;* in aliis vett. *rapere e rogo:* Stat. codd. habent *rapere de rogo.*—5 *Ab semiraso* in codd. *A semiraso* in edd. vett. *tonderetur* Voss. ex auctoritate plur. librorum vett. et sic in Gryph. et Venet. an. 1500. accipit autem Voss. ' tondere' pro ' vellicare,' ' radere,' ' lacerare' et ' carptim ferire,' et addit penultimam more antiquo in *tonderetur* corripi.

NOTÆ

1 *Bononiensis Rufa fellat* [*fallit*] Sententia Epigrammatis est Rufam, quæ nuper tanta inopia laborabat, ut e media flamma cibum peteret, nunc superbo fastu Rufuli amantis preces eludere. Nonnulli legunt, *fallat*, et volunt sumi *fallare* antiquum verbum pro *fallere*, eodem modo quo *vanare*. Attius, ' Tanta ut frustrando vanans, lactans protrahat.' Quæ verba, ' vanare,' ' lactare,' ' fallare,' idem prope significant, id enim est, ' falsa spe producere.' Alii legunt, *fellat*, quod idem est ac ' exsugit,' quod non male convenit illi mendicabulo, cui Rufulus se tradiderat.

2 *Uxor Meneni* [*Uxorne Meni*] Is ipse Menius videtur esse, de quo Horat. scripsit paterna atque materna bona abligurisse; ' Menius, ut rebus maternis atque paternis Fortiter absumtis.' Adeo ut ejus uxor coacta ideo sit silicernia in sepulcretis vorare.

3 *Rapere de rogo cœnam*] Extremam egestatem arguit illius Rufæ, quæ ex ipsa flamma rapiebat silicernium, quod vorare posset. Nam in sepulcretis ustrinæ erant, quæ sepulcris applicabantur, ad quas culinæ erant in quibus silicernium, i. e. funebris cœna coquebatur, quam gustare nefas erat: unde tamen cibos et panes sæpius pauperes et scortilla rapiebant.

5 *Ab semiraso ustore*] ' Ustores,' seu ' bustuarii' erant ii, qui rogis comburendisque cadaveribus operam locabant: erat autem abjectissimum genus mancipiorum; nam semirasi erant qui ad aliquod opus publicum damnati erant; ut ad molendina, ad remum, et cadavera efferenda, qui et ' vespiliones' dicebantur.

CARMEN LX.

NUM te leæna montibus Libyssinis,
Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
Tam mente dura procreavit ac tetra,
Ut supplicis vocem in novissimo casu
Contemtam haberes? O nimis fero corde!

An te leæna aliqua *in jugis Libycis progenuit tam inhumano animo et tam fero, aut Scylla latrans ima pubis parte, ut despectam haberes precantis vocem in extrema calamitate? o* virum *mente nimium immiti!*

In quibusdam edd. hoc Carmen cum superiori conjungitur, ut in Venet. an. 1500. Gryph. et Scal. 1. 2. in Venet. 1. et Brix. inscribitur, *Ad Camerium.*—1 Ita in edd. vett. *Libystinis* Scal. et Voss.—5 *A nimis* in edd. vett.

NOTÆ

Deest initium hujus Epigrammatis, sicut et finis superioris.

1 *Montibus Libyssinis*] In montibus Libycis immanes ac præcipui nascuntur leones. Libyam porro partem esse Africæ supra vidimus. A Libya, Libycus, Libyssus, et Libystinus derivantur.

2 *Aut Scylla latrans*] Scylla fuit Phorci filia, quæ cum mutuo Glauci amore teneretur, indignata est Circe, quæ Glaucum deperibat, hanc sibi ab illo præferri, ac fontem in quo illa lavare se solebat, herbis infecit noxiis et veneficis, quarum vi in canem pube tenus Scylla commutata fingitur.

CARMEN LXI.

IN NUPTIAS JULIÆ ET MANLII.

COLLIS o Heliconei
Cultor, Uraniæ genus,

O Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe, incola Heliconii montis, fili Uraniæ,

Hoc Carmen inscribitur in edd. vett. *Epithalamium,* vel *Hymenæus;* in aliis, ut et in codd. *In nuptiis,* vel, *nuptias Juliæ et Manlii,* sive, *Epithalamium Juliæ et Manlii:* sed, ut ait Marcil. *Julia* non prior esse debuit in ἐπιγραφῇ.

NOTÆ

In nuptias, &c. [*Juliæ et Manlii Epithalamium*] Quænam hæc Julia fuerit, obscurum est, sed Manlius Torquatus dictus est ex illustri Torquatorum familia, de Catullo bene meritus. *Epithalamium* Carmen est

Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenææ Hymen,
Hymen o Hymenææ:
Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.
Flammeum cape: lætus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede soccum:
Excitusque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate tædam.

qui adducis mollem puellam ad maritum suum. *Redime caput floribus amaraci fragrantis; sume velum nuptiale. Huc alacer accede, ferens candidis pedibus calceamenta crocea. Et evocatus die læto canens acuto sono versus conjugales, pulsa pedibus terram. Spineam facem dextra concute. Quippe Julia benigna*

—1 *Heliconii* in edd. vett. in codd. *Heliconei.*—5 In Scal. 1. *O Hymen Hymenææ.*—7 In edd. vett. *Suave olentis,* duobus verbis.—8 *Flameum* Mur.—15 In Venet. an. 1500. Mur. et aliis *Spineam* ex emend. Parth. probante Berol. ad Apul. sed lect. nostram testantur omnes codd. Stat. Scal. Voss.

NOTÆ

a Virginibus decantari solitum, nova nupta ad conjugem adducta, et in thalamo collocata; unde tractum *Epithalamii* nomen: hinc nonnulli malunt hoc Catulli Poëma *Hymenæum,* Ticidæ Poëtæ exemplo, appellari, quam Epithalamium. Apud Græcos primus scripsit Epithalamium Apollo in nuptiis Thetidis et Pelei. Apud Latinos Epithalamii primus auctor, cujus memoria literis tradatur, Catullus noster memoratur. Theocritus inter Græcos Idyllium decimum octavum 'Epithalamium Helenæ' inscripsit, Stesichorum imitatus.'

1 *Collis o Heliconei*] Helicon Bœotiæ, alii volunt Phocidis, mons, Apollini sacer est, et Musis, quæ hinc Heliconides et Heliconiades sunt appellatæ. Pherecratii seu Glyconii carminis genus est, cujus etiam generis jam supra Oden vidimus. Carm. XXXIV.

4 *O Hymenææ Hymen*] Hymen nuptiarum Præses, qui hoc loco dicitur Uraniæ Musæ filius, ab aliis Liberi patris et Veneris filius dictus est; tradunt alii virum fortem fuisse Athenis natum, qui raptas a prædonibus virgines oppressis latronibus intactas patriæ restituerit: hinc factum, ut boni ominis causa in nuptiis nomen invocetur: a Romanis pro 'Hymenæo' 'Thalassius' invocatur.

8 *Flammeum cape*] Flammeum velum erat lutei coloris, quo novæ nuptæ facies tegebatur.

15 *Pineam* [*Spineam*] *quate tædam*] Nuptiis faces adhibebantur ex iis arboribus quæ resinam ferunt. Alii le-

Namque Julia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem, bona cum bona
Nubit alite virgo:
Floridis velut enitens
Myrtus Asia ramulis,
Quos Hamadryades Deæ
Ludicrum sibi roscido
Nutriunt humore.
Quare age, huc aditum ferens

puella, talis, qualis Venus Idalium habitans accessit ad Phrygem arbitrum, cum felicibus avibus datur nuptum Manlio; tanquam myrtus Asia eminens ramis vernantibus, quos Hamadryades Divæ ad oblectationem alunt liquore rorulento. Eia



et Vulp. cum optt. edd. Livin. etiam probata est.—16 In nonnullis edd. vett. *Julia Mallio;* in omnibus Stat. codd. *Junia.*—20 In Stat. codd. *Nubet.*—22 *Myrtus agia* in Venet. et sic e Plin. H. N. xv. 29. legendum quoque censet Ramirez de Prado ad Luitprandi Chron. an. DCXXIII. *hagia* est in marg. ed. Gryph. ap. Doer.—25 In edd. vett. *Nutriunt in humore,* improbante Avant. (prima enim in *humore* producitur,) cujus emendatio, *Nutriunt humore* recepta est in Ald. 2. Gryph. Mur. Stat. et recentt. quamque etiam testantur nonnulli Stat. codd. in aliis ejusdem codd. ut et in Ald. 1. *Nutriunt in honore;* in marg. ed. Gryph. ap. Doer. *in odore;* quæ binæ lect. haud dubie profectæ sunt ab auctoribus, qui spondæum pro dactylo positum ferre non

NOTÆ

gunt, *Pineam,* nullo incommodo; nam et 'pineas' et 'spineas' tædas fuisse in nuptiis adhibitas constat. De 'pineis' nihil dubium. De 'spineis' Plin. lib. XVIII. c. 16. 'Spina nuptiarum facibus auspicatissima, quoniam inde fecerunt pastores qui Sabinas rapuerunt.' Festus præterea ait, 'Patrimi et matrimi prætextati tres nubentem deducunt: unus, qui facem præfert e spina alba, quia noctu nubebant, duo qui tenent nubentem.' Vides præcipuam facem nuptialem fuisse 'spineam,' quæ vim habere credebatur averruncandi mali. Vide Ovid. Fast. VI.

17 *Idalium colens*] Idalium est oppidum Insulæ Cypri Veneri sacrum. Est item nemus in eadem Insula Veneri dicatum.

18 *Ad Phrygium Judicem*] Ille est Paris Priami filius, ad quem Juno, Minerva, et Venus accesserunt; ut creditum ipsius judicio pomum aureum harum pulchriori adjudicaretur.

22 *Myrtus Asia*] Asia hoc loco nomen paludis in Mysia prope Caystrum fluvium, a quo vicinos campos 'Asia prata' Virgilius appellavit. In hac regione felicissime provenit myrtus, arbor pulcherrima simul et gratissima.

23 *Hamadryades*] Nymphæ sunt, quæ cum arboribus nascuntur, et intereunt. Hamadryades hic pro Naiadibus vel Napæis posuit.

Perge linquere Thespiæ
Rupis Aonios specus,
Lympha quos super irrigat
Frigerans Aganippe:
Ac domum dominam voca,
Conjugis cupidam novi,
Mentem amore revinciens,
Ut tenax hedera huc et huc
Arborem implicat errans.
Vos item simul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite in modum
Dicite: O Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe:
Ut lubentius, audiens
Se citarier ad suum
Munus, huc aditum ferat
Dux bonæ Veneris, boni
Conjugator amoris.

igitur, huc accedens perge deserere antra Aonia saxi Thespii, quæ Aganippe unda desuper frigefaciens humectat; et adduc sponsam appetentem novi mariti in domum ipsius, *astringens ejus animum amore, tanquam hedera inhærens, hac illac extensa, arborem innectit. Vos etiam puellæ intactæ, quibus instat similis dies, agedum, canite in numerum, o Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe. Ut* ipse *advertens se vocari ad officium suum, huc promtius veniat auctor honestæ Veneris,*

possent.—29 In omnibus Stat. codd. *Nympha*, ut est etiam in edd. vett.—31 *Ad domum* in omnibus Stat. codd. in edd. vett. *Ac domum*. Stat. conj. *Ac domus;* Passer. *ac domu*, pro 'e domo,' vel, 'ab domo,' ut ap. Hor. IV. Od. 5.—34 In edd. vett. *hac et hac*, quas sequitur Gryph. Mur. et Stat. *huc et huc* in omnibus Stat. codd.—36 In omnibus Stat. codd. *Vosque item;* in Venet. *Vos iterum*.—38 In quibusdam edd. vett. *nondum* vel *nodum*.—41 In edd. vett. *Ut l. audiat Se citarier....ferens, Dux, &c.* Marcil. legit et interpungit, *Ut l.*

NOTÆ

27 *Thespiæ*] Thespias, oppidum Bœotiæ, sive Aoniæ, infra montem Heliconem conditum, nobilitavit Cupido Praxitelis, quem ab eo Glycerium meretrix consecuta dedicavit.

28 *Aonios*] Aonia dicta est Bœotia, maxime qua parte montana est; unde Musæ dicuntur 'Aonides.'

30 *Frigerans Aganippe*] Fons est Bœotiæ, Musis sacer, quem Poëtæ fabulantur factum esse Pegasi equi alati ungula.

36 *Vos item integræ Virgines*] Virgines et pueros adhiberi nuptiis, ex quibus chorus constabat, quem Drama vocarunt, scribit Hieronymus in Cantica Canticorum, et apparet infra in Carmine Nuptiali.

Quis Deus magis ah magis
Est petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Cœlitum? O Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
Te suis tremulus parens
Invocat: tibi virgines
Zonula soluünt sinus:
Te timens cupida novus
Captat aure maritus.
Tu fero juveni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris e gremio suæ

et *legitimi amoris conciliator. Quis* alius *Deus magis, ah magis invocandus est amantibus? quem Deorum magis homines venerabuntur? O Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe. Tremens pater te suis implorat; virgines tibi cingulo vestes recingunt;* nupta ipsa *te metuens auscultat attenta aure novos maritos.* At *tu ipse vernantem virgunculam e sinu matris tradis juveni ardenti in potestatem.* O

audiat Se c. a. s. Munus, huc aditum ferat. Dux....amoris, Quis, &c.—45 *Conjungator* Stat.—46 *Quis Deus magis amatis* in Venett. Brix. Vicent. et omnibus Stat. codd. Stat. conj. *magis a macris,* macerrime inquit Marcil. *magis optimis* Avant. quem secutæ sunt Ald. Gryph. et Mur. *magis ac magis* Passer. Marcil. et Voss. i. e. magis magisque, μᾶλλον καὶ μᾶλλον. 'In Langobardico charactere nihil omnino *t* differt a *c*, et vicissim altera pro altera hic positæ sunt: at illo optimo Gallicano, *a macis,* scriptum erat, *c* pro *g*, ut ver. 68. *juncier* pro *jungier*. Scribe igitur *magis ah magis. A* semper habet etiam noster liber pro *Ah.* 'Magis ah magis,' 'nimis ah nimis,' miser ah miser' veteris elegantiæ sunt.' *Scal.*—47 *Expetendus* Stat.—51 *Te suis Romulus,* vel, *Remulus* in Stat. codd. *Te si vis* proposuit Avant.—54 *Te t. c. novos C. a. maritos* in omnibus Stat. codd. et quos vidit Mur. *novos* et *maritos* ἀρχαϊκῶς, inquit Stat. pro *novus* et *maritus:* idem *timens* in *tenens* mutaret. Mur. sic constituit, *tibi virgines....sinus; Te timent: cupida novos Captat aure maritus;*

NOTÆ

52 *Tibi virgines Zonula soluünt*] 'Cinxiæ Junonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio conjugii solutio fiebat cinguli, quo nova nupta erat cincta.' 'Illud autem cingulum,' ait Festus, 'factum erat ex lana ovis,' quod Herculano nodo vinctum vir solvebat ominis gratia. Ovid. 'Castaque fallaci zona recincta manu.

55 *Captat maritus* [*novos...maritos*] Timens, scilicet, ne voto excidat, te cupida aure captat.

56 *Tu fero juveni*] Ardenti et impatienter amanti. Sic infra Carm. Nuptial. vs. 22. 'Et juveni ardenti castam donare puellam.'

58 *Matris e gremio*] Simulabatur 'rapi virgo ex gremio matris,' aut si ea non esset, ex proxima necessitu-

Dedis, o Hymenæe Hymen,
  Hymen o Hymenæe.
Nil potest sine te Venus,
Fama quod bona comprobet,
Commodi capere: at potest,
Te volente. Quis huic Deo
  Compararier ausit?
Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe jungier: at potest
Te volente. Quis huic Deo
  Compararier ausit?
Quæ tuis careat sacris,
Non queat dare præsides
Terra finibus: at queat,
Te volente. Quis huic Deo
  Comparарier ausit?
Claustra pandite januæ,
Virgo adest. Viden', ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies;
  Prodeas, nova nupta.

Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe. Venus nihil boni valet absque te percipere, quod laudet æquus hominum sermo; sed valet te annuente. Quis Deo isti conferri audeat? Nulla familia potest absque te legitimos filios edere, nec pater genere devinciri: sed id *valet, te favente. Quis Deo isti audeat se conferre? Civitas quæ sacris tuis privata sit, non potest præfectos regionibus suis constituere; sed possit, te annuente. Quis Deo isti conferri audeat? Laxate obices januæ. Præsto est nova nupta: an aspicis quomodo tædæ vibrant crines fulgentes? at cunctaris,*

---

antique *novos maritus* pro *novus maritus:* Voss. *Te te Hymen cupida novus.... maritus;* quem secutus est Vulpius: Bip. sequitur Scal. legentem *novos.... maritos* ἀρχαϊκῶς· alii *tumens*, h. e. libidine turgens, ὀργῶν.—68 *Stirpe vincier* in Venet. Brix. Vicent. et cod. Scal. ut et in aliis codd. ap. Ed. Cant. 'In Gallicano scriptum fuit *juncier*, *c* pro *g*, ut modo notabamus.' *Scal.* Vide VV. LL. in ver. 46. lectt. *dicier* et *nitier* in Ald. et sequent. edd. debentur Avantio.—

NOTÆ

dine, cum ad virum trahebatur, quod videlicet ea res feliciter Romulo cesserit.

72 *Non queat dare præsides*] 'Præsides' dicti, qui alicujus loci tutelam tenent, vel rectores ab eo quod præsunt; hinc *præsides* hoc loco nonnullis sunt tutores et defensores finium.

Tardat ingenuus pudor,
Quæ tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.
Sed moraris, abit dies;
Prodeas, nova nupta.
Flere desine. Non tibi, Au-
runculeia, periculum est,
Ne qua fœmina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario solet
Divitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.

lux præterit; procedas, o nova nupta. Verecundia modesta remoratur eam, *quæ nihilominus magis* ac magis *audiens plorat, quod oporteat proficisci. At cessas, lux præterit; procedas, o nova nupta. Cessa plorare: minime tibi periculum est, o Aurunculeia, ne aliqua puella te formosior conspexerit Solem ex Oceano emergentem. Talis esse consuevit flos Hyacinthi in amœno horto heri opulenti. Sed cunctaris, fugit lux;*

81 *Tardet* in Venett. Brix. Vicent. Rheg. et omnibus Stat. et Scal. codd. quod Scal. et alii antique dictum esse putant pro *Tardat*, lect. quam exhibent Ald. Gryph. Mur. et aliæ. *Tardet* retinuit Scal. eumque secutus est Ed. Bip.—82 *Quem* in Venett. Brix. Vicent. Rheg. et omnibus Stat. et Scal. codd. quod referunt ad *audiens*, et 'audire pudorem' explicant 'pudori obtemperare;' at *magis* pro 'nimis' sumunt. 'Legendum sine dubio, *Quæ tamen*. Error hinc fluxit, quod Gallicanum exemplar, ut conjicimus, sine diphthongo *que* pro *quæ* scriptum habuit; id quod in aliis nobis suboluit.' *Scal. Quæ* exhibent Gryph. Voss. Græv. Vulp. *Quem* reposuit Bip.—83 In Stat. codd. *quod ire necesse est*, ubi vocalis non eliditur.—87 In Mur. vet. cod. et nonnullis Stat. *Arunculeia;* in aliis Stat. et Scal. *Arunculeia;* 'Ita omnino legendum; media autem syll. exteritur, ut in 'singulum.' *Scal.* Avantii emendationem *Herculeia*, receperunt Venet. an. 1500. Ald. Gryph. Mur. et

NOTÆ

86 *Aurunculeia*] Alii legunt, *Arunculeia*, alii, *Herculeia:* sed *Aurunculeius* alterum est Cottarum cognomen, ex qua gente hæc Manlii sponsa videtur fuisse. Miratur tamen Scaliger ei fuisse nomen Juliæ, quod forsan adoptione contigit.

88 *Ne qua fœmina pulchrior*] Noster Catullus antiquum morem laudandi novam nuptam hic diligenter observat. Hoc enim modo fere ipsi accinebant omnes: 'Nulla te hodie fœmina pulchrior.'

89 *Clarum ab Oceano*] In Oceanum recipi Solem occidentem, et ex Oceano emergere orientem putabant Veteres; quod idem de Aurora habet Virgil. 'Oceanum interea surgens Aurora reliquit.'

93 *Flos hyacinthinus*] Hyacinthum florem a Latinis 'Vaccinium' vocari scribit Dioscor. lib. IV. 61. Fabula porro Hyacinthi in florem mutati fuse narratur ab Ovid. Met. X.

Sed moraris, abit dies :
  Prodeas, nova nupta.
Prodeas, nova nupta, sis ;
(Jam videtur) et audias
Nostra verba. (Viden'? faces
Aureas quatiunt comas.)
  Prodeas, nova nupta.
Non tuus levis in mala
Deditus vir adultera,
Probra turpia persequens,
A tuis teneris volet
  Secubare papillis :
Lenta qui velut assitas

procedas, o *nova nupta. Agedum exeas,* o *nova nupta :* (ecce *nunc apparet) ut ausculites nostros cantus. (An cernis, ut tædæ splendentes vibrant* flammarum *crines?) Exeas,* o *nova nupta. Non maritus tuus inconstans, propensus in impudicam pellicem, inhonesta consectans cupiet cubare seorsim a tuo jucundo sinu ; qui, ut*

Stat. Statius vero conj. *Arunculea,* vel, *Hirculeia.*—96 *Prodeas, n. n. si Jam* in omnibus codd. et edd. vett. probante Avant. sed Scal. mutavit *si* in *sis,* i. e. age, agedum, et verba *Jam videtur* in parenthesi posuit. Vossius pro *si* reposuit *st,* ut sit nota silentii. Vide VV. LL. ad Juvenal. Sat. I. ver. 161. Ed. Delph. 'Sed vereor cum Vulpio, ut hæc particula sine vocalis adjumento syllabam explere possit.' *Doer.* Hanc Scal. emend. receperunt omnes fere recentiores. In Scal. 1. penes Editorem manu scriptum est, *Prodeas, nova nupta—(sed Jam videtur!) ut audias.*—97 Scal. dedit *ut* pro *et.*—98 *Viden' ut f.* in edd. vett. et omnibus Stat. codd. pro quo legendum putavit, *Vide, ut faces;* sed lect. nostram in textum recepit.—103 Lectio nostra debetur Guarino P. et probata Marcilio est : in omnibus Stat. codd. *Proca turpia persequens;* in alio quodam veteri *Precatur pia persequens;* unde Stat. conj. *Peccat, aut pia persequens:* alii legebant *Proqua,* i. e. *Proca,* quod edidit Scal. e vet. libro.

NOTÆ

98 *Nostra verba*] Cantus nempe nostros, seu 'carmen Fescenninum' procax, et licentiæ plenum.

99 *Aureas quatiunt comas*] Faustum futuræ felicitatis in conjugio augurium.

101 *Non levis*] Sensus est : Vir tuus deinceps non erit vagæ Veneris varietate detentus, sed constans, et intra conjugii terminos, a tuis complexibus non alienabitur.

In mala Deditus adultera] Quod nunc dicimus, 'studere rei alicui.' Veteres olim dixerunt, 'studere in aliqua re.' Ita Cato : 'Poëticæ artis honos non erat, si quis in ea se studebat, aut se ad convivia applicabat, grassator vocabatur.'

106 *Assitas arbores*] Ulmos nempe, vel populos, prope sitas, et juxta plantatas ; vel alia vitium pedamenta, quæ sunt quasi mariti vitibus. Unde Horat. Epod. 2. 'Ergo aut adulta vitium propagine Altas maritat populos.'

Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum. Sed abit dies;
  Prodeas, nova nupta.

* * *
* * *
* * *

O cubile, quot [o nimis
  Candido pede lecti]
Quæ tuo veniunt hero,
Quanta gaudia, quæ vaga
Nocte, quæ media die
Gaudeat. Sed abit dies;
  Prodeas, nova nupta.
Tollite, o pueri, faces:

vinea flexilis innectit arbores adjunctas, innectetur in tuos amplexus: sed præterit tempus; exeas, o nova nupta. * * * *O thalame* Manlii, (*o* vos etiam ejusdem sortis *tori beato nimium pede,*) *quot gaudia, quam magna* sunt *gaudia, quæ tuo domino adveniunt, quibus obscura nocte, atque* etiam *meridie fruatur: at præterit lux; exeas, nova nupta.* O *juvenes, attollite tædas:* ecce jam *cerno ap-*

—105 In Venet. an. 1500. *papillulis,* metro obstante.—111 'Absunt hic tres versiculi ab omnibus codd. sine ulla exceptione; item ab omnibus vetustioribus edd.' *Scal.* Duo qui supersunt hujus Strophæ versiculi sic leguntur in codd. Stat. *O cubile quod omnibus C. p. lecti;* in libro Guar. sic, *O cubile quod homine C. p. lectulis;* in Marcil. membranis, *O c. quod in omnibus, C. p. leti:* Marcil. emend. *O c. quod omnibus C. p. lectulus, Quæ tibi veniunt bona, Gaudeas, &c.* Apud Ald. integra Stropha legitur sic, *O c. quot omine C. lacteo pede, Quæ tibi veniunt bona, Gaudeas, sed abit dies: Prodeas nova nupta:* in ed. Gryph. hoc modo, *O c. quod homine C. p. lectulis, Quæ, &c.* ut ap. Ald. in ed. Mur. ita, *O c. quot omina C. p. lectulis, Quæ, tibi v. bona? Gaudeas, &c.* ut ap. Ald. Scaliger duos versiculos, ut in codd. leguntur, ad sensum inde extorquendum jungit et digerit cum sequenti Stropha, ut in nostro textu. Voss. omissis tribus versiculis prioribus et asterisco notatis legit, *O c. quot omnibus C. p. lecti.* Heins. tentabat, *O c. quot omina,* ut ap. Mur. In Scal. 1. penes Editorem sic manu exarata est integra Stropha, *O beata puellula, o quot intima viscera! Virgo dum moreris juvent: O cubile, &c.* ut ap. Scal.—119 *Gaudeas* in

NOTÆ

114 *O cubile*] Præter lacunam, quæ hic apparet, incredibile est, quantum hæc corrupta sint, quæ tamen facili negotio sumus interpretati.

115 *Candido pede*] Id vocat 'pedem lecti,' quo fulcitur lectus. Ut supra, 'veteris pedem grabati.' *Candido,* pro 'felici' et 'fausto,' hic Catullus posuit.

118 *Quæ Gaudeat*] Nonnulli legunt, *Gaudeas,* sed alio sensu. Porro 'gaudere gaudium,' 'ridere risum,' 'servire servitutem,' multaque id genus dicebant Antiqui.

Flammeum video venire.
Ite, concinite in modum:
Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.
Neu diu taceat procax
Fescennina locutio;
Neu nuces pueris neget

parere velum nuptiale. Agedum *properate, canite ad numerum, o Hymenææ Hymen, o Hymen Hymenææ. Et statim audiatur Fescenninum carmen: nec catamitus*

nonnullis vett. edd. sed *Gaudeat* in omnibus Stat. codd.—122 Lect. nostram testantur omnes Stat. codd. *videor videre* exhibent nonnullæ edd. vett. *videor venire* dedit Scal. et ex Græca loquendi ratione δοκῶ ἐλθεῖν explicat; sed *video* erat in Scal. cod. non *videor*.—124 In quibusdam edd. vett. *O Hymen Hymenææ, Hymen o Hymenææ;* sed lect. nostram ubique servant omnes Stat. codd. nisi quod *io* additum sit ver. secundo ut etiam priori: Stat. conj. *Hymen o Hymenææ io, Hymen o Hymenææ.*—127 Heins. conj. *jocatio.*—128 In uno Stat. cod. *Nec nuces;* in reliquis *Ne*, quod reposuerunt Voss. et Vulp.

NOTÆ

121 *Tollite, o pueri, faces*] Pueros intelligit patrimos et matrimos, de quibus hæc Festus: 'Patrimi et matrimi pueri tres adhibebantur in nuptiis, unus qui facem præferret ex spina alba, quia noctu nubebant; et duo, qui nubentem tenebant.' Tradit tamen Plutarchus in problematis nuptiales pueros quinque, nec plures nec pauciores fuisse.

127 *Fescennina locutio*] Carmen erat lasciviæ et obscœnitatis plenum: unde *procax* dicitur a Catullo. Hoc autem canebatur vel ad arcendum fascinum, vel per ludum jocumque amoris. Hæc Festus de 'Fescennino carmine' habet: 'Fescennini versus, qui canebantur in nuptiis, ex urbe Fescennina dicuntur allati, vel ita dicti, quia fascinum credebantur arcere.' Istudque carminis genus occinentes sponsam mariti domum deducebant.

128 *Neu nuces pueris*] Nuces in nuptiis spargi solere testatur etiam Virgil. Ecl. VIII. 'Sparge, marite, nuces.' Hujus consuetudinis causam apud Servium Varro hanc esse putat; ut nempe Jovis omine matrimonium celebraretur, et ut nova nupta matrona esset, sicut Juno; nam nuces in tutela erant Jovis: unde et 'juglandes' vocatæ, quasi Jovis glandes. Illud vulgare fuisse idem Varro tradit, idcirco spargi consuevisse nuces, ut a rapientibus pueris fieret strepitus, ne puellæ virginitatem deponentis vox posset audiri. Volunt alii, ea id gratia factum, ut se puerilibus omnibus ludis renuntiare, et juvenilia cuncta relinquere, maritus eo indicio testaretur. Unde Persius: 'Et nucibus facimus quæcumque relictis.' Morem hunc nuces in nuptiis spargendi e Græcis fontibus manasse tradunt auctores. Nam apud Athenienses novus sponsus nuces juglandes, amygdalas, et alia id genus spargebat, quæ καταχύσματα dicebant.

Desertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuces pueris, iners
Concubine. Satis diu
Lusisti nucibus. Lubet
Jam servire Thalassio.
Concubine nuces da.
Sordebant tibi villuli

renuat spargere nuces pueris, accipiens heri sui derelictas esse delicias. O *piger cinæde, sparge nuces pueris. Lusisti satis dudum nucibus; nunc placet* domino tuo *famulari Thalassio.* O *rustice cinæde, a te negligebar hodierna et hesterna*

—129 In Stat. codd. *Desertum Deum audiens*, vel, *Desertum dominum audiens:* Stat. vero emend. *Defectam dominam audiens Concubinus amore.* 'In versu sequenti pro *amorem* alii legunt *amores;* at Voss. vult *amore;* nec dubitamus, quin recte aliquis 'desertus amore' ut 'desertus amicis' dici possit, sed sic dure supplendum est *se;* magis placet conj. Ed. Cant. *Desertos domino audiens Concubinus amores*, vel, *Desertum domino audiens Concubinus amorem.*' Doer.—136 In Venett. Brix. Vicent. Venet. an. 1493. et edd. Mur. et Stat. *Sordebant tibi villicæ:* Stat. vero non profert lectt. codd. in ceteris edd. fere omnibus Ald. Gryph. Scal. Voss. Cant. Vulp. et Bip. *Sordebam tibi villice*

NOTÆ

130 *Concubinus*] Meritorii pueri, i. e. catamiti, quibus licenter utebantur Antiqui: cum a turpi officio removerentur, nuces spargebant; id est, ludum pueritiæ, ut indicarent omnia se puerilia aspernari. 'Concubinus' et 'pullus' apud Veteres pro 'catamito' dicebatur. Vide Fest.

133 *Lusisti nucibus*] Pueros olim ephebos nucibus ludere consuevisse testatur etiam Martial. 'Alea parva nuces, et non damnosa videtur, Sæpe tamen pueri perdidit illa nates.' Sex autem ludos nucum apud Antiquos fuisse, ex Elegia de Nuce apud Ovid. comperimus.

134 *Thalassio*] Thalassius, Thalassus, et Thalassio dicebatur. Thalassionem in Festis Nuptialibus Romani, sicut et Græci suum Hymenæum invocabant. Quod ex eo inolevisse auctor est Livius, quod in Sabinarum raptu, 'Unam longe ante alias specie ac pulchritudine insignem a globo Thalassii cujusdam raptam ferunt; multisque sciscitantibus, cuinam eam ferrent; identidem, ne quis eam violaret, Thalassio ferri, clamitatum.' Qua de caussa vocem hanc nuptialem factam, et ad posteros inde manasse, Plutarchus etiam censet. Nonnullis tamen ad lanificium vocis hujus originem causamque referendam esse videtur; in qua sententia fuisse Varronem testatur Festus. 'Thalassionem,' inquit, 'in nuptiis Varro ait signum esse lanificii. Thalassionem enim vocabant quasillum, qui alio modo appellatur calathus, vas utique lanificiis aptum.' Constat autem lanificiis priscas matronas valde deditas fuisse, præcipuamque his curam, et operam impendisse. Servire autem Thalassio, idem est, ac constanti legitimoque uti matrimonio, nec amplius cinædos sectari.

136 *Sordebant* [*Sordebam*] *tibi*] Nunc

Concubine, hodie atque heri:
Nunc tuum cinerarius
Tondet os. Miser, ah miser
  Concubine, nuces da.
Diceris male te a tuis
Unguentate glabris marito
Abstinere: sed abstine.

die; jam tibi tonsor abradit barbam: o infelix! ah infelix cinæde! sparge nuces. Ferunt te, o uncte conjux, ægre temperare valere *a tuis imberbibus* pullis;

Concubine: in Rheg. Heins. vet. cod. et alio cod. ap. Ed. Cant. *Sordebant tibi villice.* 'Mihi quidem in hoc versu semper suspecta fuit vox *villicæ* vel *villice;* non video enim cur concubinus paulo jam adultior et cinerario mox tondendus 'villicas' præcipue contemserit, ad quas animum potius ille nunc adjecisse videatur; nec mihi persuadere possum, concubinum domini dispensatorem in ejus domo fuisse; male enim fortasse huc traxeris locum Martial. II. 18. 24. seqq. nec denique apparet, cur Catullus, ex cujus persona dicta omnino videntur, *Sordebam tibi villice,* concubino sorduerit, vel ab illo despectus sit? Desiderabam vocem aliquam, quæ, ut magis responderet sequentibus, 'primam lanuginem' notaret. Non dubitavi igitur lect. Corradini *Sordebant tibi villuli,* quod jam in Gott. 2. exhibitam video, in textum recipere. 'Villulus' est diminutivum a 'villus.'' *Doer.*—137 Avant. conj. *heræ,* et interpretatur, 'et ignobiles et nobiles sordebant tibi.' improbante Scal.—141 In

NOTÆ

suum catamitum sponsus vocat rusticum, ipsique exprobrat, quod nuper delicias faciens ipsum despiceret.

137 *Hodie atque heri*] Græcorum est adagium, χθὲς καὶ πρώην; hoc est, *nuperrime.*

138 *Cinerarius*] Qui nunc tonsores, 'Cinerarii,' et 'Ciniflones' Veteribus dicebantur, ab officio calamistrorum in cinere calefaciendorum, quibus capillos crispabant. De his ita Varro lib. IV. de Ling. Lat. 'Calamistri, quod his calefactis in cinere capillus ornatur. Qui ea ministrabat, a cinere Cinerarius est appellatus.' Muliebre illud videtur apud Antiquos ministerium, ut scribit Sosipater l. I. Origin. quod et innuit Horat. I. Sat. 2. 'Custodes, Lectica, Ciniflones, Parasitæ.'

139 *Tondet os*] Hoc est, malas. In pueris tonsio indicium erat emeritæ suæ libidinosæ militiæ, quod jam pubertatem attingerent: et apud Martialem legimus, quod nova nupta primo die quo mariti domum ducebatur, capillatos mariti pueros tonderet: 'Tondebit pueros jam nova nupta tuos.' Post initum enim conjugium, et ductam uxorem, meritorii pueri et in deliciis habiti dimittebantur.

142 *Unguentate*] Unguentatum dicit mollem, effœminatum, et unguentis delibutum. Amatores enim solent plerumque jucundis uti et perfundi odoribus, ut malos et graves rejiciant.

Glabris] Glabros appellat imberbes et depiles pullos et catamitos, quod potest vel ad ætatem referri, si essent juniores, vel quod se nuce volsellisque depilarent, si grandiores. Cujus etiam dedecoris infamiam subiit Augustus; ut scribit Suetonius in Augusto cap. 68.

Io Hymen Hymenæe io,
  Io Hymen Hymenæe.
Scimus hæc tibi, quæ licent,
Sola cognita: sed marito
Ista non eadem licent.
Io Hymen Hymenæe io,
  Io Hymen Hymenæe.
Nupta tu quoque, quæ tuus
Vir petet, cave ne neges;
Ne petitum aliunde eat.
Io Hymen Hymenæe io,
  Io Hymen Hymenæe.
En tibi domus ut potens,
Et beata viri tui,
Quo tibicine serviat,

et contine te ab his. *O Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe. Novimus ista sola tibi esse nota, quæ permittuntur* cœlibi; *verum hæc ipsa* tibi jam *conjugi non* amplius *permittuntur. O Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe. Tu etiam,* o Julia, jam *sponsa, vide ne deneges* ea, *quæ maritus tuus* a te *postulabit, ne ex alio loco eat quæsitum.* O *Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe. Ecce tibi* adstat *familia nobilis, et dives tui conjugis, quæ tibi etiam vetulæ famulabitur: o*

codd. *Diceres,* improbante Stat. quod tamen recepit Corrad.—146. 147 In codd. et edd. vett. *Scimus, hæc tibi quæ licent, Sola,* &c. legebat Stat. *Scimus, hæc tibi quæ licent Soli, cognita sed marito;* Scal. *qua licent;* Passer. ex Mem. c. *cælibi Soli cognita,* unde, si vetusti alicujus exemplaris auctoritate fulciri possit hæc lectio, Catullum fortasse scripsisse putat Voss. *Scimus hæc tibi cælibi et Soli cognita,* improbante Doer. vulgata tamen servata est a Vossio, et recte, eodem Doer. judice.—156 Heins. conj. *domus ut patens,* improbante Doer. et mox *En* pro *Et.*—158 In Venett. Brix. Vicent. *Quæ tibi, sine, serviet;* in Venet. an. 1493. Mur. et Cant. *Quæ tibi, sine, serviat,* ex conj. Pon-

NOTÆ

146 *Scimus hæc tibi*] Fescennina licentia et mordacitate Manlio exprobrantur nefanda puerorum stupra; quæ si, nondum ducta uxore sibi licuisse putaret, quod nulla forsan lege vetabantur; eadem tamen nunc ipsi jam marito amplius non licent.

152 *Cave ne neges*] Monet sponsam, ne quid conjugi neget, sed ipsi in omnibus conjugalibus pareat. Alludere porro videtur Catullus ad ritum antiquum, quem ferunt instituisse Solonem, ut nempe sponsa, priusquam virum accederet, malum cydonium seu cotoneum comederet; ut significaretur, debere esse gratiæ et suavitatis plenum quicquid ab ejus ore procederet; ipsamque facilem et mitem esse oportere, ne ab ipsius consuetudine maritus alienetur.

156 *En tibi domus*] Gratulatur Juliæ, quod familiam divitem et nobilem ingrediatur.

(Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.)
Usque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.
Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.
Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.

Hymenææ Hymen, o Hymen Hymenææ. Donec longæva senectus trepidum agitans caput cuncta cunctis concedat. O Hymenææ Hymen, o Hymen Hymenææ. Transmitte fausto auspicio formosas plantas tuas trans limen mariti tui, *et politam* ejus *ingredere januam. O Hymenææ Hymen, o Hymen Hymenææ. Intuere introrsum*

tani; in Rheg. et cod. ap. Ed. Cant. *Quæ sine fine servit;* in Maff. 1. et plerisque codd. ap. Voss. *Quæ tibi, sine, servit;* Ald. 1. *Quæ tibi sine fine erit,* improbante Avant. qui legi jubet, *Quam sibi, sine, serviat,* vel, *Fine qua sine serviat,* eodem tempore monens legi etiam, *Quæ tibi sine fine serviat,* contra metrum; in Gryph. tamen legitur, haud dubie ex hac ipsa conj. Avantii, et non minus contra metrum, *Fine quæ tibi sine serviat:* Stat. conj. *Quæ seni tibi serviet;* et hinc Scal. *Quæ tibi sene serviet,* ut *sene* ἀρχαϊκῶς dictum sit pro *seni;* sed non video cur Scal. non aliter legens, ita recederet a conj. Stat. quæ potior est, et probata a Brouckh. ad Tibull. I. 7. 88. utramque damnat Doer. conjiciens, *Quæ tibi bene serviat;* recepit tamen cum Vulp. emend. Voss. *Quo tibicine serviat.* Bip. secuta est Scal.—162 In omnibus Stat. codd. *anilis ætas.*—163 Avant. conj. *annuat,* improbante Mur.—171 In Venett.

NOTÆ

162 *Cana tempus anilitas*] Usque dum senectus habens cana tempora, aut cana senectus tremulum agitans caput, omnia omnibus annuat. Posuit autem *annuit* subjunctivi modi, quomodo dicitur, 'edim,' 'edis,' 'edit,' &c. Lepida sane de senibus sententia, quibus ut plurimum albescens tremulum est caput, ita ut omnia omnibus annuere videantur.

166 *Transfer omine cum bono Limen*] Diligenter cavebant Antiqui, ne novæ nuptæ sponsi domum ingredientes pedibus *limen* attingerent; ne, ut ait Varro, a sacrilegio inchoarent, si depositura virginitatem, calcarent rem Vestæ, Numini castissimo, sacratam. Alii volunt hoc ita factum, ut sponsa, quasi rapta in domum mariti, morem Sabinarum ab Romulo raptarum significaret. Vel, ut aliis placet, hoc facto designare volebant Veteres, ubi flos virginalis esset delibandus, tunc invitam sponsam mariti domum ingredi videri debere. Alii putant ideo novam nuptam 'transcendere limen' intactum consuevisse, quia putabant Antiqui, sive exeundo sive ingrediendo 'limen tangere' esse ominosum et infaustum. Unde

Aspice, intus ut accubans
Vir tuus Tyrio in toro,
Totus immineat tibi.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Illi, non minus ac tibi,
Pectore uritur intimo
Flamma, sed penite magis.
Io Hymen Hymenæe io
Io Hymen Hymenæe.
Mitte brachiolum teres,
Prætextate, puellulæ;
Jam cubile adeant viri.

quomodo Manlius *maritus tuus decumbens in cubili Tyrio, totus in tuos amplexus impendeat. O Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe. Ipsi perinde atque tibi, imis visceribus ardet ignis; immo* ipsi *longe penitius. O Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe.* O *patrime* puer, *missum fac brachium tenellulum novæ nuptæ.*

Brix. Vicent. et Stat. codd. *unus et accubans*, duobus exceptis in quibus erat *imus* vel *unius;* unde legendum putavit Stat. *intus*, quod in plerisque edd. nunc apparet. Scal. reposuit *imus;* Barth. Adversar. 1159. conj. *unctus;* N. Heins. *udus*. Salmas. tentat, *Adspice intus et accubans Vir tuus Tyrio ut toro, &c.*—176 In Stat. codd. *Illi non minus, ac tibi Pectore urimur intimo;* in Scal. cod. *Illi non minus, ac tibi Pectore uritur intimo Flamma, sed penite magis*, more Græcorum, *πῦρ δαίεται·* et sic est in Venett. Brix. Vicent. et cod. ap. Ed. Cant. in Ald. Basil. Gryph. et aliis, *Ille non minus atque tu Pectore uritur intimo Flamma, sed penitus magis;* et sic Mur. nisi quod pro *penitus* habet *penita.*—179 In edd. vett. *O Hymen Hymenæe, Hymen o Hymenæe.* Vide supra ad ver. 124.—183 Lect. nostram testantur omnes codd. cum Ve-

NOTÆ

Ovid. Amor. I. 'Missa foras iterum limen transire memento Cautius, atque alte sobria ferre pedem.' Alii denique volunt sponsas ideo tam diligenter a 'limine tangendo' abhorruisse, ut evitarent malum medicamentum, amatoriumque maleficium, quod magicis artibus incantatores novis sponsis parare consueverant.

171 *Aspice, intus ut accubans*] Alii legunt *imus*, quod male exponit et defendit Scaliger; male etenim dicitur *imus*, seu 'infimus,' qui *accubans* sponsæ totus dicitur 'imminere.' Veteres igitur sequimur codices, retinemusque, *Aspice intus ut accubans, &c.*

172 *Tyrio in toro*] Hoc est, purpureo, quod nempe Tyria esset optima purpura.

182 *Prætextate*] Alloquitur puerum patrimum seu Paranymphum, qui novam nuptam ducebat, ut dimittat jam manum sponsæ, ut cubile viri adeat. Vocatque eum puerum 'prætextatum,' quia 'prætexta' erat indutus. 'Prætexta' autem vestis erat qua pueri nobiles olim utebantur, quæ sæpius fuit purpurea, ut pudorem in pueris esse debere denotaret.

183 *Cubile adeant* [*adeat*] *viri*] Male nonnulli legunt *adeant*, cum Scali-

Io Hymen Hymenæe io,
  Io Hymen Hymenæe.
Vos bonæ senibus viris
Cognitæ bene fœminæ,
Collocate puellulam.
Io Hymen Hymenæe io,
  Io Hymen Hymenæe.
Jam licet venias, marite:
Uxor in thalamo est tibi
Ore floridulo nitens;
Alba parthenice velut,
  Luteumve papaver.

Ipsa *nunc petat lectum mariti* sui. *O Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe. O vos probæ mulieres maritis vetulis unicis feliciter notæ, componite novam nuptam* in toro. *O Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe. Nunc* tibi *conceditur accedere, o sponse; te expectat in lecto* geniali *sponsa florido splendens vultu, quasi candida parthenice, aut rutilum papaver. Sed tamen formosus es, o sponse, ita*

nett. Brix. et Vicent. Avant. conj. *adeat*, quod receperunt Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. et Vulp.—186 In edd. vett. *Vos unis sedibus bonæ;* in omnibus Stat. codd. *Vos bonæ senibus unis;* ex quo fecit lect. nostram; Scal. postea affirmavit se in suo cod. legisse *Vos bone senibus unis Cognite breve femine*, et Stat. conj. reposuit, *breve* tamen legens pro *bene* in sequenti versu, quem secuta est Bip. Voss. pro *viris* mavult *bonis*, cui emend. favet vs. 19. et hujus epitheti usus per totum hoc Carmen suaviter repetitus. Parth. in notis laudat, *Vos imis sedibus bonæ;* Avant. conj. *Vos unis senibus bonæ*, quod receperunt Ald. Junt. Mur. alii; Gryph. 2. exhibet, *Binæ in ædibus unius*

NOTÆ

gero, qui vult hoc referri ad mulieres pronubas, qui novam sponsam deducebant.

186 *Vos bonæ senibus viris* [*unis senibus bonæ*] Aliter etiam hæc legit, et exponit suo more laudabili Scaliger; qui non advertit olim in more fuisse positum, ut boni ominis causa in cubiculi sella et in lecto geniali novam nuptam matronæ univiræ, i. e. quæ uni tantum viro nupserant, collocarent; quod munus iis solummodo matronis demandabatur, tanquam castioribus, quæ unicum tantum habuissent maritum. Signum enim fuit intemperantiæ cujusdam, si qua mulier post primum maritum, suscepisset alterum. Unde Virgil. Æn. IV. iteratum matrimonium vocat culpam: 'Huic uni forsan potui succumbere culpæ.'

191 *Jam licet venias, marite*] Hinc patet morem fuisse, ut prior iret in lectum sponsa, quam postea adiret maritus in lecto jam collocatam.

194 *Parthenice velut, Luteumve papaver*] Parthenice seu Parthenion herba est, quæ fert florem albi coloris. Sic insignem Juliæ pulchritudinem significat Poëta, dicens eam nitere albo colore rubro mixto. Papaver enim luteum, tertium genus

At marite (ita me juvent
Cœlites) nihilominus
Pulcher es, neque te Venus
Negligit. Sed abit dies :
Perge, ne remorare.
Non diu remoratus es.
Jam venis. Bona te Venus
Juverit : quoniam palam
Quod cupis, capis, et bonum
Non abscondis amorem.

me Dii adjuvent; nec te Venus despicit: sed præterit tempus; propera, ne cunctare. Non es moratus longo tempore: nunc modo ades: felix et fausta Venus te adjuverit; quandoquidem modo palam habes quod optas, nec legitimum celas

Cognitæ bene feminæ.—196 Hæc Strophe olim post sequentem posita legebatur in omnibus codd. et libris impressis; huc revocavit Scal. eumque secuti sunt Voss. Vulp. alii. In codd. Stat. et Scal. *Ad maritum tamen juvenem Celites nihilominus Pulchre res;* in vet. cod. Avant. *Ad Martem tamen juvenem;* unde Parth. fecit, *At marita tuum tamen Celites nihilominus Pulchra res;* et sic Guar. nisi quod pro *Pulchra* legit *Pulchræ:* Stat. conj. *Admetum juvenem tamen Celites nihilo minus Pulchra res.*—201 In omnibus Stat. codd. *remorata.*—202 *Jam Venus, bona te Venus* Passer. ex Mem. c. sed in Venett. Brix. Vicent. et Scal. cod. *Jam venis.*—203 In quibusdam antiq. *Invenit;* Avant conj. *Juverit* ut est etiam in Mem. c.—204 *Quod cupis cupis* conj. Heins. impro-

NOTÆ

est papaveris, quod rubro suo colore puellarem ruborem recte indicat, si maxime floribus albis, ut Parthenicæ, conjungatur. Primum igitur papaveris genus est album, et candidum, cujus semen tostum apud Veteres in secunda mensa cum melle edebatur. De quo Virgil. Georg. IV. 'vescumque papaver.' Secunda species papaveris est nigri coloris, cujus scapo inciso lacteus succus exprimitur. Tertium genus est, de quo hic Catullus noster, quod est flore rufo et luteo. Familiare admodum est Poëtis puellarum formam et pulchritudinem floribus comparare. Virgil. Æn. XII. de forma Laviniæ: 'Indum sanguineo veluti violaverit ostro Si quis ebur, vel mista rubent ubi lilia multa Alba rosa; tales virgo dabat ore colores.' Sic etiam Tibull. inter omnes lepidissime lib. III. Eleg. 4. 'Et color in niveo corpore purpureus; Ut cum contexunt amarantis alba puellæ Lilia; et autumno candida mala rubent.'

196 *At marite*] Incredibile est quantum hæc sint depravata, quæ tamen quisque, prout libuit, emendavit.

203 *Palam, Quod cupis, capis*] Mos semper fuit, ut matrimonium palam et publice contraheretur, ut esset legitimum et honestum. Unde elegantissime pro more suo Tibull. l. II. Eleg. 3. 'Felices olim, Veneri cum fertur aperte Servire æternos non puduisse Deos.'

205 *Non abscondis amorem*] Conjugalem et honestum amorem non ce-

Ille pulvis Erythrei,
Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui vestri numerare vult
  Multa millia ludi.
Ludite, ut lubet, et brevi
Liberos date. Non decet
Tam vetus sine liberis

amorem. Is, qui cupit innumera millia vestrorum lusuum numerare, potius enumeret Erythrææ arenæ, et stellarum fulgentium multitudinem. Ludite nunc, *ut placet, et propediem filios procreate. Non convenit gentem adeo antiquam sine*

bante Doer.—206 *Ille polveris erithei*, vel *pulveris eritei*, vel *ericei*, in libris scriptis et antiquiss. edd. *pulvis Erythræi*, ἀρχαϊκῶς pro *pulveris*, dedit Guar. quem secuti sunt Gryph. Mur. alii: in aliis vett. edd. *pulveris Erythræi*: Avant. conj. *pulvis Erythrii*, quod legendum censet Voss. et amplexus est Vulpius: Stat. tentabat primum, *Ille pulveris interi*, vel, *interim*, i. e. 'delicias nostras *interim* dum facimus;' deinde, *Ille pulveris Antæi*, Antæum enim terrigenam Libyn appellat Statius Theb. lib. VII. denique, *pulveris Eretrī*, vel *Erretrī*, ut prima in *Eretrī* producatur Ὁμηρικῶς. Marcil. proposuit, *pulveris ætherī*, vel, *aërī*, pro *ætherii* et *aërii*, 'atomos,' sive 'corpuscula in sole' intelligens: hoc Heinsio placuit; sed multo magis Doeringio arrisit ejusdem Heins. conj. *pulveris Africi*, quod *pulvis* secundo casu apud nullum alium scriptorem occurrit, et deinde quod *pulveris*, sive *polveris*, constanter servatur in codd. et edd. antiquiss. Doer. ipse tentabat, *pulveris aridi*. *Erythrei*, quod in textu est, dictum volunt pro *Erythræi*, ita ut ex diphthongo, metri causa, una litera elisa sit. Scal. retinuit lect. cod. *polveris erithei*, conj. tamen *enthei*, ut alludi possit ad 'entheos Bellonæ' quos 'Bellonarios' vocabant, qui sursum vim magnam pulveris subjectabant. Cf. Tibull. I. 6. 54.—209 *Qui nostri n. volunt* in omnibus Stat. codd. *vestri n. vult* in plurimis edd.—210 Avant. in vett. libb. fuisse dicit, et *lusum*, pro *lusuum*, contracte, et *lusus*: in omnibus Statianis, *Multa millia ludere, Et ludite*; unde Stat. conj. *Multa mollia ludi. At ludite*, &c. et *mollia* interpr. παίγνια· Scal. suspicabatur cod. Gallicanum habuisse *ludei* pro *ludi*, ex quo correctores fecerunt *ludere*, quod erat in cod. suo: Voss. ex *ludi*, vel, *ludite*, quod in codd. suis invenit, reponit *luctæ*. 'Sed quis non præferat *ludi*, ob statim sequens et egregie

NOTÆ

las, quemadmodum turpem cum cinædis consuetudinem occultare solebas.

206 *Pulvis Erythrei*] Plures legunt, *Enthei*, ut possit alludi ad Entheos Bellonæ, quos Bellonarios vocabant, quique magnam vim pulveris excitabant. Alii legunt, *aërii*; nos *Erythræi*; ita ut Poëta significet hoc loco eum, qui velit enumerare lusus Manlii et Juliæ, debere prius stellas, et arenas maris *Erythræi* numero colligere. Erythræum porro mare, seu Rubrum dictum est Orientale. Elidenda porro est metri causa diphthongus, *æ*, et legendum *Erythrei*.

213 *Tam vetus Nomen*] *Nomen* pro 'cognomine' dixit. Torquatus enim vetus fuit cognomen Manliorum. Primus illius gentis Titus Manlius Torquatus, a torque hosti Gallo jugulato detracto, est appellatus. Nota est

Nomen esse: sed indidem
  Semper ingenerari.
Torquatus, volo, parvulus
Matris e gremio suæ
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem,
  Semihiante labello.
Sit suo similis patri
Manlio, et facile insciis
Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suæ
  Matris indicet ore.

filiis stare: at decet *exinde statim procreari. Cupio* ut *parvulus Torquatus molles extendens manus e sinu suæ parentis, blande patri arrideat semihiulco ore. Sit* puer *suo patri Manlio similis, ac facile a cunctis* etiam *nescientibus* ipsum esse Manlii filium *agnoscatur, atque vultu* suo pudico *referat parentis suæ casti-*

respondens *ludite?'* Doer.—220 In Venett. Brix. Vicent. et omnibus codd. *Sed mihi ante;* Avant. emend. *Sed micante;* alii, *Sed nicante*, vel, *hiante*. Lect. nostra debetur ingenio Scaligeri.—222 Burm. II. ad Anthol. Tom. I. p. 305.

NOTÆ

historia apud Livium.

214 *Sed indidem Semper ingenerari*] Hoc est, ex eodem loco, et familia decet liberos procreari, ut longam familiæ Torquatorum seriem possint æternare.

216 *Torquatus, volo, parvulus*] Sic apud Virgil. Dido optat parvum Æneam: 'Si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas.'

219 *Dulce rideat ad patrem*] Ita Virgil. in Pollione: 'Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem.' Boni præterea ominis putabant Veteres in infante esse, si arrideret ad patrem.

220 *Semihiante labello*] Aperto ore, quasi aliquid loqui velit.

221 *Sit suo similis patri*] Optat ut adeo similis nascatur filius Manlio, ut quisque etiam nesciens, statim atque ipsum viderit, credat omnino eum esse filium Manlii. Qui enim ore similitudinem patris refert, verus ejus filius putatur esse etiam non agnitus. Indeque ut ait Horat. IV. Od. 5. 'Laudantur simili prole puerperæ.' Mulieres enim plerumque pariunt liberos similes iis, ex quibus conceperunt. Sic Julia Augusti filia semper filios Agrippæ similes procreavit: quod cum nonnulli ejus flagitiorum et impudicitiæ conscii mirarentur, festiviter respondit: 'Nunquam nisi plena navi tollo vectorem.' Quo urbane dicto significabat se non prius adulteris potestatem sui corporis facere, quam ex marito facta esset gravida.

224 *Pudicitiam suæ Matris indicet ore*] Sic etiam Martial. lib. VI. Epigr. 27. 'En tibi, quæ patrii signatur imagine vultus, Testis maternæ nata pudicitiæ.' Puerorum namque vultus similitudinem parentum referens, apertum est maternæ pudicitiæ testimonium.

Talis illius a bona
Matre laus genus approbet,
Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopeo.
Claudite ostia, virgines:
Lusimus satis. At, boni
Conjuges, bene vivite, et
Munere assiduo valentem
Exercete juventam.

tatem. Tanta gloria commendet Torquatuli *illius originem a matre proba, quanta laus superest singularis Telemacho Penelopes filio ab castissima sua parente. Occludite modo januam, o puellæ. Jocati sumus abunde. Vos vero, o probi conjuges, feliciter* una simul *vitam producite; et continuo* conjugii *officio florentem exercete juventutem.*

pro *facile* vult *facie.*—226 *Tale Juliadum e bona Matre* proposuit Heins. improbante Doer.

NOTÆ

228 *Ab optima Matre*] Quemadmodum Telemacho Penelopes filio ingens fuit gloria, ob matris castitatem, quæ per viginti annos absente marito pudicitiam observavit; ita etiam Torquatus sit matris castitate et pudicitia commendabilis.

229 *Telemacho*] Ulyssis ex Penelope filius fuit Telemachus, qui apud matrem relictus, et absente patre multis injuriis affectus a matris suæ procis, domum tandem reverso patri in illis ulciscendis se præbuit adjutorem.

230 *Penelopeo*] Penelope fuit regis Icarii filia, Ulyssis uxor, mater Telemachi, quæ, ex Homeri prædicatione, ab omnibus fere castissima et pudicissima dicitur; ut nomen ejus, non mulieris jam, sed ipsius pæne pudicitiæ nomen putetur. Lycophron tamen Poëta Græcus ait 'Penelopen concubitum omnium procantium passam, et ex eorum uno genuisse filium nomine Pana, quod cum a reditu cognovisset Ulysses, statim abiit in insulam Cortinam, et ibidem obiit.' Quod confirmat Herodotus sub finem libri secundi, scribens Pana ex Penelope et Mercurio fuisse genitum. Refert etiam Interpres Theocriti Mercurium in formam hirci conversum cum Penelope commiscuisse corpus, ex eaque suscepisse Pana pastorum Deum. Noster tamen Catullus eam, quæ pluribus probatur, sequitur sententiam; quod nempe casta fuerit Penelope.

231 *Claudite ostia*] Hinc apparet consuevisse virgines januam cubiculi novorum sponsorum claudere, dum jocis imponeretur finis, dimitterenturque sponsi conjugalibus officiis operam daturi.

CARMEN LXII.

CARMEN NUPTIALE.†

JUVENES.

VESPER adest, Juvenes, consurgite: vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.

JUVENES. *Apparet jam Hesperus, o pueri, simul surgite; Hesperus Cœlo ægre demum attollit jubar longo tempore desideratum. Nunc hora* est *exsurgere e con-*

Hoc Carmen superiori præposuit Corrad. ita ut, cum illo conjunxerit.—

NOTÆ

† *Carmen Nuptiale*] Hoc alterius partis operis Catulliani, quod vulgo tres in partes dividitur, principium est. Absolutis enim Lyricis in prima parte, altiori stylo carmen heroicum in secunda aggreditur Poëta, qui etiam in tertia feliciter Elegos decantavit. Hoc vero *Carmen Nuptiale* inscriptum, sive in Juliæ et Manlii, sive alterius nuptiis celebratum fuerit, a virginibus et adolescentibus in Amœbæi carminis modum fuit recitatum. In hoc enim brevi poëmate, quod et εἰδύλλιον, qualia multa Theocritus conscripsit, potest appellari, puellæ adolescentesque carminis Amœbæi inter se de conjugii commodis et incommodis contendentes introducuntur, et demum puellæ cedere adolescentibus coguntur. Adolescentes primi contra puellas ad concinendum sese vicissim exhortantur, ac conjugium ejusque commoda collaudant; puellæ vero tempus nuptiale, quod multa damna inferat, querelis insectantur. Quid autem sit Carmen Hexametrum, notius est, quam ut hic a nobis debeat exponi.

1 *Vesper adest, &c.*] Sidus illud, quod Astronomis 'Venus' et 'stella Veneris' dicitur, Græcis φωσφόρος, a Latinis 'Vesper,' 'Vesperugo,' 'Hesperus,' et 'Lucifer' appellatur. 'Vesper' autem nuncupatur, quod quibusdam mensibus vespere, 'Lucifer,' quod quibusdam mane exoriatur. Dicitur autem 'Vespera' apud Nonium, 'Vespera exoriente.' Reperitur et 'Vesper' neutro genere apud Varronem lib. VIII. de Ling. Lat. Cum autem post Solis occasum statim appareat Vesper, per ejus exortum noctis principium indicat Catullus, cui concinit Claudianus in Honorii et Mariæ Epithalamio: 'Attollens thalamis Idalium jubar Dilectus Veneri nascitur Hesperus.' Virgil. Georg. I. 'Illic prima rubens accendit lumina Vesper.'

Olympo] Sumitur hic Olympus pro Cœlo, quo sensu sæpius usurpatur a Poëtis, ut a Tibullo, lib. I. Eleg. 6. 'Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo Spectat, et infidis quod sit acerba monet.' Mons porro hujus nominis est, et Lesbi, et Hellesponti, et Lyciæ, sed et Thessaliæ qui altissimus est et notissimus.

2 *Expectata diu lumina*] A novis conjugibus; lege enim cavebatur, ne maritus luce sponsæ conjungeretur, sed tenebris; unde exortu Hesperi novæ nuptæ in domos virorum perduci solebant, ac interim canebatur

Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas:
Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUELLÆ.

Cernitis, innuptæ, juvenes? consurgite contra,
Nimirum Œtæos ostendit noctifer ignes.

vivio, *et opimas epulas deserere: modo prodibit nova nupta, modo cantabitur Hymenæus. O Hymen Hymenæe, o ades Hymen Hymenæe.*

PUELLÆ. O *Virgines, videtisne Juvenes? simul vos insurgite adversus* eos. *Enimvero noctifer ostendit cœlestia sidera. Ita sane* est. *Cernisne quomodo ce-*

2 Pro *vix* in edd. vett. *sua;* Avant. conj. *lux.*—6 Idem Avant. pro *Cernitis* legi jubet *Cernit in.*—7 *Nimirum hæc eos ostendit noctifer imber* in omnibus Stat. codd. *Nimirum ætherios ostendit n. ignes* invenit Avant. in cod. Moreti: *Nimirum hoceos ostendit n. imber* in Scal. cod. ex quo fecit, *oceano se ostendit n. imbre;* nam vetus scriptura *hoceos* videbatur esse *hoceãos,*' i. e. *oceano se:* in Venet. an. 1500. et aliis vett. *Eoos ostendit n. imbres:* Stat. conj. *Œtæus obtendit n. umbras,* vel, *umentes,* i. e. *humentes;* lect. tamen Venet. an. 1500. reposuit, et defendit ex Euripide. Ald. Gryph. et Mur. receperunt *æthereos ....ignes;* hinc Mel. conj. *choreas ostendit n. igneas;* et Marcil. *Œtæo se ostendit n. igne.* Lect. nostram produxit Voss. e Thuan. Cf. Virg. Ecl. VIII. 30.—

NOTÆ

Hymenæus, ut testatur Poëta: 'Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus.'

4 *Dicetur Hymenæus*] De Hymenæo jam supra dictum initio Epithalamii Juliæ et Manlii Carm. LXI. Ultima vero syllaba verbi, *dicetur,* quæ brevis est, producitur ob sequentem aspirationem: quod et fecit in Coma Berenices, 'Qua rex tempestate novis auctus Hymenæis.' Idem in Ariadna: 'Tum Thetis humanos non despexit Hymenæos.' Eundem numerum celebravit Virgil. Æn. VII. 'Turnique canit Hymenæos.' Itemque Æn. VIII. 'Linquens profugus Hymenæos.' Sic etiam Ecl. VI. 'Ille latus niveum molli fultus hyacintho.'

5 *Hymen o Hymenæe*] Versus hic est intercalaris, per quem Hymenæus tam ab adolescentibus, quam a puellis invocatur. In hòc Theocritum Catullus est æmulatus: ille enim Idyllio XVIII. quod 'Helenæ Epithalamium' inscribitur, ita canit: 'Ὑμὰν ὦ Ὑμέναιε γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης.

6 *Cernitis, innuptæ*] Verba sunt puellarum, quæ sese vicissim hortantur ad cantandum contra juvenes in ipsas contendentes.

7 *Œtæos* [*Æthereos*] *ostendit noctifer ignes*] Idem puellæ dicunt, quod juvenes, sed aliis verbis. Hesperus autem vocatur a Catullo 'noctifer,' quod cum statim post Solis occasum appareat, noctem ferre videatur, sicut idem a luce ferenda 'Lucifer' dicitur. Unde pastores, viso Hespero, intelligunt noctem instare. Virgil. Ecl. ult. 'Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite, capellæ.' Sic etiam viso Lucifero, sentiunt omnes adesse diem. Idem Virgil. Æneid. II. 801. 'Jamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ, Ducebatque diem.' Mirum porro est, quam varie a variis

Sic certe, viden' ut perniciter exsiluere ?
Non temere exsiluere: canent quod visere par est.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

JUVENES.

Non facilis nobis, æquales, palma parata est:
Aspicite, innuptæ secum ut meditata requirunt.
Non frustra meditantur: habent memorabile quod sit.

leriter consurrexerunt? Non equidem *sine causa* e sedibus *exsilierunt* juvenes. Ipsi mox *cantabunt, quos decet* nos *superare. O Hymen Hymenæe, ades o Hymen Hymenæe.*

JUVENES. O *sodales, difficilis victoria nos manet. Cernite, quomodo Virgines in memoriam revocent quæ* singulæ *excogitarunt. Non* certe *sine causa ita meditantur; excogitarunt* enim aliquid, *quod memoratu sit dignum. Nos vero*

8 Post *certe* excidisse putat Stat. verbum *est*, quod in uno cod. tres literas hic erasas fuisse animadverterit.—9 In codd. Scal. Commel. Palat. p. Venett. Brix. Vicent. et aliis antiq. *cavent quo visere parent;* in Ald. Gryph. Mur. *canent quos vincere par est*, quod Avantio tribuit Scal. *canent quod vespere par est* tentabat Mel. *canent quod vincere par est* Cant. ex conj. Marcil. addita explicatione, 'carmen victoria dignum:' *canent, quo vincere par est* dedit Corrad. quod receptum est in Gott. et Bip. alii, *cavent quo jure parent se.* Lect. nostram recepit Voss. ex Thuan.—12 In duobus Stat. codd. *Aspicite innuptæ quæ secum ut meditare quærunt;* in alio ejusdem, *Aspicin innuptæ quæ secum ut meditare quærunt;* unde fecit, *Aspicite innuptæ quæso ut meditata requirunt*, et, *Aspice quæ innuptæ secum ut meditata requirunt*, vel, *ut meditamina quærunt*, et, *Aspicite innuptæ quæso ut meditamina quærunt;* Guar. legi posse dixit, *medita-*

NOTÆ

legatur hic Catulli versus. Alii enim legunt, *Eoos ostendit noctifer imbres*, quasi Hesperus orientales imbres significet. Alii legunt, *Œtæos*, quod ab Œta Hesperum oriri putarent. Unde Virgil. 'Tibi deserit Hesperus Œtam.' Alii legunt, *Œtæas obtendit noctifer umbras.* Scaliger legit, *Oceano se ostendit noctifer imbre*, id est, mari: ita ut sit 'Oceanus imber,' ut 'Oceanum mare.' Quod utrum sit accipiendum viderit Lector. Intelligit autem Poëta per *ignes Æthereos*, alia sidera et stellas, quas secum ferre videtur Hesperus.

9 *Canent, quod visere* [*quos vincere*] *par est*] Alii legunt, *quo vincere par est*, i. e. quo duce, nempe Hymenæo. Alii legunt, *cavent*, hoc est, a nobis, et, *quos visere par est*, i. e. convenit ut videamus, quid parent contra nos. Sed meliores sequimur codices, qui hoc ad juvenes mox cantaturos adversus virgines referri significant, quod sane contextus ratio satis indicat.

11 *Non facilis palma*] Arbor est palma quæ non cedit ponderi, sed nititur contra pondus, ideoque victoribus traditur præmio, quod non cesserint, sed pertinaces in bello perstiterint. Inde vulgo victoria dicitur palma. Vide Strab. lib. xv. Theophrast. lib. v. et Aulum Gell. lib. III. 6. ubi hæc ex Plut. referuntur: 'In certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ, quoniam ejusmodi ligni ingenium est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat.'

Nec mirum: tota penitus quæ mente laborent.
Nos alio mentes, alio divisimus aures.
Jure igitur vincemur. Amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros:
Dicere jam incipient, jam respondere decebit:
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUELLÆ.

Hespere, qui cœlo fertur crudelior ignis?
Qui natam possis complexu avellere matris,

ad alia animos, ad alia aures intendimus. Merito itaque superabimur; victoria namque *exigit* aliquam *solicitudinem. Quamobrem jam animos saltem vestros componite. Canere modo exordientur* puellæ, *modo nos respondere oportebit.* O *Hymen Hymenæe, ades o Hymen Hymenæe.*

Puellæ. O *Vesper, quænam stella* in *cælo memoratur immitior* quam tu? *qui valeas filiam abstrahere ab amplexu matris, abstrahere,* inquam, *a matris*



mina quærat: omnes edd. antiquiores habent *requirant.*—14 'Hunc versum reduxit Voss. temere ex ejus sententia a viris doctis expunctum, cum et vet. Thuan. et alia exemplaria eum agnoscant. Sententiam certe et orationem egregie hic versus juvat: pro *laborent* equidem malim *laborant.*' Doer.—17 *Quare non animos* in omnibus Stat. codd. *convertite vestros* Voss.—20 '*Quis cælo* perperam in quibusdam: pro *fertur* in nonnullis extat *lucet*, quod haud dubie ex v. 26. intrusum est; sed quemadmodum in hoc versu *lucet* melius convenit τῷ *jucundior*, ita in nostro versu magis respondet *fertur*

NOTÆ

15 *Nos alio mentes*] Hic versus quasi locum proverbii obtinuit in negligentes; qui enim aures dirigunt in aliam partem, mentem vero in aliam, negligunt audire quæ dicuntur. Sic Ovid. de Rem. Amor. 443. 'mentem sectam' dicit: 'Secta bipartito cum mens discurrit utroque, Alterius vires subtrahit alter amor.'

17 *Animos committite*] Conjungite, in unum contrahite, componite invicem animos, ut sic unam rem agentes, puellas vincamus: necesse est enim, qui vincere velit, curam adhibeat. His consonat Terent. 'Ubi intenderis ingenium, valet.'

20 *Hespere*] Cantus puellarum est, quæ damna conjugii incipiunt enumerare, Hesperumque crudelitatis arguunt, quod ejus adventu puellæ a parentibus et a complexu et gremio matris abducantur.

Ignis] Stella dicitur 'ignis.' Virgil. Æn. III. vs. 585. 'Nam neque erant astrorum ignes.'

21 *Complexu matris*] Diximus jam supra hoc in more fuisse positum, ut nova nupta e gremio matris rapi simularetur, ut marito traderetur, quod nempe raptus virginum Sabinarum Romulo bene successisset. Fest. 'Rapi simulatur virgo ex gremio matris, aut si ea non est, ex proxima necessitudine.'

Sic certe, viden' ut perniciter exsiluere ?
Non temere exsiluere : canent quod visere par est.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

JUVENES.

Non facilis nobis, æquales, palma parata est :
Aspicite, innuptæ secum ut meditata requirunt.
Non frustra meditantur : habent memorabile quod sit.

leriter consurrexerunt? *Non* equidem *sine causa* e sedibus *exsilierunt* juvenes. Ipsi mox *cantabunt, quos decet* nos *superare. O Hymen Hymenæe, ades o Hymen Hymenæe.*

Juvenes. O *sodales, difficilis victoria nos manet. Cernite, quomodo Virgines in memoriam revocent quæ* singulæ *excogitarunt. Non* certe *sine causa ita meditantur; excogitarunt* enim aliquid, *quod memoratu sit dignum. Nos vero*

8 Post *certe* excidisse putat Stat. verbum *est*, quod in uno cod. tres literas hic erasas fuisse animadverterit.—9 In codd. Scal. Commel. Palat. p. Venett. Brix. Vicent. et aliis antiq. *cavent quo visere parent;* in Ald. Gryph. Mur. *canent quos vincere par est*, quod Avantio tribuit Scal. *canent quod vespere par est* tentabat Mel. *canent quod vincere par est* Cant. ex conj. Marcil. addita explicatione, 'carmen victoria dignum:' *canent, quo vincere par est* dedit Corrad. quod receptum est in Gott. et Bip. alii, *cavent quo jure parent se.* Lect. nostram recepit Voss. ex Thuan.—12 In duobus Stat. codd. *Aspicite innuptæ quæ secum ut meditare quærunt;* in alio ejusdem, *Aspicin innuptæ quæ secum ut meditare quærunt;* unde fecit, *Aspicite innuptæ quæso ut meditata requirunt*, et, *Aspice quæ innuptæ secum ut meditata requirunt*, vel, *ut meditamina quærunt*, et, *Aspicite innuptæ quæso ut meditamina quærunt;* Guar. legi posse dixit, *medita-*

NOTÆ

legatur hic Catulli versus. Alii enim legunt, *Eoos ostendit noctifer imbres*, quasi Hesperus orientales imbres significet. Alii legunt, *Œtæos*, quod ab Œta Hesperum oriri putarent. Unde Virgil. 'Tibi deserit Hesperus Œtam.' Alii legunt, *Œtæas obtendit noctifer umbras.* Scaliger legit, *Oceano se ostendit noctifer imbre*, id est, mari: ita ut sit 'Oceanus imber,' ut 'Oceanum mare.' Quod utrum sit accipiendum viderit Lector. Intelligit autem Poëta per *ignes Æthereos*, alii sidera et stellas, quas secum ferre videtur Hesperus.

9 *Canent, quod visere* [*quos vincere*] *par est*] Alii legunt, *quo vincere par est*, i. e. quo duce, nempe Hymenæo. Alii legunt, *cavent*, hoc est, a nobis, et, *quos visere par est*, i. e. convenit ut videamus, quid parent contra nos. Sed meliores sequimur codices, qui hoc ad juvenes mox cantaturos adversus virgines referri significant, quod sane contextus ratio satis indicat.

11 *Non facilis palma*] Arbor est palma quæ non cedit ponderi, sed nititur contra pondus, ideoque victoribus traditur præmio, quod non cesserint, sed pertinaces in bello perstiterint. Inde vulgo victoria dicitur palma. Vide Strab. lib. xv. Theophrast. lib. v. et Aulum Gell. lib. III. 6. ubi hæc ex Plut. referuntur: 'In certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ, quoniam ejusmodi ligni ingenium est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat.'

Nec mirum : tota penitus quæ mente laborent.
Nos alio mentes, alio divisimus aures.
Jure igitur vincemur. Amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros :
Dicere jam incipient, jam respondere decebit:
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUELLÆ.

Hespere, qui cœlo fertur crudelior ignis?
Qui natam possis complexu avellere matris,

ad alia animos, ad alia aures intendimus. Merito itaque superabimur; victoria namque *exigit* aliquam *solicitudinem. Quamobrem jam animos saltem vestros componite. Canere modo exordientur* puellæ, *modo nos respondere oportebit.* O *Hymen Hymenæe, ades o Hymen Hymenæe.*

PUELLÆ. O *Vesper, quænam stella* in *cælo memoratur immitior* quam tu? *qui valeas filiam abstrahere ab amplexu matris, abstrahere,* inquam, *a matris*



mina quærat: omnes edd. antiquiores habent *requirant.*—14 'Hunc versum reduxit Voss. temere ex ejus sententia a viris doctis expunctum, cum et vet. Thuan. et alia exemplaria eum agnoscant. Sententiam certe et orationem egregie hic versus juvat: pro *laborent* equidem malim *laborant.*' Doer.—17 *Quare non animos* in omnibus Stat. codd. *convertite vestros* Voss.—20 '*Quis cælo* perperam in quibusdam: pro *fertur* in nonnullis extat *lucet,* quod haud dubie ex v. 26. intrusum est; sed quemadmodum in hoc versu *lucet* melius convenit τῷ *jucundior,* ita in nostro versu magis respondet *fertur*

NOTÆ

15 *Nos alio mentes*] Hic versus quasi locum proverbii obtinuit in negligentes; qui enim aures dirigunt in aliam partem, mentem vero in aliam, negligunt audire quæ dicuntur. Sic Ovid. de Rem. Amor. 443. 'mentem sectam' dicit: 'Secta bipartito cum mens discurrit utroque, Alterius vires subtrahit alter amor.'

17 *Animos committite*] Conjungite, in unum contrahite, componite invicem animos, ut sic unam rem agentes, puellas vincamus: necesse est enim, qui vincere velit, curam adhibeat. His consonat Terent. 'Ubi intenderis ingenium, valet.'

20 *Hespere*] Cantus puellarum est, quæ damna conjugii incipiunt enumerare, Hesperumque crudelitatis arguunt, quod ejus adventu puellæ a parentibus et a complexu et gremio matris abducantur.

Ignis] Stella dicitur 'ignis.' Virgil. Æn. III. vs. 585. 'Nam neque erant astrorum ignes.'

21 *Complexu matris*] Diximus jam supra hoc in more fuisse positum, ut nova nupta e gremio matris rapi simularetur, ut marito traderetur, quod nempe raptus virginum Sabinarum Romulo bene successisset. Fest. 'Rapi simulatur virgo ex gremio matris, aut si ea non est, ex proxima necessitudine.'

Complexu matris retinentem avellere natam,
Et juveni ardenti castam donare puellam?
Quid faciant hostes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

JUVENES.

Hespere, qui cœlo lucet jucundior ignis?
Qui desponsa tua firmes connubia flamma,
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,

amplexu remorante filiam, ac virginem intactam tradere viro ejus amore *incenso? Quid agant hostes immanius in civitate vi expugnata? O Hymen Hymenæe, o ades Hymen Hymenæe.*

JUVENES. *O Vesper, quænam stella* in *cælo fulget gratior* quam tu? *qui confirmes tuo lumine pacta conjugia? Quod* enim *homines pacti sunt, quod parentes*



τῷ crudelior.' Doer.—22 In hoc loco hæsit Stat.; sed ita erat in omnibus codd.—28 Hic versus suspectus erat Mureto. *Quæ pepigere viri* Passer. ex Mem. c. et sic Voss. et Ed. Cant. 'sed lect. nostra, quia est difficilior, ex

NOTÆ

23 *Juveni ardenti*] Impatienter amanti. Amor enim igni comparatur a Poëtis. Virgil. Æn. IV. vs. 2. 'et cæco carpitur igni.' His etiam similia de Hymenæo in Epithalamio superiore Catullus cecinit vs. 56. 'Tu fero juveni in manus Floridam ipse puellulam Matris e gremio suæ Dedis.'

24 *Quid faciant hostes, &c.*] Crudele habetur, quod ubi hostes urbem aliquam vi expugnaverunt, virgines rapiantur; cum igitur, Hespero apparere incipiente, virgines e matrum gremio viris in nuptiis rapere fas sit: inde 'crudelis' Hesperus a puellis dicitur.

26 *Hespere, qui cælo lucet*] Respondent juvenes puellis, Hesperique fulgorem, qui exoriens nuptialia pacta confirmet, prædicantes conjugii commoda recensent. Carminis autem Amœbæi lex hæc est, ut qui in secundo loco dicit, aut aliquid majus, aut contrarium objectis reponat. Quod hoc loco observat eleganter Catullus.

Jucundior ignis] Sic etiam Homer. Iliad. lib. XXII. vs. 318. Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ. Sic etiam de Hespero Virgil. Æn. VIII. vs. 590. 'Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes.'

27 *Desponsa firmes connubia*] Maxime enim conjugium stabilitur et confirmantur nuptiæ, cum sponsa jungitur sponso, quod exoriente Hespero fieri solebat; quasi is esset confirmator et dux nuptiarum. Hic locus Donati firmat explicationem ad illud Andriæ apud Terent. 'placuit, despondi.' 'Proprie spondet puellæ pater, despondet adolescens.' Verba sunt Donati, qui hæc etiam scripsit in Adelph. 'Despondet puellam, qui petit,' &c.

28 *Pepigerunt ante parentes*] Antequam nimirum desponderent; nam virgo pacta nondum erat desponsa, si Passeratio in hunc locum fidem

Nec junxere prius quam se tuus extulit ardor;
Quid datur a Divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUELLÆ.

Hesperus e nobis, æquales, abstulit unam.
* * * *
Namque tuo adventu vigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos idem sæpe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.

antea spoponderant, non ante copularunt, quam tuus splendor sese protulit. Quid enim *a Dis conceditur beata hac hora jucundius? O Hymen Hymenæe, ades o Hymen Hymenæe.*

PUELLÆ. O *sodales, Vesper e nobis unam abripuit.* * * * *Etenim, te exoriente, excubiæ jugiter vigiles obeunt* vicos. *Noctu fures occultantur, quos eosdem frequenter* tu *ipse rediens, o Vesper, variato nomine deprehendis.*

lege critica præferenda est.' *Doer.*—32 In Stat. codd. *Hesperus est nobis æqualem abstulit unam;* vel, *Hesperus hic nobis æqualem abstulit unam;* vel, *Hesperus e nobus æquale, abstulit unam;* unde Stat. legeret, *Hesperus e nostris æqualibus abstulit unam;* vel, *Hesperus ex nostris æqualem hinc abstulit unam:* in marg. Gryph. ap. Doer. *Hespere, quis nobis æqualem hanc abstulit unam.* Post hunc versum septem versus alios desiderari scribit Avant. qui spatii tantum in aliquo libro vacare animadvertisset: tantum spatii quoque vocat in Scal. 1. 'Voss. omnia recte se habere putavit; non habet tamen, quo referatur sequentis versus particula *namque;* ego hanc fere sententiam desidero: Hespere, te jure rapacem vocamus et timemus, *namque.*' Doer. *Hesperus a nobis* in Ald. 1. unde idem Avant. legi jubet, *Hesperus e nobis.*—33 Voss. pro *namque* corrigit *nempe,* et post vocem *custodia* interpungit.—35 *Vespere* Ald. Mur. Stat. sed in cod. Scal. et edd. antiquiss.

NOTÆ

habeamus. Desponsa autem puella noctu tantum ex lege nubebat: nec prius in viri domum, quam illucesceret Hesperus, abducebatur, ut sæpius jam diximus.

32 *Hesperus e nobis*] Conqueruntur puellæ, quod unam e suo cœtu rapuerit Hesperus. Versus hic varie legitur a multis: alii enim codices habent, *Hesperus ah! nobis, æquales, abstulit unam.* Alii vero sic, *Hesperus e nostris æqualibus abstulit unam.* At quanquam variæ sunt lectiones; in idem tamen fere recidit omnium sensus. Hic porro sex aut septem versus desiderantur.

33 *Vigilat custodia*] Homines ipsi 'custodes' seu 'vigiles' dicti: unde Græcis *custodia* dicitur *οἱ φύλακες.* Virgil. Æn. VI. 'Cernis custodia qualis Vestibulo sedeat?' Festus, 'Custodelam dicebant Antiqui, quam nunc dicimus custodiam.'

34 *Nocte latent fures*] Videtur Poëta hoc loco *fures* pro amatoribus ponere: unde etiam 'furta' adulteria dicuntur. Ovid. 'Quis deprendere possit Furta Jovis?' Claudian. 'Gaudet amans furto.' Propert. 'Jupiter, ignosco pristina furta tua.' Idemque alibi: 'Dulcia furta Jovis.' Ipse denique Catullus noster supra

JUVENES.

* * *

At lubet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum si carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUELLÆ.

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ:

JUVENES. *Sed placet puellis increpare te simulata querela,* o Vesper. *Quid ergo si* te *increpant, quem* tamen *occulto animo exoptant? O Hymen Hymenæe, ades o Hymen Hymenæe.*

PUELLÆ. *Sicut flos selectus in hortis bene clausis exoritur, pecudibus incognitus, et nullo vomere violatus, sed quem fovent Zephyri, roborat Sol, nutrit pluvia; plures ipsum juvenes, plures puellæ expetierunt; sed ubi is ipse* flos *tenero ungue*

Hespere. 'Hic quoque deesse quædam vel inde colligo, quod versuum numerus, qui par esse debebat, non constat; tot enim versibus, quot puellæ cecinerant, ex lege carminis amœbæi respondendum fuit juvenibus.' *Doer.*—36 *Ut,* i. e. utcumque, nexus causa conj. Voss.—37 *Quid tu si* in nonnullis edd. vett. *tacita quod* in iisdem; in Stat. codd. *quam;* in Cuj. *quem.*—40 In

NOTÆ

Carm. VII. 'Aut quam sidera multa, cum tacet nox, Furtivos hominum vident amores.'

35 *Mutato comprendis nomine eosdem*] Eadem enim stella quæ post Solis occasum dicitur 'Hesperus,' ante ejusdem Solis ortum 'Lucifer' appellatur, sæpiusque *fures eosdem,* hoc est, amatores, quia ad exortum usque Luciferi morantur apud amicam, deprehendit. Idem fere Horat. II. Od. 9. 'Nec tibi vespero surgente decedunt amores, Nec rapidum fugiente Solem.'

36 *At lubet innuptis*] Hic etiam procul dubio plures desiderantur versus. Manifestum enim est deesse finem eorum quæ ex lege carminis Amœbæi debuerunt puellæ respondere. Hæc autem juvenum sunt verba, qui simulatas et fictas esse puellarum reponunt querelas; ideoque Lucifero contemnendas, cum tantum verbis, et non ex animo reprehendant, quod tacita mente totisque secum medullis exoptant. Claudian. 'Tenerum jam pronuba flamma pudorem Solicitat, mistaque tremit formidine votum.'

39 *Ut flos in septis*] Elegans admodum et concinna comparatio, qua puellas esse floris instar ostenditur, qui dum nulla læsus injuria viget, a plurimis optatur: ubi vero ungue decerptus languescit, ab omnibus negligitur.

42 *Multi illum pueri*] Hoc Ovid. Met. l. III. respexit: 'Multi illum ju-

Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ:
Sic virgo dum intacta manet, dum cara suis est;
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

JUVENES.

Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,
Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam;
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jam jam contingit summum radice flagellum:
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci:

decerptus elanguet, nulli ipsum juvenes, nullæ puellæ expetierunt. Ita puella quamdiu manet illibata, tunc suis est dilecta; postquam vero deflorato corpore pudicum amisit florem; tunc *nec juvenibus est exoptata, nec virginibus dilecta. O Hymen Hymenæe, ades o Hymen Hymenæe.*

JUVENES. *Quemadmodum vitis quæ non fulta exoritur in agro inculto, nusquam se erigit, nusquam maturum alit racemum, sed mollem truncum in terram inclinans declivi gravitate tangit radice supremos palmites sarmentorum: istam nulli coloni,*

vetustis membran. Thuan. et Mem. c. *convulsus aratro.*—45 In Maff. l. *dum intacta manet, tum cara suis: sed, &c* et sic in Ald. Scal. 1. Græv. Bip. aliis: '*tum cara suis: sed* est ex correctione eorum, qui *dum....dum* concoquere non possent, et particulam *sed* in sequenti versu desiderarent.' *Doer.* Lect. nostram agnoscunt omnes alii codd. cum Venett. Brix. et Vicent. sed etiam egregie auctoritate Quintil. Instit. lib. IX. 3. confirmatur, qui ibid. pro *intacta* legit *innupta*, et alterum *dum* per 'quoad,' alterum per 'usque eo' interpretatur.—50 In Thuan. *quam muniteam*, unde Voss. conj. *Amineam educat uvam.* Vide Virg. Georg. II. 97.—53 In duobus codd. ap. Passer. et Stat. *coluere* pro

NOTÆ

venes, multæ optavere puellæ; Sed fuit in tenera tam dura superbia forma, Nulli illum juvenes, nullæ optavere puellæ.'

49 *Ut vidua in nudo*] Apta etiam similitudo, qua juvenes ostendunt puellam, quamdiu manet intacta et integra, persimilem esse viti, quæ nulli adjuncta et adhærens arbori, sed humi strata, nullum fructum fert utilem, ideoque negligitur; sed si eadem ulmo juncta fuerit, jam diligenter ab agricolis colitur, fructumque producit. 'Vidua' autem vitis eodem modo dicitur illa, quæ nulli arbori juncta est, quomodo dicitur illa 'maritari,' quæ adjungitur arbori. Horat. IV. Od. 5. 'Et vitem viduas ducit ad arbores.' Idemque Epod. 2. 'Ergo aut adulta vitium propagine Altas maritat populos.'

52 *Summum flagellum*] Summitas ramorum non modo vitis sed cujuslibet etiam arboris 'flagellum' appellatur; vitis ergo quæ non est ulmo conjuncta, flagella radice contin-

At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci:
Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit;
Cum par connubium maturo tempore adepta est,
Cara viro magis, et minus est invisa parenti.
At tu ne pugna cum tali conjuge, virgo.
Non æquum est pugnare, pater quoi tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est:
Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est:
Tertia pars patri data, pars data tertia matri,
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades, o Hymenæe.

nulli boves excoluerunt: sed si illa ipsa vitis *ulmo est adjuncta, plures hanc coloni, plures hanc boves excoluerunt. Ita puella quando manet illibata, quando cœlebs fit anus,* ab omnibus negligitur: sed *quando conveniens conjugium consecuta est;* tunc longe *plus dilecta marito, ac minus est odiosa parenti. Sed tu,* o *puella, ne resiste ejusmodi marito; non enim par est te resistere* ei, *cui te pater ipse* tuus *tradidit, ipse,* inquam, tuus *pater simul cum matre, quibus* te *obedire oportet. Virginitas* tua *non est tota tua,* sed *partim parentum est: tertia pars est concessa patri* tuo, *tertia pars est concessa matri* tuæ, *tertia* tantum *pars est tua; noli pugnare cum ambobus* parentibus, *qui sua jura genero* suo *una cum dote tradiderunt. O Hymen Hymenæe, ades, o Hymen Hymenæe.*

accoluere, hic et vs. 55.—54 Heins. vult, *ulmo conjuncta maritæ.*—57 In Stat. codd. *conubium* per unum *N.*—58 Sic in omnibus Stat. codd. præter unum, in quo erat, *Cara virgo magis minus est.* 'Deesse videtur hoc loco ἐπιφώνημα, *Hymen o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe;* quod tamen nullo in cod. legebatur.' *Stat.* Hunc versum reposuerunt nonnulli, accedente Bip.—59 *Et tu nec pugna* in Venett. Brix. Vicent. et omnibus Stat. codd. approbante Voss.—63 Sic in omnibus Stat. codd. *Tertia pars patris est, pars est data tertia matri* in Mur. et aliis nonnullis; *Tertia pars matri data, pars data tertia patri* in edd. antiquiss. et Stat.

NOTÆ

git, utpote quæ in sublime non assurgit.

54 *Ulmo conjuncta marito*] Quasi 'ulmo maritata:' unde Virgil. Georg. I. 'Ulmisque adjungere vites.' Plin. lib. XIV. 1. 'Jam in agro Campano populis nubunt vites, maritosque complexæ, atque per ramos earum procacibus brachiis geniculato cursu scandentes cacumina æquant.'

59 *At tu ne pugna*] Concludunt Carmen juvenes, hortanturque novam nuptam, ut lubens viro consentiat, parentibus sic jubentibus, qui jus suum in filiæ virginitatem genero suo cesserunt. Cum enim ipsa tertiam tantum suæ virginitatis partem habeat, reliquæ vero duæ parentibus cedant, æquum non esset cum ipsis contendere, neque marito resistere, in quem parentes simul cum dote potestatem jusque suum transmiserunt.

65 *Cum dote*] 'Dos est pecuniæ

NOTÆ

nuptiarum causa data.' Varro de Ling. Lat. lib. v. 'Dos' autem aut 'dicitur,' aut 'datur,' aut 'promittitur.' 'Dotem dicere' potest mulier, quæ nuptura est, aut ipsius mulieris debitor, ejus jussu, parens mulieris virilis sexus, ut pater, avus paternus. 'Dare' vero et 'promittere dotem' omnes possunt.

CARMEN LXIII.

DE ATY.

Super alta vectus Atys celeri rate maria,

Atys veloci navigio delatus per profunda æquora festinato cursu avide pervenit ad

In Scal. cod. Titulus erat, *De Attine furore percito.* Totum hoc Carmen e Græco quodam scriptore translatum esse censuit Wartonus: alii, ex Carm. xxxv. 17. Cæcilio tribuendum esse arbitrati sunt.—1 *Attis* in edd. vett. et

NOTÆ

1 *Super alta*] Hoc Poëmatis genus minime quidem vulgare metrum habet Galliambicum, a Gallis Cybeles Sacerdotibus, qui hoc in ejus Deæ sacris maxime utebantur, sic dictum. Versus autem Galliambus, de quo plura Hephæstion, Terentianus, et alii, sex constat pedibus. Primus solet esse anapæstus, aut spondæus, deinde duo sequuntur iambi cum una syllaba catalectica longa, quibus adduntur rursum anapæstus et iambi duo: ut, 'Vice veris et Favoni glacies resolvitur.' At interdum etiam, ut versus celerior sit, in penultimum locum tribrachys pro iambo recipitur: ut, 'Super alta vectus Atys celeri rate maria.' Sed et alias Antiqui variam pedum mutationem recipiebant, nihil fere curantes, modo temporum numerus retineretur. Alii vero alio modo Galliambum versum metiuntur.

Atys] De Aty varii varia retulere Scriptores: de quo quidem sic habet noster Catullus. *Atys* adolescens præstanti forma præditus, navigio delatus in Phrygiam, cum in nemus Cybelæ seu Berecynthiæ sacrum pervenisset, ejusdem Deæ numine, illius amore correptæ, versus in furorem virilia ipse sibi amputavit, et Cybeleia instrumenta concutiens, comites quoque suos ut idem facerent exhortatus, et cum ipsis per nemora discurrens, ut mos Sacrorum ferebat, tandem domum Cybeles pervenit, ubi præ nimia defatigatione somno correptus est. At mane expergefactus, et furore jam liberatus, ut sese sensit eviratum, conditionem suam cœpit lamentari, et de patria sua repetenda cogitans, accessit ad littus; sed Cybele, immisso leone, eum ita perterrefecit, ut inde iterum in nemora confugiens, reliquum ibi vitæ spatium in Deæ Cybeles famulatu transegerit. Hæc tamen Catulli narratio minime convenit cum iis quæ alii de Aty tradiderunt; sed ne alii

Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,
Adiitque opaca sylvis redimita loca Deæ:
Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi,
Devolvit illa acuta sibi pondera silice.
Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro,

Phrygiam sylvam, et accessit ad umbrosa loca Deæ Cybeles, *nemoribus cincta; ubi rabido furore percitus, mentis inops abscidit sibi acuminato lapide pudenda. Postquam vero sensit superesse sibi corpus sine virilitate, tunc humi superficiem*

sic est ap. Terent. Maur. h. l. citantem.—2 *Phrygium ut* in omnibus codd. et edd. vett. etiam ap. Terent. Maur. τὸ *ut* delevit Scal. sed servatur in edd. Corrad. et Gott.—4 In edd. vett. *ut furenti;* in Stat. et Scal. codd. *ubi;* Corrad. legit *ibi*, quem sequitur Gott. sic *ut* commode servari potest versu secundo.—5 In omnibus Stat. codd. *Devolvit*, probante Werth. Avant. legi jubet, *Devolvit sibi lactes acuta pondera silice*, metro obstante; Stat. tentabat, *Devovit;* alii legunt, *Divellit ille acuto sibi pondere:* pro *illa* in codd. *illectus, illetus, illetas, lacteus, illectas*, vel *illactas;* unde Stat. conj. *icta*, et suspicabatur τὸ *ille* gloss. fuisse τοῦ *Devolvit:* Passer. e vet. cod. affert, *ipse lactes sibi pondere silices*, et *silices* mutat in *silicis;* Voss. ex *ilecto*, quod reperit in Mediol. primum conj. *lecto acuto*, sed cum meliora ejus exemplaria haberent fere *læta*, vel *leta*, sine hæsitatione reponendum censuit *lenta acuto;* at sic secundum pedem fecit spondæum, qui iambus esse debebat. Nihilominus V. D. in Obs. Mis. Tom. I. Vol. II. p. 325. legendum putavit, *Devolvit lecta acuta*, ut legerit silicem acutum, quo opus hoc perageret. *Devolvit ille acuto* Græv.

NOTÆ

quidem inter se conveniunt. Aliter de Aty Ovid. Fast. IV. et Met. X. Aliter Servius ad Æn. VIII. Aliter Diodor. Sic. lib. III. cap. 5.

2 *Phrygium nemus*] Ad illam montis Idæ partem, quæ Dindymus aut Dindymum dicitur, quo nempe conveniebant ii, qui se Berecynthiæ Deæ consecrarant. Maxime enim Cybele seu Berecynthia in Phrygia colebatur, præcipuumque in Dindymo monte Phrygiæ, ubi et ejus sacra celebrabantur, templum habebat: unde dicta est 'Dindymene,' 'Idæa mater,' &c. Virgil. Æn. IX. 'Ite per alta Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum: Tympana vos buxusque vocat Berecynthia matris Idææ.'

3 *Loca Deæ*] Cybelæ sacra, sylvis opacis umbrosa, quæ postea Catullus dicit 'nive amicta.'

5 *Devolvit illa pondera*] Amputando dejecit pudenda seu virilia. Alii legunt *lactes;* nec cur potius *pondera* dicantur *genitalia*, quam *lactes*, video. 'Lactes' vero proprie dicuntur eæ partes per quas labitur cibus.

Acuto silice] Samiam testam innuit, qua solebant matris Deorum, seu Berecynthiæ Sacerdotes, qui 'Galli' dicebantur, sibi genitalia amputare; nec aliter citra perniciem; ut ait Plin. lib. XXXV. Hinc etiam Juven. Sat. VI. 'Mollia cui rupta secuit genitalia testa.' Illa porro testa Samia cultri vicem præstabat, quia acuta erat; unde a Poëtis 'culter Phrygius' appellari solet. Claudian. in Eutrop. 'Inguinis et reliquum Phrygiis abscindere cultris.' Judæis quoque præceptum fuit olim, ut petrinis seu lapideis cultris circumciderentur. Josue cap. 5.

6 *Membra sine viro*] 'Virum' dixit eam partem qua viri sumus, seu viri-

Et jam recente terræ sola sanguine maculans,
Niveis citata cepit manibus leve tympanum,
Tympanum, tubam, Cybelle, tua, mater, initia:
Quatiensque terga tauri teneris cava digitis,
Canere hæc suis adorta est tremebunda comitibus:
Agite, ite ad alta, Gallæ, Cybeles nemora simul,

cruore recenti inficiens Cybeles numine *afflata candidis manibus cavum tympanum corripuit; tympanum et buccinam,* quæ sunt *tua sacra,* o *mater Cybele: atque pulsans mollibus digitis bovis tergora concava sodalibus suis tremens cœpit istud decantare: Eia, properate, una pariter, o Gallæ, ad celsas Cybeles sylvas; prope-*

Lect. nostra est ex emend. Scal.—7 *Etiam* in Gryph. Mur. Græv. et aliis; *Et jam* in omnibus Stat. codd. *maculant* in nonnullis.—8 'Alii *breve crotalum* pro *leve tympanum,* quod non improbo.' *Mur.* Hic et sequenti versu *typanum* legit Scal. metri causa.—9 *Leve tympanum* ex versu superiori repetit Mur.

NOTÆ

lia; ut et Arnob. lib. v. adversus Gentes: 'Pinus illa, solemniter quæ in matris infertur sanctum Deæ, nonne illius imago est arboris, sub qua sibi Atys virum demessis genitalibus abstulit?'

8 *Citata cepit manibus leve tympanum*] Atyn furore concitatum et eviratum fœminino appellat genere Catullus, quia jam virilitate privatus erat quasi fœmina.

Leve tympanum] Primam syllabam in illo vocabulo *tympanum* corripuit. Alii legunt *crotalum.* Quod autem *tympana* in sacris Cybeles pulsarentur, nemo est qui nesciat. Ovid. Fast. iv. 'Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant, Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.' S. autem Augustin. de Civ. Dei, l. vii. c. 24. dicit ideo magnam matrem, quæ et Tellus, Cybele, et Ops, et mater Deum vocabatur, habuisse tympanum, ut significaretur eam esse orbem terræ, et ob id in sacris suis Galli seu Cybeles Sacerdotes tympana solebant pulsare. In sacris porro Cybeles quæ sonum ederent, quatuor maxime invenio, tympanum, cymbalum, tibiam, et cornu, quæ Lucret. lib. ii. his expressit egregie versibus: 'Tympana tenta sonant palmis, et cymbala circum Concava, raucisonoque minantur cornua cantu, Et Phrygio stimulat numero quæ tibia mentes, Telaque præportant violenti signa furoris.'

9 *Tua, mater, initia*] Sacra ipsa seu mysteria dicuntur, sed hic sumit *initia* pro iis quæ in sacris adhibentur. Varro de Re Rust. lib. ii. 'Ab suillo genere pecoris immolandi initium sumtum videtur, cujus vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, et quod initiis pacis, fœdus cum feritur, porcus occiditur.' Justin. etiam l. v. 'Alcibiades absens Athenis insimulatur, mysteria Cereris initiorum sacra, nullo magis quam silentio solennia, enuntiavisse.'

10 *Quatiensque terga tauri*] Vocat tympanum, *terga tauri,* quod ex corio fiat, et *terga* dixit pro 'tergora:' idem etiam Ovid. Fast. iv. 'Æra Deæ comites, raucaque terga moveant.'

12 *Gallæ*] Cybeles Sacerdotes 'Gallos' vocari nemo nescit: sed hic Poëta 'Gallas' vocat fœminino genere, quod amissa virilitate mulie-

Simul ite, Dindymenæ dominæ vaga pecora,
Aliena quæ petentes, velut exules, loca,
Sectam meam executæ, duce me, mihi comites
Rapidum salum tulistis, truculentaque pelagi,
Et corpus evirastis Veneris nimio odio.
Hilarate heræ citatis erroribus animum.
Mora tarda mente cedat: simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum Cybelles, Phrygia ad nemora Deæ,
Ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,

rate una pariter, o *pecudes errantes Deæ Dindymenæ, quæ loca peregrina adeuntes, tanquam extorres, doctrinam meam consectatæ, auctore me, mihi consortes agitatum mare tolerastis, et furorem æquoris, corpusque* vestrum *virilibus spoliastis, nimia in Venerem malevolentia, animos recreate sonitu tympani concitatis erroribus; pigra cunctatio e mente* vestra *exeat; venite mecum, consectamini me ad ædem Phrygiam, ad Phrygios* scilicet *Divæ Cybeles lucos, ubi cymbalorum sonitus percrepat, ubi tympana personant; ubi Phrygius tibicen inflexa arundine*

Tympanum, tubam Cybelles Voss. et Stat.—13 Sic legi jussit Avant. *vaga pectora* in Venett. et aliis edd. vett.—14 In Stat. codd. *Alienaque petentes velut exules loca celeri*; vel, *Alienaque petens velut exules loca celeri*; vel, *Alienaqua petentes velut exules loca celeri*; in Ald. 1. *Aliena petentes velut exilio loca celeri*; ex his Stat. conj. *Alienaque petite pede exilio loca celeri*: Voss. pro *celeri* rescribit *celere*. V. D. in Obs. Mis. l. c. vult, *Aliena quæ petentes ex'les loca celere*; Corrad. dedit, *Alienaque, exules, ite pede loca celeri*; ingeniose, inquit Doer. Werth. probat, *Alienaque petentes exilio loca celeri*. Nostra lect. jam prolata est a Guar. et servata in Gryph. Mur. Græv. Vulp. et Bip. sed improbata est Statio.—16 Alii *pelage*, inquit Scal. sed improbat V. D. in Obs. Mis.—18 *Hilarate excitatis* in duobus Stat. codd. et edd. Scal. Græv. Corrad. Gott. et Bip. in Maff. c. *Hilaritate crecitatis*; in edd. vett. *Hilarate ære excitatis*; in Voss. et Vulp. edd. *Hilarate hero citatis*. Lectio nostra debetur Avantio; eamque firmant Victor. Var. Lect. et Ms. Octavii Pantagathi ap. Mur. cui etiam subscribit Werth.—21 In uno Stat. cod. *Ubi cymbalum sonat nox*, reclamante Voss: sed probante Werth. Stat. conj. *cymbalôn*, vel Græce κυμβάλων, ut χαλύβων in codd. Carm. LXVI. 48.—23 *Ut capita* propo-

NOTÆ

res potius essent quam viri. Martianus autem lib. VII. dicit 'Gallos' Berecynthiæ Sacerdotes dictos fuisse a 'Gallo' fluvio Phrygiæ, de cujus aqua potantes reddebantur insani. Quod et asserit Ovid. Fast. IV. 'Cur igitur Gallos, qui se excidere, vocamus; Cum tantum a Phrygia Gallica distet humus? Inter, ait, viridem Cybelen, altasque Celænas Amnis it insana, nomine Gallus, aqua. Qui bibit inde furit.'

13 *Dindymenæ dominæ*] Sic dicta est Cybele a Dindymo monte Phrygiæ, in quo ejus sacra celebrabantur, ut docet Strabo lib. XII. 'Mons quidam urbi imminet nomine Dindyma, a quo Dindymena dicitur, quemadmodum a Cybeleis Cybele.'

23 *Ubi capita Mænades*] Παρὰ τοῦ

Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ,
Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant,
Ubi suevit illa Divæ volitare vaga cohors;
Quo nos decet citatis celerare tripudiis.
Simul hæc comitibus Atys cecinit notha mulier,
Thiasus repente linguis trepidantibus ululat,
Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.
Viridem citus adit Idam properante pede chorus.
Furibunda simul, anhelans, vaga vadit, animi egens,
Comitata tympano Atys, per opaca nemora dux,
Veluti juvenca vitans onus indomita jugi.
Rapidæ ducem sequuntur Gallæ pede propero.

asperius cantat; ubi Mænades hedera redimitæ magno impetu capita quatiunt; ubi rem divinam grandi vociferatione faciunt; ubi errabunda ista turba Deæ Cybeles *solita est discurrere; quo* etiam *nos convenit festinatis properare saltationibus. Cum Atys recens fœmina sodalibus suis hæc dixisset, statim Thiasus tremebundis clamoribus exululat, cavum tympanum reboat, rauca cymbala resonant: cohors festinans citato cursu petit Idam virentem, et pariter Atys furens, anhelans, errabunda, et mentis inops, tympano cincta discurrit per densas sylvas tanquam bos indomita servitii pondus refugiens. Gallæ properantes ducem Atyn consectantur*

---

suit Stat. sed *Ubi* est in omnibus codd.—25 In nonnullis edd. vett. *duce* pro *Divæ*.—26 Scal. profert e libro suo et defendit, *celebrare tripudiis*, accedente Burm. ad Ovid. Met. IV. 304.—27 In omnibus Stat. cod. *nota*, et sic in Venett. Brix. et Vicent. Ald. *notha*: in ed. Stat. et cod. Scal. *nova*, quod reposuit Werth.—28 *Thyasis* in nonnullis edd. vett. *Thyasus* Avant. Pro *trepidantibus* Voss. tentabat, *strepitantibus* vel *crepitantibus*, improbante Doer.—29 In nonnullis Stat. codd. *increpant*.—31 In edd. antiquiss. *animo gemens*; Avant. conj. *animo egens*, ut est in Ald. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. Bip. et aliis; in Stat. codd. *animi geris*, et, *Annea gens*; unde Stat. nostram eruit lect.—33 In codd. et edd. antiquiss. *juci*.—34 In Palat. p. et Commel.

NOTÆ

μαίνεσθαι, ab insaniendo, proprie dicuntur Bacchi Sacrificulæ. Gallos autem Berecynthiæ Sacerdotes Poëta vocavit *Mænades*, quia, ut Strabo testatur, sacra Cybeles et Bacchi erant Græcis et Phrygibus communia.

28 *Thiasus*] Tota nempe cohors ipsa quæ Atyn fuerat secuta. *Thiasus* autem proprie chorus est, sive sacra sodalitas canentium, saltantium, convivantium, non solum ad Cybelen aut Bacchum, sed et ad alia etiam sacra pertinens.

30 *Viridem adit Idam*] Ida mons est Trojæ imminens sylvis redimitus, cujus variæ partes varia sortitæ sunt nomina; cujusmodi est latus illud dictum Dindyma seu Dindymus, in quo Cybele colebatur: fuit et alia pars Gargarus dicta apud Hom. Iliad. Θ. In monte porro Ida Paris sententiam tulit pro Venere de pomo aureo, contra Palladem et Junonem.

32 *Comitata tympano Atys*] Vocare pergit fœminam Atyn genitalibus excisis eviratum.

Itaque, ut domum Cybelles tetigere, lassulæ
Nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.
Piger his labantes languore oculos sopor operit.
Abit in quiete molli rabidus furor animi.
Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis
Lustravit æthera album, sola dura, mare ferum,
Pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus;
Ibi Somnus excitum Atyn fugiens citus abiit:
Trepidantem eum recepit Dea Pasithea sinu.

properante cursu. At vero postquam Cybeles ædem attigerunt defessæ ex labore nimio somnum capiunt sine Cerere. His iners somnus claudit vacillantes languore oculos. Per placidum vero *somnum* ab his *discedit furens mentis rabies. At postquam sol aurei vultus micantibus oculis collustravit candidum aërem, solidam terram, et sævum pelagus, et vividis equis fugavit tenebras noctis, statim sopor Atyn expergefactum deserens festinus discessit, illumque trementem Diva Pasithea*

properepedem, vel *properepeditem;* unde Mel. rescripsit *properipedem*, receptum a Voss. Ed. Cant. et Vulp. Avant. legi jussit *propero pede*, quod receperunt Gryph. et alii.—35 '*Cybeles* Voss. *Cybebe* Græv. utrumque falsum; debet esse vel *Cybebes*, vel *Cybelles*.' Doer.—37 In Pat. Maff. c. et Rheg. *labante languore*, probante Doer. in aliis edd. vett. *labentes langore;* Avant. legit, inquit Statius, *Piger his labori nantes oculos;* hoc falsum; Avant. enim legi jussit, *labantes langore*.—38 'Lege, *Abiit in quiete molli rabidi furor animi;* alii *somnia* scribunt.' *Avant.* Hinc in Ald. Gryph. Stat. Græv. *rabidi;* Venet. an. 1500. habet *rabidis*.—39 In omnibus Stat. codd. et edd. antiquiss. *horis aureis*, vel *oris aureis*, vel *heris aureis:* Avant. dedit, *Sed ubi ortus aureus sol;* incertum, an librorum vett. fidem secutus.—41 Sic legi jussit Avant. in Gryph. et nonnullis aliis *Perpulitque*.—42 In omnibus Stat. codd. *Ibi somnus;* in nonnullis edd. vett. *Ubi sonus;* Avant. legi jussit, *Tibi somnus*.—43 *Fugientem* in Mur. et Gryph. quod Doer. putat gloss. fuisse τοῦ *Trepidantem:* V. D. in

NOTÆ

35 *Ut domum Cybelles tetigere*] Sacrificia agendo, et per nemora discurrendo, cum ad domum Cybeles pervenerunt defatigatæ somno correptæ sunt.

36 *Sine Cerere*] Sine cibo, sine potu, sine pane, sine ullo Cereris munere. Terent. 'Sine Cerere et Baccho.'

40 *Æthera album, sola dura, &c.*] Venustissima et elegantissima posuit epitheta, *æthera album, sola dura, mare ferum*. Sic Martiali lib. x. dicuntur 'albæ luces.' 'Albæ leone flammeo calent luces.'

Sola dura] Phrygiæ loca aspera, Idam scilicet montem, aut solidam terram. *Mare ferum:* Virgil. 'Maria aspera juro.'

41 *Sonipedibus*] A sonitu pedum sic dicuntur equi. Virgil. 'Stat sonipes, ac fræna ferox spumantia mandit.' Porro Solis equi quatuor numerantur ab Ovid. Met. II. Pyroëis, Eous, Æthon, et Phlegon: 'Interea volucres Pyroëis, Eous, et Æthon, Solis equi, quartusque Phlegon hinnitibus auras Flammiferis implent.'

43 *Pasithea*] Nonnulli legunt, *Pasitheo sinu*, omnes Deos continenti,

Ita de quiete molli rabida sine rabie
Simul ipsa pectore Atys sua facta recoluit,
Liquidaque mente vidit sine quis, ubique foret;
Animo æstuante rursum reditum ad vada tetulit:
Ibi maria vasta visens lacrymantibus oculis,
Patriam allocuta voce est ita mœsta miseriter:
Patria o mea creatrix, patria o mea genitrix,
Ego quam miser relinquens, dominos ut herifugæ
Famuli solent, ad Idæ tetuli nemora pedem:
Ut apud nivem et ferarum gelida stabula forem,

gremio suo excepit. Itaque post placidum somnum, ubi ipsa Atys extra insanum furorem facta sua animo revolvit; et tranquilla mente sensit sine quibus rebus, et quo in loco esset, animo iterum furente ad mare qua venerat, *reversionem fecit.* Atque *illic immensa æquora lacrymosis oculis aspiciens tristi voce natalem terram miserabiliter sic est affata: O patria mea mater, o patria mea procreatrix, quam ego infelix deserens, quomodo consueverunt fugitivi servi heros* relinquere, *ad Idæ montis sylvas veni, ut in nivibus, et in recessibus frigidis belluarum immanium, et ut cunctas*

Obs. Mis. tentat *Trepidante....sinu*, ut 'corde,' vel 'pectore trepidante,' vel *Tepidante* pro 'fovente:' in nonnullis edd. vett. *Pasitheo;* Avant. conj. *Pasitheæ sinu.*—44 Voss. dedit, *rapida sine rabie.*—45 In omnibus Stat. codd. *ipse* pro *ipsa:* in Pat. *revolvit*, 'quod probandum videtur, ut ultimam solvas in duas.' *Stat.*—47 In Scal. 1. et Voss. *rusum* ἀρχαϊκῶς pro *rursum;* Scal. in suo codd. invenit *usum;* in Stat. codd. et quibusdam edd. vett. *retulit:* in Venett. Brix. et Vicent. *Animo æstuantur usum reditum....tetulit.*—48 *Ibi* in omnibus Stat. codd. *Ubi* in edd. vett. in iisdem *ocellis.*—49 In Pat. *Patriam adlocuta est ita voce misertus majestas;* in omnibus aliis Stat. codd. *Patriam adlocuta est ita voce miseritus majestas;* Stat. legeret, *Patriam adlocutus, et se est ita voce miseritus;* nam codd. exhibent *ipse* versu 45. in Ald. et Græv. *Patriam adlocuta est ita voce mæsta miseriter;* in Gryph. *Patriam allocuta est voce mæstula miseriter;* in Mur. Voss. Cant. et Vulp. *Patriam allocuta mæsta est ita voce miseriter.* Lect. nostram servant Scal. et Bip.—52 In quibusdam vett. *retuli*, quod reposuit Græv.—53 *Ut apud (miser) ferarum* dedit Scal. e

NOTÆ

quod nempe Cybele Deorum mater dicatur. Pasithea porro una est ex tribus Gratiis, quam Juno apud Homerum uxorem promisit Somno, si is Jovem auxilium Trojanis contra Græcos ferentem consopivisset. Ad illam igitur alludens fabulam Catullus dicit Pasitheam recepisse in sinum Somnum maritum suum, cum ab Aty recessisset.

49 *Miseriter*] Sic Laberius, 'Mens incorrupta miseriter corrumpitur.' Pro 'misere' aut 'miserabiliter,' sicut pro 'pure' dicit infra 'puriter.' Ita veteres multa, 'parciter,' 'sæviter,' 'torviter,' 'præclariter,' &c.

52 *Tetuli pedem*] Alii legunt *retuli*, sed male: veteres enim præteritum 'fero,' pro 'tuli,' sæpe efferebant 'tetuli,' ut a 'pello,' 'pepuli;' ut observat Diomedes de Gramm. lib. I. Terent. in Andr. 'Incepi, dum res tetulit.' Et ibid. 'Si id scissem,

Et earum omnia adirem furibunda latibula:
Ubinam, aut quibus locis te positam, patria, rear?
Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breve tempus animus est.
Egone a mea remota hæc ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palæstra, stadio, et gymnasiis?
Miser ah miser, querendum est etiam atque etiam, anime.
Quod enim genus figuræ est, ego non quod habuerim?

earum latebras amens lustrarem: o *patria* carissima, *ubinam gentium, vel quibus in oris te esse sitam putem? Hic ille* meus *oculus vult suam in te vim convertere, donec* mihi *per modicum temporis intervallum mens est sævo furore libera. An ego a mea domo absens per istas vagabor sylvas? Egone natali solo, bonis, amicis, parentibus carebo? Egone privabor spectaculis ludorum forensium, palæstra, cursus certamine, et gymnicis ludis? O me infelicem! summopere mihi deploranda est mea conditio,* o *mens* mea. *Quænam enim formæ species est, quam ego non obie-*

---

suo cod. τὸ *nivem* damnat quasi commentum correctorum.—54 Sic in omnibus Stat. codd. Stat. legeret, *Et earum ut omnia adirem*, ut duæ ultimæ vocales in *omnia* elidantur; *Et ut omnia earum adirem* Scal. *Et femina earum adirem* profert Guar.—55 In nonnullis edd. vett. *in quibus locis.*—56 Stat. legit *puppula.*—57 Heins. conj. *dum ad breve tempus.*—58 In nonnullis edd. vett. *a mea....domo Patria.*—60 Sic in omnibus Stat. codd. sed Avant. corr. *atque gymnasiis*; alii, *stadioque gymnasiis:* prima in *gymnasiis* corripitur, ut in *tympanum*, vs. 8.—62 In Stat. codd. *Quod enim genus figura est, numquid abierim;* vel, *Quod enim genus figura est, ego non quod haberim;* vel, *Quod enim genus figura est, ego non quid abierim:* Stat. legit, *Quod enim genus figura est, ego numquid abierim;* sed pro *abierim* malit *obierim:* in Venet. an. 1500. et Gryph. *Quod enim genus? figura est? ego numquid abierim?* quam lect. servat quoque Werth. in Mur. *Quod enim genus figuræ est? mihi quo vigor abiit;* in Voss. *ego non quod adierim?* in Græv. *ego quod non habuerim*, contra metrum: V. D. in Obs. Mis. l. c. ex quodam cod. profert, *Quonam mihi vetus figura, quo vigor abierit?* et cum in alio cod. deesset *quo*, legendum existimat, *Quo mi vetus figura heu heu, quo vigor abiit?* Lect. nostra est ex conj. Scal. et servata est in Bip.—

NOTÆ

nunquam tetulissem pedem.'

56 *Ipsa pupula*] Seu 'pupilla,' est pars oculi minima, a qua tamen oculorum vis aut acies omnino pendet, quæ hic pro oculis usurpatur, ut apud Manilium lib. IV. 'Parvula sic totum pervisit pupula Cœlum.'

60 *Abero foro, palæstra, stadio, et gymnasiis*] Omnia enumerat adolescentibus grata et jucunda, et quorum spectaculis maxime solent gaudere. *Foro:* spectaculis ludorum forensium. *Palæstra*, Latine 'lucta' dicitur, ut apud Virgil. 'Exercent patrias, oleo labente, palæstras.' Aliquando sumitur pro loco in quo fit ejusmodi exercitatio, ut apud eundem Virgil. Æn. III. 'Pars in gramineis exercent membra palæstris.' *Stadio:* locus est stadium, in quo cursus seu currendi certamen celebratur. *Gymnasiis:* locus etiam proprie est Gymnasium, seu 'Schola,' ubi juvenes lucta, cursu, et saltatione corpora exer-

Ego puber, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnasii fui flos, ego eram decus olei.
Mihi januæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum.
Egone Deum ministra, et Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
Ego viridis algida Idæ nive amicta loca colam?
Ego vitam agam sub altis Phrygiæ columinibus,
Ubi cerva sylvicultrix, ubi aper nemorivagus?
Jam jam dolet, quod egi, jam jamque pœnitet.—

rim? Ego mulier, ego juvenis, ego ephebus, ego puer, ego fui gymnici ludi flos, ego palæstræ honos; mihi fores erant *crebrius* amicorum cœtu *frequentatæ; ostia domus* meæ eorum qui ad me adibant frequentia *calebant: mihi ædes erant floreis coronis* undique *ornatæ, cum mihi exorto jam Sole cubiculo esset exeundum. An ego dicar Divorum sacricola, et Cybeles serva?* An *ego Mænas?* An *ego dimidium mei?* An *ego homo sterilis ero?* An *ego* semper *habitabo Idæ nemerosæ regionem nive frigida rigentem?* An *ego sub excelsis Phrygiæ culminibus traducam totum vitæ spatium, ubi sunt tantum cervæ sylvicolæ, et apri per nemora vagantes? Nunc modo me cruciat, quod feci: nunc modo me* facti *pudet.*

63 *Ego mulier* in codd. et plerisque edd. vett. *Ego iuuber* legi jubet Dempster. Paralipom. Antiq. Rom. Rosin. lib. II. 1. Lect. nostra debetur Scal. et servata est in edd. recent.—64 Stat. legeret *gymnasî* metri gratia.—66 In omnibus Stat. codd. *circulis* pro *corollis;* idem Stat. conj. *floreis* pro *floridis.*—68 *Egone heu Deum* metri causa vult V. D. in Obs. Mis.—69 In Mem. e. *vis sterilis,* probante Passer. improbante Avant. in nonnullis edd. vett. *vix* pro *vir.*—70 *Ego vir'dis,* ut metro consulatur V. D. in Obs. Mis. in Scal. cod. *Ego viridis algida Idæ neamicta loca colam.*—72 Hic versus in Gryph. antecedenti præpositus est.—73 In edd. vett. et codd. Stat. *jam jamque;* in non-

NOTÆ

cebant. Quod sæpius nudi factitabant. Quæ omnia ludorum et exercitationum genera apud Græcos, unde natus erat Atys, maxime erant in usu.

64 *Ego gymnasii flos, decus olei*] Primus inter eos qui in gymnasiis nudi, et oleo peruncti, lucta, saltu, aut cursu exercebantur. Solebant enim palæstritæ Græci maxime oleo se perungere. Unde Horat. 'Psallimus, et luctamur Achivis doctius unctis.' Et Virgil. 'Exercent patrias, oleo labente, palæstras.'

65 *Limina tepida*] Summam amicorum frequentiam significat. Calere enim dicuntur loca, quæ frequentantur. Ita Cic. Philipp. II. 'Calebant in interiore ædium parte totius reipublicæ nundinæ.' E contrario dixit Persius, Sat. I. 'Vide sis, ne majorum tibi forte Limina frigescant.'

66 *Corollis redimita domus*] Indicat se multos habuisse sui amantissimos. Mos enim fuit apud Veteres, ut maxime amicorum aut amicarum postes et domus ornarent sertis et floribus; unde Tibull. lib. I. eleg. 2. 'Supplice, cum posti florea serta darem.'

Roseis ut huic labellis palans sonitus abiit,
Geminas Deorum ad aures nova nuntia referens,
Ibi juncta juga resolvens Cybele leonibus,
Lævumque pecoris hostem stimulans, ita loquitur:
Agedum, inquit, age ferox, i: face ut hinc furoribus,
Face ut hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea libere nimis qui fugere imperia cupit.
Age, cæde terga cauda: tua verbera patere:
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent:

Ubi vero *ipsi* Aty *vagus clamor purpureis labris exiit; statim* Dea *Cybele dissolvens juga leonibus* currum suum trahentibus *connexa, et ad eorum aures perferens nova hæc indicat, et sinistrum* currus sui leonem ceterarum *pecudum hostem stimulo excitans sic ait: Nunc age, ait, eia, o fera, propera, fac ut* Atys, *qui plus satis audax desiderat meam dominationem effugere, fac, inquam, ut furiis agitatus, et furoris æstro* percitus *istinc in sylvas pedem referat. Agedum,* o fera, *concute corpus* tuum *cauda* tua, *te verberibus* in furorem *concita, effice ut tota*

nullis edd. *jam jam quoque*, metro obstante.—74 In omnibus Stat. codd. *Roseis ut huic labellis palam sonitus adiit;* Mur. dedit, *Roseis ut hic labellis abiit sonitu' palam;* Scal. *Roseis ut huic labellis palans sonitus abiit;* et Voss. *Roseis ut hinc palam labellis sonitus adiit*, improbante Doer.—75 'Hic versus, qui omnino salvo sensu abesse potest, jam suspectus fuit Mureto, nunc autem plane repudiatus et ejectus est a Werth. Sede tantum sua motus et post sequentem versum positus est a Scal. *Geminas eorum* pro *Geminas Deorum legente.* V. D. in Obs. Mis. tentat, *Geminas Deaï*, h. e. Cybeles.' *Doer.*—76 *Ubi juncta* Stat. Werth. ut numeris succurreret, pro *leonibus* rescripsit *Domina feris;* putat nimirum τὸ *leonibus* glossam fuisse τοῦ *feris*, quæ imperitiorum librariorum culpa genuinæ lectionis locum occupaverit: hanc conj. improbat Doer.—77 *Sævum pectoris hostem* Gryph.—78 In Stat. codd. *Agedum, inquit, age, ferox fac ut hunc furor;* vel, *Agedum, inquit, age ferox ut hunc furor;* Avant. conj. *Agedum, inquit, age ferox, hunc agedum aggredere furor,* quod reposuerunt Ald. Junt. Gryph. Mur. alii: in codd. Voss. ut in uno Stat. *ferox fac ut hunc furor;* cui suppleri vult Ed. Cant. *agitet*, vel ejusmodi aliquid. Werth. dedit, *Agedum, inquit, age ferox, hunc agedum aggredere ferox.* Lect. nostra debetur Scal. qui invenit in cod. suo et edd. antiquiss. *Agedum, inquit, age ferox, fac ut hunc furoribus.*—79 In Scal. codd. *Fac ut hunc furoris;* in edd. vett. *Fac ut furoris.*—80 In Scal. cod. *Mea libera nimis;* unde legit, *Mea liber ah nimis.*—81 In nonnullis codd. *tua verumvera;* in Pat. *veruuera;* sed in Maff. l. *verbera.*—82 In duobus Stat. codd. *loca retonent;* in uno ejus-

NOTÆ

76 *Cybele leonibus*] Fingitur Cybeles currus a leonibus trahi; ex quo ipsam dicit Catullus leonem, qui Atyn reditum in patriam cogitantem, sortemque suam lamentantem terreret, ut in sylvam reduceret, emisisse.

77 *Lævum hostem*] Ad lævam currus sui junctum. Fingitur Cybele Hippomenem et Atalantam in leones convertisse, quos suo currui subjugavit.

78 *Agedum*] Verba sunt Cybeles leonem irritantis, eumque hortantis ut furorem in Atyn exerat, eumque in nemora reducat.

Rutilam ferox torosa cervice quate jubam.—
Ait hæc minax Cybelle, religatque juga manu.
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animum:
Vadit, fremit, refringit virgulta pede vago.
At ubi ultima albicantis loca littoris adiit,
Tenerumque vidit Atyn prope marmora pelagi:
Facit impetum. Ille demens fugit in nemora fera.
Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit.—
Dea, magna Dea, Cybelle, Didymi Dea domina,
Procul a mea tuus sit furor omnis, hera, domo:
Alios age incitatos, alios age rabidos.

regio tuo *frementi rugitu personet, et furens quate robusta cervice fulvas comas. Hæc dicit minas intentans Cybele, ac resolvit manu* sua *juga* ferarum. *Ipsa* vero *bellua sese concitans rabidum concipit furorem, currit, rugit, erranti cursu arbusta revellit. At postquam ad extremas oras actæ pervenit, juvenemque Atyn conspexit juxta maris undas, irruit* in eum. *Atys perterritus diffugit in sylvas opacas. Illic jugiter per totum vitæ suæ tempus* Cybeles *ministra fuit.* O *Diva Cybele, o magna Diva, o Diva Dindymi Regina; longe absit, o Domina, a meis ædibus qualiscumque ira tua.* O Dea, *alios impelle in furorem* istum, *alios rabie* ista *exagita;* sed me liberum dimitte.

dem *redundent: loca* deerat, inquit Avant.—85 Stat. codd. et Voss. fere omnes habebant *adortalis* pro *adhortans;* in Rheg. *adortatus lis;* unde emendarunt VV. DD. *sese adhortans.* ' At Voss. cum Mediol. haberet, *ad ora talis,* et Palat. *ipse adertalis,* reposuit *ardore talis,* vel *arde talis* ἀρχαϊκῶς pro *ardore,* parum probabiliter.' *Doer.*—86 In omnibus Stat. et Avant. codd. *Vadit, fremit, refringit;* et sic est in ed. Parth. Mur. dedit, *Vadit, tremit, refringit;* in edd. Voss. Vulp. Gott. Werth. Bip. *et refringit,* improbante Doer.—87 ' *At ubi humida* Voss. et ejus comites: antiquior et elegantior est nostra lectio.' *Doer.*—91 In Stat. codd. *domina Dindymei;* hoc est solum vestigium veteris scripturæ inquit Statius; E enim longum per EI antiqui scribebant: in Venet. an. 1500. *Dea domina Didymi;* in Gryph. *Dea Dindymi domina;* in Mur. *Dea domina Dindymi.* Lect. nostra, jam probata aliis, debetur Scaligero.

NOTÆ

83 *Torosa cervice*] 'Tori' dicuntur partes carnis musculosæ, in quibus est robur; unde *torosa* pro 'robusta' et 'valida' sumitur.

91 *Magna Dea*] Cybele *magna Dea* vocatur, quod nempe Deorum sit mater; quam Poëta enixe precatur ut ipsa a se amoveat similem, quo percitus fuit Atys, furorem.

CARMEN LXIV.

Cum hoc, quod sequitur, carmen omnium, quæ a Catullo ad nos pervenerunt, longissimum sit ac pulcherrimum, non abs re alienum esse putamus paulo liberius evagari, et quibus lector monendus esse videtur, hic in unum locum, præfationis more, congerere. Dispiciamus primum de ipso hujus carminis argumento, in quo quidem enarrando ita nobis versari liceat, ut ea simul, quæ ad pulchritudinem hujus carminis rite æstimandam pertinere videntur, passim aspergamus, et ad observandam singularem plane artem, qua in diversis fabulis inter se connectendis usus sit poëta venustissimus, digitum intendamus.

Orditur carmen ab Argonautarum expeditione. Nereides, ob insolentiam novi navigii admiratione perculsæ, subito emergunt ex æquore, Thetisque et Peleus mutuo amore accenduntur.—Mox nuptiæ apparantur, sternitur lectus genialis, et totius regionis incolæ, nuptialem, ut fit, apparatum spectaturi, undique confluunt. Inprimis admiratione eos defixos tenet vestis lecto geniali vel pulvinari instrata, mira arte confecta, et priscis hominum variata figuris.—Hic sponte accuratius hoc peristroma ζωστὸν una cum astantibus perlustrandi in animo lectoris suboritur cupiditas; cui quidem ut satisfaceret poëta, exemplum eorum, qui ejusmodi argumenta, vestibus vel aliis rebus intexta, fusius exponere et verbosis descriptionibus exornare solent, secutus est. (Sic Jasonis chlamydem, Palladis donum, magnifice describit Apollon. Rhod. I. 730—65. cf. Heyne ad Virgil. Æn. v. 250—57. Excurs. IV. p. 538.) —Jam finge tibi, astare huic ἐξηγητὴν quendam vel interpretem, qui populo, mira aviditate hæc omnia oculis et animo quasi devoranti, non solum quas textura exhibet figuras et fabulas, sed singularum etiam causas et eventus declaret; et hinc explicandum censeo illud 'ferunt,' 'perhibent,' et id genus alia, quæ passim in hac narratione occurrunt.—Conspicitur autem in illa veste stragula primum Ariadnes, e Naxi littore, ubi illa deserta erat, Theseum in fuga e longinquo oculis persequentis, egregie adumbrata imago. Misera puella in illo ipso temporis articulo, quo primum somno excita se relictam sentit, oculis in navem Thesei plenis velis avolantem conjectis 'saxea ut effigies bacchantis' prospicit, hæret attonita et ingenti curarum æstu fluctuat.—Jam, si observaveris, sermonem hic esse de pictura, in qua, ut præclare in Laocoonte docuit Lessingius, nobilissimum et ἐνεργότατον actionis momentum exprimi debet ab artifice; quid, quæso, efficacius ad spectatorum animos dolore et commiseratione permovendos cogitari potest, quam sic et in hoc potissimum statu descripta Ariadne, quæ, ab amatore derelicta in solitudine deserti littoris, oculis desiderio tabescentibus in mare vastum prospicit! Habet hoc ipsum horroris aliquid, fingere sibi hominem ad mugientis maris fluctus in littore querelas fundentem, unde jam Homero littus fundendis precibus et querelis locus aptissimus visus est. Neque illud prætermittendum est, quod poëta summo dolore percussam Ariadnen neque comas sibi evellentem, neque pectora tundentem, neque alia summi luctus signa edentem (cf. vs. 223. et 351. seqq.), sed stupore tantum defixam, et

cultum puellarem negligentem sapienter exhibuerit, quod quidem ipsum insigni ejus, qua prædita fuit, formæ pulchritudini (vs. 89. 90.) novum addit lenocinium. Quod igitur recentioris artis Critici et elegantiores veræ pulchritudinis spectatores præcipiunt, pictoribus fictoribusque imaginum in exprimendis animi perturbationibus vel maxime cavendum esse, ne oriatur turpitudo et deformitas, sed venustatis et decoris diligenter habeatur ratio, id apprime a poëta nostro observatum esse, non sine voluptate animadvertimus. Vide quæ ad Laocoontem Lessingii observavit *Herderus* olim in *Sylva Critica* vol. II. p. 244. adde *Hagedornii* 'Betrachtungen über die Malerey,' cet. IX. p. 108. Nec multum intercedam, si quis poëtæ in hac Ariadnes adumbranda imagine veram aliquam picturam vel statuam certe ob oculos versatam esse contendat et sibi persuadeat. Placuisse enim hoc argumentum in antiquitate artificibus, vel ex iis monumentis, quorum memoria ad nos pervenit, abunde patet. Inprimis digna est quæ conferatur pictura in Picturis Herculanensibus T. II. tab. 14. cf. Plin. Hist. Nat. XXXV. 11. s. 35. et Junius in Indice Artificum s. v. *Aristides*.—Proposita autem hac Ariadnes imagine, ipse poëta partes agit interpretis, et ad fabulam de amore Ariadnes et cæde Minotauri latius explicandam pergit.—Hinc ad locum pulcherrimum de variis animi commotionibus, quibus misella illa agitatur, progreditur; et post alia, quæ summo dolori conveniunt, dirarum denique, quibus illa caput Thesei devovet, mentione injecta, ad pœnam, quam mox a Theseo repetierit Jupiter, transit, fabulaque de Ægeo, in mare se præcipitante, subortam sensim ex Thesei perfidia in animis lectorum indignationem quodammodo abstergit.—Errant autem, qui hæc omnia telæ intexta esse arbitrantur, quod nullo modo nec e verbis poëtæ elici, nec, quomodo in peristromate illo commode exprimi potuerint, cogitari potest; licet hanc sententiam nuperrime exornaverit Doctissimus hujus carminis interpres Mitscherlichius in Lectionibus Catulli p. 41.—His omnibus igitur, quæ ad pleniorem Thesei historiam pertinere viderentur, expositis, ad explicationem alterius picturæ, quæ in veste illa stragula conspiciebatur, poëta convertitur. (vs. 252.) Bacchus, cum thiaso et pompa Bacchica insulam illam pererrans, ad perditam et animo desperantem puellam advolat, ejusque amore incenditur. Subit hic quoque mirari prudenter poëtæ institutam rationem, qui, cum inclytas illas Ariadnes cum Baccho nuptias, in quibus describendis ad nauseam usque luxuriat Nonnus Dionys. XLVII. uberius persequi, et quod sequioris ætatis poëta v. c. Claudianus ambabus, quod aiunt, arrepturus fuisset, commode jam ad Pelei nuptias transferre posset, hæc omnia consulto prætermisit silentio, et præter ea, quæ ad picturam declarandam facere viderentur, ne verbulum quidem addidit.—Fortasse in hac quoque pictura ad certum aliquod, quod tum extaret, artificis monumentum poëta se composuit. Nam cum in hoc argumento pompæ Bacchicæ parerga scitissime exprimi possent, et Bacchanalium imagines in universum frequentissime effingerentur (quod ex infinita fere anaglyphorum, gemmarum, et statuarum, quæ hac de re adhuc supersunt, multitudine recte colligere possumus); lubentissime sane huic argumento tractando et exornando operam suam addixerunt veteres artifices. Juvabit hic quoque contulisse tabulam Herculanensem in Picturis Herculanensibus Tom. II. Tab. 16. cf. Bellorii Admirand. Rom. Antiq. XLVIII. et quæ e Lip-

perti Dactyliotheca laudavit jam Gurlitt. Nec pœnitebit ad comparationis suavitatem legisse Philostratum Icon. I. 15. p. 786. edit. Olear.; unde, quantum nativa nostri poëtæ pulchritudo anxie quæsitis pigmentis et ornamentis antistet, optime discere poterunt tirones, harum elegantiarum studiosi.—Jam poëta a diverticulis, in quibus summa cum voluptate lectorum liberius exspatiatus fuerat, redit ad nuptias Pelei et Thetidos.—Major scena adornatur.—Cedit Diis adventantibus vilior spectatorum plebecula, (ad eos enim pertinet Homericum, Iliad. XX. 131. χαλεποὶ θεοὶ φαίνεσθαι ἐναργεῖς.)—Succedunt thalamo primum heroës cum muneribus nuptialibus, deinde reliqui Dii, et mensis accumbunt. Et hic est consessus ille augustissimus, quem Pindarus celebravit Nem. IV. 107.

Εἶδεν δ' (sc. Peleus) εὔκυκλον ἕδραν,
Τᾶς οὐρανοῦ βασιλῆες
Πόντου τ' ἐφεζόμενοι
Δῶρα καὶ κράτος ἐξέφα-
ναν ἐς γένος αὐτῷ.

At eas partes, quæ in his nuptiis a Pindaro (Pyth. III. 158. sqq.) Musis et in veteris mythi vestigiis Diis in universum tribuuntur apud Apollodor. III. c. 13. p. 259. (edit. Heyn.) θεοὶ τὸν γάμον εὐωχούμενοι καθύμνησαν, egregio invento ad Parcas transtulit Catullus. Adsunt igitur genitales Deæ (cf. Spanhem. ad Callimach. H. in Dian. 22. p. 185. edit. Ernesti.) his nuptiis, et magnæ soboli inde orituræ fatalia stamina deducentes hymenæum canunt.—Fecerant hoc Parcæ jam in Jovis nuptiis, ut patet ex loco satis diserto Aristoph. Avv. vs. 1734. Nec vitio verti debet poëtæ, quod, quæ de Achille vaticinantur, nimis aperta sint, nec tortuosis, pro more vaticiniorum, anfractibus implicita, præcipue cum ipsis Diis, futurarum rerum optime gnaris, præsentibus hæc canerent sorores fatidicæ.—Finito hymenæo et carmen finire poterat poëta, sed egregie ad capiendos lectorum animos, suavissimum post tot mythorum enarrationem addere illi placuit epilogum; in quo quidem si legimus, frequenter adhuc tunc temporis Deos interfuisse mortalium cœtibus, sceleribus eorum nondum ab iis alienatos, facilius omnino, hæc omnia evenire potuisse temporibus heroicis, animus noster persuadebitur.—Atque hæc sunt quæ de argumento præfari visum est.

Duplex in antiquioribus et recentioribus editt. hujus carminis circumfertur inscriptio. Prior et antiquior illa Argonautica, haud dubie ab exordio carminis efficta, ab universo carminis argumento quam maxime abhorret, et jure meritoque a plerisque fere jam diu repudiata est.—Altera, et vulgo nunc fere recepta, hujus carminis inscriptio est Epithalamium Pelei et Thetidos; quæ tamen et ipsa ab iis, qui totum hoc carmen ad normam Epithalamiorum, quæ ex antiquitate ad nos pervenerint, exigerent, sæpius jam impugnata et in disceptationem vocata fuit. Sed priusquam tam ipsam hujus carminis inscriptionem plane rejicimus, quam totam carminis œconomiam acriter cum aliis reprehendimus, de ipso, quo illud a poëta scriptum sit, consilio paulo diligentius quærendum videtur. Jam vero Catullum non eo consilio ad hoc scribendum carmen accessisse, ut nil nisi Pelei et Thetidos epithalamium caneret, cum ex aliis causis tum ex toto carminis habitu et intextis longioribus digressionibus, quas respuit plane

veri epithalamii ratio, satis certe colligere possumus. Quodsi enim Catullus uni harum nuptiarum argumento operam dare voluisset, illi profecto non longius fabularum ornamenta petenda fuissent, sed eidem in hoc ipso pertractando argumento campus, ubi exultaret ejus ingenium, patuisset amplissimus (vide, verbi causa, complures ad has nuptias spectantes fabulas in farragine illa apud Tzetzem ad Lycoph. vs. 178. cf. Heyne ad Apollodor. p. 794. sqq.). Sed si cogitamus nihil aliud spectasse in hoc carmine pangendo Catullum, nisi ut, invitatus celebrandis Pelei et Thetidos nuptiis, alias simul, quas ætas Græcorum heroica et mythica suppeditaret, fabulas laxiore fictionis cujusdam vinculo connexas et copulatas versibus exponeret, et sic lectores, per amœnissima Musarum diverticula ductos, et aliorum, quæ præ ceteris illi arriderent, mythorum expositione delinitos, varietatis sensu suaviter demulceret; facile apparet, et ipso poëtæ consilio ipsum carmen quoque dijudicandum esse. Quod quidem si recte perpensum esset a Viris Doctis, magis forsan a virgula illa censoria, qua digressiones hujus carminis vel ut nimium prolixas et copiosas, vel ut parum inter se aptas et copulatas notarunt, sibi temperassent. Sic Duschius in libro vernaculo Briefe zur Bildung des Geschmacks, (Vol. III. p. 227.) totum carmen male inter se cohærere et digressionibus longe petitis laborare, multis docere studuit: cujus vestigia deinde legit Degenius in versionum libello, 'Deutsche Anthologie der romischen Elegiker' p. 378. Nec mollius ipse Magnus Heyne de carmine nostro sentit ad Virgil. Tom. IV. p. 4.—Quanquam autem huic carmini, si a fatidico illo Parcarum cantu sub ejus finem discesseris, nihil fere insit, quod commode ad Epithalamii, proprie sic dicti, genus referatur, et recte omnino 'parvum Epos' cum Doctiss. Gurlitt nominari queat, idem tamen, cum præcipue in honorem nuptiarum Pelei et Thetidos compositum sit, haud inepte, latiori sensu, 'epithalamii' nomine insigniri posse videtur. Cf. Argumentum ad Carm. in Nupt. Jul. et Manl.—Missis igitur omnibus, quæ ad pretium hujus carminis elevandum in medium prolata sunt, fruamur nitidissimis flosculis, quos undique et ex dissitis quasi regionibus poëtæ decerpere volupe fuit, nec varietate colorum et odorum bene inter se permixtorum majorem nobis conciliari suavitatem indignemur.—

Restat alia quæstio, in qua constituenda multum laborarunt, sed parum perfecerunt interpretes. Cum enim Catullum, diligentissimum Græcorum poëtarum imitatorem, hic quoque fontes eorum in areolas suas derivasse e toto poëmatis colore dilucide appareat, diu multumque quæsitum est, quos potissimum imitatione sibi exprimendos sumserit. Fuit Hesiodi *ἐπιθαλάμιον εἰς Πηλέα καὶ Θέτιν* a Scaligero jam laudatum; cf. Heyne ad Apollodor. p. 764.—fuit aliud Agamestoris Pharsalii, e quo nonnulla profert Tzetzes ad Lycoph. 178. Sed neutrum a Nostro exprimi potuit, cum ipse, ut supra monitum est, noluerit concinnare epithalamium; vel, si quædam inde in usum suum converterit, (quod ex instituta comparatione vs. 25—27. cum fragmento Hesiodeo probabile fit,) in paucis certe hoc factum, et plurima in illa Ariadnes fabula ab aliis potius mutuatus videtur.—Extat apud Ciceronem in epistolis ad Atticum VIII. 5. fragmentum veteris poëtæ—*ῥίψαι Πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα*, quod cum egregie respondeat versui illi de Minotauro vs. 111., satis probabili conjectura suspicari possis,

Catullum in fabula de Ariadne veterem illum, quem ignoramus, hujus fragmenti poëtam expressisse. Omnino autem satis fidenter statuere possumus, Catullum non ad unum aut alterum tantum poëtam imitandi studium attemperasse, (quod fecit in carminibus quibusdam κατὰ πόδα e Sappho et Callimacho translatis) sed undique, 'apis Matinæ More modoque,' per hortulos Græcorum circumvolitasse et suavissima quæque delibasse, id quod ex apertis, quas in hoc carmine deprehendimus, Græcorum poëtarum imitationibus plus satis apparere puto. Sic ex Homerico Hymno in Cererem nuperrime reperto, pluscula nostrum derivasse præclare docuit Ruhnkenius in præf. ad H. in Cerer. p. 12. sq. Sic e Theocriti Idylliis, et inprimis ex Adoniazusis, loca plura imitatum esse nostrum passim observavit Valckenarius ad Adoniaz. 127. p. 406. Sic Apollonium Rhodium plus quam viginti locis a nostro non adumbratum, sed vere expressum esse diligenter docuit Mitscherlichius in Lect. ad Catull. Sic denique manifesta in vs. 164. deprehenditur imitatio Lycophronis Cass. vs. 1451., quem in aliis quoque locis ante oculos habuit. In universum autem visus sum mihi animadvertere, præ ceteris nostrum imitatum esse poëtas Alexandrinos, quorum, ni sensu nostro fallimur, genium (cf. Heyne Opuscul. Vol. I. p. 92.) totum hoc carmen spirat.—Ipsum vero Catullum studiose deinde imitati sunt alii; v. c. Virgil. in Cir.; quem sedulo jam cum nostro comparavit Lenzius p. 82.—De Epistola Ariadnes ad Theseum apud Ovid. Heroid. x. lege quæ disputat Gurlitt. p. 87. seqq.

EPITHALAMIUM PELEI ET THETIDOS.

PELIACO quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas

Pinus in monte Pelio ortæ dicuntur olim enatasse per vastos fluctus Neptuni,

In codd. quibusdam Inscriptio est, *Epithalamium Thetidis et Pelei*: in edd. vett. *De Nuptiis Pelei et Thetidos*; in aliis, ut et in Marcilii membranis, *Argonautica.*

NOTÆ

Epithalamium [*De Nuptiis*] *Pelei et Thetidos*] Thetidos et Pelei nuptias celebraturus Poëta Carmen elegans a Colchica Argonautarum expeditione ingeniose orditur, describensque regium nuptiarum apparatum, occasione data in Thesei et Ariadnes amores digreditur; ac tandem ad scopum et rem inchoatam reversus, Parcas carmen nuptiale canentes, et Achillis fata prædicentes inducit. Male autem a pluribus inscribitur hoc Poëma *Argonautica*, cum tantum Catullus ab Argonautarum navigatione exordium duxerit, ut commodius Pelei et Thetidos nuptias decantandas aggrederetur. Nonnulli sunt etiam, qui hoc carmen *Epithalamium* dici velint; sed alii repugnant, quod a virginum choro, quæ hic non comparent, cani soleret Epithalamium.

1 *Peliaco*] Thessaliæ mons est Pelion in sinum Pelasgicum incumbens, a quo derivatur *Peliacus*. De Pelio vide Plin. lib. IV. 8. et Diodor. qui lib. IV. 4. scribit Jasonem navim Argo juxta Pelion ædificasse.

Pinus] Id est, navis ex arboribus pineis confecta; est enim pinus arbor navigiis aptissima: unde Virgil.

Phasidos ad fluctus, et fines Æetæos:
Cum lecti juvenes, Argivæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,

ad fluvii *Phasidis ripas, et* ad *limites Æetæos: quando juvenes electi, Argivæ juventutis vires, aureum vellus Colchis eripere cupientes, aggressi sunt mare salsum nave celeri trajicere, sulcantes cæruleas undas, remis ex abiete confectis:*

3 *Ææteos*, sive *Æætæos*, in nonnullis edd. vett.—4 In quibusdam Stat. codd. *læti juvenes;* et sic in Scal. 1. et edd. vett. in Heins. codd. *læsi.* In

NOTÆ

'Dant utile lignum Navigiis pinus.' Græci porro dicunt Poëtæ ex quercu Dodonea, in qua fuerat Jovis oraculum, confectam fuisse istam navim; unde et sermonis usum habuisse dicitur, et hinc Val. Flaccus eam fatidicam ratem appellavit.

3 *Phasidos ad fluctus*] Colchidis fluvius est Phasis, qui ex Armeniæ montibus nascens in Pontum Euxinum illabitur. Colchis autem regio est Asiæ, ab ortu habens Iberiam, a Septemtrione, Tauri montis partem, a Meridie Phasidem fluvium, et ab occasu, Pontum Euxinum. Ibi regnasse dicitur Æetas Rex, a quo Colchidem vocat Catullus *fines Æetæos.* Illuc Jasonem cum Argonautis navigasse ferunt, Medeæque filiæ regis, quæ Jasonem deperibat, artibus vellus aureum inde retulisse.

4 *Lecti juvenes*] Heroës fuerunt numero quinquaginta, inter quos maxime enituit Jason, qui navis et expeditionis fuit auctor, ut scribunt Val. Flaccus et Diodorus. Dicuntur autem *Argivæ robora pubis*, hoc est, Græcæ juventutis flos et vires; Græci namque dicti sunt Argivi, sicut et Achivi, Danai, Graii, Pelasgi, &c. Catullum imitatus Virgil. Æn. VII. dixit: 'Dardana pubes;' et 'Agmina densantur campis, Argivaque pubes,' &c.

5 *Auratam Colchis avertere pellem*] De Vellere aureo hæc vulgo feruntur. Athamas Thebarum rex ex uxore Nephele Phrixum et Hellen suscepisse dicitur; qui, mortua Nephele, Ino superduxit uxorem, quæ tanto odio in privignos flagrabat, ut Sacerdotes corruperit, qui Athamanti oraculum consulenti responderent opus esse ex Nephele genitos Diis sacrificari. Quod cum Athamas exequi vellet, Nephele, quæ jam Dea facta erat, filios suos eripuit, et a Mercurio arietem velleris aurei impetravit, quo in Colchos ad regem Æetam Solis filium transveherentur. Helle quidem transfretando ex ariete decidens in mare periit, a quo Hellespontus dictus est; Phrixus vero cum in Colchos pervenisset, arietem Jovi mactavit, ejusque pellem auream in luco Martio in quadam quercu, alii volunt in templo, suspendit. Quam servante dracone Jason Æsonis filius, collecta Argivorum manu, fabricata navi Argo, Medeæ auxilio et artibus surripuisse, et in Græciam exportasse dicitur. Fabulam hanc apud Græcos Apoll. R. et Diod. Sic. l. IV. apud Latinos Ovid. et Val. Flaccus pluribus pertractarunt. Vellus istud Suidas ait, librum fuisse in pellibus scriptum, quo ratio auri conficiendi continebatur.

Cœrula verrentes abiegnis æquora palmis:
Diva quibus, retinens in summis urbibus arces,
Ipsa levi fecit volitantem flamine currum;
Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor,
Tortaque remigio spumis incanduit unda;
Emersere feri candenti e gurgite vultus

per quos Dea ipsa quæ præest arcibus, in editissimis urbium locis, pineas trabes contexens curvæ carinæ ædificavit currum tenui vento volantem. Hæc fuit illa navis quæ omnium *prima navigationem docuit Amphitriten* hactenus *inexpertam. Quæ* navis *ubi primum prora agitatum mare sulcavit, et fluctus remis verberati spumis albescere cœperunt, ferinæ effigies,* scilicet *Nereides marinæ ex*

omnibus Stat. codd. et edd. Venett. *puppis* pro *pubis.*—7 Prisca lect. erat *vertentes;* Avant. legi jussit *verrentes.*—9 *Ipsa sui facie* Voss. e cod. suo, addita explicatione, 'ad morem et formam sui currus, quo in cœlo utitur, quoque nubes atque æthera tranat;' inepte, ait Doer. Stavern. ad Corn. Nep. p. 23. pro *currum* tentat *cursum,* improbante Doer.—10 Voss. dedit *inflexit,* ut referatur ad illud, *Ipsa sui facie:* pro *texta* Marcil. malit *tecta.*—11 Stat. et Corrad. conj. *primam,* improbante Doer. Voss. affert *prora* ex Mediol. quod si omnino retinendum sit, verba saltem sic inter se concilianda putat Mitsch. *Illa prora* (in primo casu) *rud. Amphitr. imbuit, quæ, &c.* aut scribendum *cursu proræ.* Titius ad Grat. Cyneg. vs. 65. pro *imbuit* conj. *impulit.* In nonnullis edd. vett. *Amphitritem.*—13 *Totaque r. s. incanduit* in omnibus Stat. codd. et nonnullis edd. vett. Scal. et alii legunt, *Totaque incanuit;* in aliis antiq. *Tortaque: τὸ incanduit* Apollonii λευκαίνεσθαι et Hom. λεύκαινον ὕδωρ stabiliri posse putat Mitsch.—14 Idem Mitsch. vel rescribendum censet, *Emersere freti c. e g. vultus Æquorei,* vel copulam *et* post *Æquoreæ* excidisse; quæ posterior ratio probata quoque fuit Heynio: at Lenz. conj. *Emersere feris c. e g. fultæ, &c.* cui favere videbatur Mosch. Europ. 114. seq. et Claud. x. 159. idem

NOTÆ

8 *Diva, retinens arces*] Minerva seu Pallas, arcium tutelam habere dicitur, utpote cui arces sunt consecratæ. Unde Virgil. Ecl. II. 'Pallas quas condidit arces Ipsa colat.'

9 *Volitantem currum*] Metaphorice navis 'currus volans' dicitur, quod imitatione terrestris currus, navis aquas percurrat.

11 *Prima imbuit Amphitriten*] Secundum fabulas Catullus ait navim Argo primam maria navigasse, ut Lucr. de eadem re scribens, 'Inde lacessitum primo mare, cum rudis Argos Miscuit ignotas temerato littore gentes.' *Amphitriten* pro mari posuit, quam rudem, et expertem hactenus navigationis dicit. Fuit autem Amphitrite, ut scribit Hesiod. Nerei vel Oceani filia, et Neptuni uxor: unde Dea maris dicitur, et pro mari sæpius sumitur. Ovid. 'Nec brachia longo Margine terrarum porrexerat Amphitrite.'

12 *Rostro*] Navis rostrum dicitur pars illa prominens juxta proram, et acuta in modum rostri avium; cujus inventor dicitur Piseus, ut scribit Plin. lib. VII.

Æquoreæ monstrum Nereides admirantes;
Illaque haudque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas,
Nutricum tenus extantes e gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit hymenæos,
Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit.

albicantibus undis prodierunt, prodigium hoc *suspicientes. Et* tunc *isto die et altero hominum oculi conspexerunt Nymphas æquoreas nudis corporibus e mari spumoso uberum tenus eminentes. Tunc* vero *Peleus dicitur captus fuisse Thetidis amore; nec tum Thetis humanos Hymenæos contemsit. Tunc* etiam *ipse* Nereus *parens consensit Thetidi* filiæ *Peleum conjugio esse copulandum. O semidei ni-*

tamen de integritate loci postea non dubitavit.—16 In omnibus Stat. codd. *Illa atque alia*, ut ultima τοῦ *Illa* non elidatur; in edd. vett. *Illaque atque alia*, ut legi jussit Avant. eidem Avantio et altera debetur conj. *Illaque haudque alia*, quam Vossio tribuunt.—17 In duobus Stat. codd. *oculis*, improbante Doer.—18 In omnibus Stat. codd. et uno Avant. *Nutricum tenus;* et sic in Venett. et Ald. 1. *Jam crurum tenus* in cod. Scal. et nonnullis edd. vett. *Umbilicum tenus* Voss. quod ascriptum quoque erat margini ed. Gryph. ap. Doer. —19 *Cui* vel *Quum* quædam vett. hic et in duobus seqq. vers.—20. 21 Unus Stat. cod. in utroque versu habet, *Tum Thetidi*. Pont. mutavit *sensit* in *sanxit*,

NOTÆ

15 *Nereides*] Nymphæ marinæ, Nerei et Doridos filiæ, primam navim Argo, tanquam rem novam et monstri similem cum admiratione intuebantur.

18 *Nutricum tenus*] Mammarum tenus et uberum, quæ nutrices dicuntur, quod nutriant fœtus, eminebant e mari Nymphæ, oculisque humanis sese permittebant.

19 *Tum Thetidis Peleus*] Notandum valde est duas ejusdem fere nominis Deas Marinas seu Nymphas fuisse; quarum tamen nomen vario modo scribitur, prima *Tethys*, prima producta syllaba, et cum aspiratione in secunda, et per *y*, Cœli et Terræ filia fuit, Oceani vero soror et conjux, ex qua et ipso Oceano nata est Doris, quæ Nereo nupsit, et ex eo peperit *Thetida;* cujus nominis prima syllaba aspiratur, et secunda per *i* scribitur. Hæc autem est ipsa de qua hic Catullus, quamque fingit tum primum Peleo fuisse adamatam, cum in expeditionem Colchicam cum Argonautis proficisceretur; cum tamen secundum rei veritatem ipsa Thetis Achillem Peleo peperisset, antequam cum iisdem Argonautis in Colchos navigaret. Peleus autem Æaci et Æginæ filius fuit, Jovis nepos, et Achillis, qui Pelides dicitur, pater.

21 *Tum Thetidi pater*] Jupiter, vel Nereus Thetidos pater in ejus nuptias tandem consensit. Nam cum Jupiter a Protheo audisset ex Thetide oriturum filium, qui paternam majestatem longe superaret; Nympham, cujus amore ardentissimo flagrabat, noluit attingere, sed nepoti suo Peleo ducendam concessit: timuit enim exemplum, quod ipse præbuerat, ne sicut ipse Saturnum patrem ejecerat, ita aliquando seipsum filii regno ejicerent. Unde Statius: 'Magnani-

O nimis optato sæclorum tempore nati
Heroës, salvete, Deum genus! o bona mater!
Vos ego sæpe meo, vos carmine compellabo.
Teque adeo eximie tædis felicibus aucte
Thessaliæ columen Peleu, quoi Jupiter ipse,
Ipse suos Divum genitor concessit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene suam Tethys concessit ducere neptem,
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quæ simul optatæ finito tempore luces
Advenere, domum conventu tota frequentat

mium felici sæculorum ævo geniti, salvete, Divorum soboles! o bona mater! ego vos frequenter interpellabo meis versibus. Sed te inprimis, o Peleu, Thessaliæ præsidium et decus, tam felici conjugio vehementer ornate; cui Jupiter ipse Deorum pater cessit suos amores. An te cepit, o Peleu, *Thetis Neptunine formosissima? An tibi permisit Tethys habere uxorem neptem suam? An id etiam concessit Oceanus, qui undis* suis *universum orbem terrarum cingit? Ubi* vero *dies nuptiarum expectati destinato tempore advenerunt, omnis Thessalia* magno



quem secuti Mur. Voss. Vulp. et Ed. anon.—25 In nonnullis vett. *Thetidis*, pro quo legi jubet Avant. *tedis:* in omnibus Stat. codd. *Thetis.*—26 In quibusdam *Æmathiæ columen;* haud dubie ex glossa, inquit Doer. in aliis *tutamen:* nonnullæ vett. pro *quoi* habent *cum* vel *cui.*—30 *Oceanusque pater* in edd. vett. cum Mur. Gryph. et aliis: in omnibus Stat. codd. *Oceanusque mari*, probante et defendente Mitsch.—31 *Qui simul o. f. t. lucis* in marg. Venet. improbante Mitsch.—32 *Ut venere* Voss. Vulp. et Bach ad Tibull. p. 289.—

NOTÆ

mum Æaciden, formidatamque Tonanti Progeniem, et patrio vetitam succedere cœlo.'

25 *Tædis felicibus aucte*] Quem nimirum tam fortunato connubio cumularit Jupiter, ut suos ipsi amores concesserit, ut sequentia indicant verba.

26 *Thessaliæ* [*Æmathiæ*] Regio est quæ et Thessalia et Macedonia dicitur.

27 *Divum Genitor concessit amores*] Thetidem habere tandem permisit. Ovid. Met. XI. 'Nempe senex Thetidi Protheus prædixerat udæ, Concipe; mater eris juveni, qui fortibus armis Acta patris vincet, majorque vocabitur illo. Ergo ne quicquam mundus Jove majus haberet, Quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes Jupiter, æquoreæ Thetidis connubia vitat: Inque sua Æaciden succedere vota nepotem Jussit, et amplexus in virginis ire marinæ.'

28 *Pulcherrima Neptunine*] Filiarum Neptuni formosissima. Simile est apud Theocr. et Callim. 'Ὠκεανίνη: et apud Virgil. 'Nerine Galatea.' Hic porro Neptunum cum Nereo confundit.

29 *Tene suam Tethys*] Hæc Tethys, prima producta, et cum aspiratione in secunda syllaba, est uxor et soror Oceani, mater Doridis, quæ ex Nereo genuit Thetidem, Tethyos et Oceani neptem.

Thessalia : oppletur lætanti regia cœtu :
Dona ferunt : præ se declarant gaudia vultu.
Deseritur Scyros : linquunt Phthiotica Tempe,
Cranonisque domos, ac mœnia Larissæa :
Pharsaliam coëunt, Pharsalia tecta frequentant.

concursu Pelei *regiam adit,* ejusque *palatium læto conventu completur.* Regi suo *munera offerunt, et aperte declarant vultu lætitiam* animo conceptam. *Scyros relinquitur, Phthiotica Tempe deserunt* omnes, *et Grajugenas domos, atque etiam* urbem *Larissam. Pharsalon conveniunt, Pharsaliasque domos* tan-

34 *Dona ferunt præ se; d. g. vultus* proposuit Lenz. improbante Doer.—35 *Phthiotica templa* tentat Lennep. ad Coluth. I. 7.—36 Antiqua lect. erat *Crannonis:* in codd. Stat. et Mur. *Gravinonisque domos*, ut in exempl. vetust. suo invenit Voss. in Vat. *Graninonisque domos:* Marcil. membr. Scal. cod. et alii codd. ap. Ed. Cant. cum Venett. Brix. Vicent. habent, *Grajugenasque domos:* ex libb. vett. *Critonisque* sive *Gritonis* affert Passer. *Cranonisque domos* est ex conj. Petri Victorii. Corbinellus, inquit Stat. in codd. fuisse scribit *Gyrtonisque domos*, eamque lect. confirmari testimonio Apoll. R. I. Pro *ac mœnia Larissæa* legitur in Stat. codd. *ac nitens Alacrissa*, vel, *ac nitentes Alacrissea*, vel, *ac nitentis alacrissæa;* in Vat. *ac Nicenis alarissa;* unde Stat. conj. *Arne tenus ac Larissa:* in aliis codd. *ac nicenis alacrisea*, vel *Larisæa*, uti est in Voss. libro.—37 *Pharsalon* sive *Pharsalum* Pont. Scal. et alii : *Pharsala tecta* in Venett. et aliis edd. vett. *Pharsalia* debetur Avantio : Scal. etiam

NOTÆ

35 *Deseritur Scyros*] Ægæi maris est insula Scyros objecta littori Thessalico, olim 'Phœnice' dicta, Homeri sepulcro veneranda, cujus Strabo lib. IX. et Plin. lib. IV. meminerunt. Clarissima fuit propter Achillis cum Lycomede affinitatem, et propter Achillis filium Neoptolemum ibidem, dum lateret Achilles inter Lycomedis filias, procreatum et educatum.

Phthiotica Tempe] Tempe locus est in Thessalia amœnissimus, quinque millium passuum longitudine, et sex fere latitudine, jucundissimo nemore consitus ad Peneum fluvium. Nemus ultra visum hominis attollentibus se dextra lævaque leviter connexis jugis, intus sua luce viridante allabitur Peneus viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, et canorus avium concentu. Dicuntur porro Phthiotica Tempe ab urbe vicina Phthia, vel a Phthiotide, quæ est pars Thessaliæ. Horat. I. Od. 7. dixit : 'Thessala Tempe.'

36 *Cranonisque* [*Grajugenasque*] *domos*] Græci dicti sunt 'Graii,' vel 'Grajugenæ' a Graio rege. Virgil. Æn. III. 'Grajugenumque domos, suspectaque linquimus arva.'

Mœnia Larissæa] Plures fuerunt urbes nomine Larissæ; sed hic locus de Larissa Thessaliæ civitate intelligitur, de qua Strabo lib. IX. et Plin. lib. IV. Ab hac dictus 'Larissæus Achilles.'

37 *Pharsaliam* [*Pharsalum*] *coëunt*] Pharsalus oppidum Thessaliæ est ad Enipei fluminis ripam situm : unde vicini campi 'Pharsalici' vel 'Pharsalii' dicti sunt, in quibus duorum ingentium bellorum civilium procellæ detonuerunt : primum inter Cæsarem et Pompeium, deinde inter Augustum, et percussores Cæsaris Bru-

Rura colit nemo; mollescunt colla juvencis:
Non humilis curvis purgatur vinea rastris:
Non glebam prono convellit vomere taurus:
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram:
Squalida desertis robigo infertur aratris.
Ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro, atque argento.
Candet ebur soliis; collucent pocula mensis:
Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Pulvinar vero Divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchylî purpura fuco.

tum *celebrant. Nullus agros exercet, remolliuntur bobus cervices: imbecillæ vites flexis sarculis non mundantur: terram aratro curvo non proscindunt boves: falcula putatorum non diminuit ramorum arborum umbraculum: ferrugineus situs relictis vomeribus obducitur. Sed quacumque late patet dives* Pelei *palatium, ejus atria rutilo micant auro et argento. Albicat ebur sedibus; resplendent mensis crateres. Universa Regia lætatur magnificis coruscans opibus. Thalamus autem conjugalis Deæ sternitur in mediis ædibus, quem ebore Indico cultum et ornatum operit ostrum purpureo succo muricis infectum. Ista stragula antiquis hominum*

conj. *Pharsalica*, aut *Pharsali.*—38 Hunc et quatuor seqq. versus transposuit Ramirez de Prad. ad Mart. I. 44. hoc ordine, 39. 41. 38. 40. 42.—40 In Stat. codd. *glæbam* per diphthongum.—41 Pro vet. lect. *frondatoris* legi jubet Avant. *frondatorum*: Lennep. ad Coluth. I. p. 33. hunc versum sic emend. *Non falce adtenuat frondator roboris umbram*, improbante Doer.—43 Hunc et seq. vers. sic refingit Heins. *Spissius at sedes quocunque opulenta recessu Regia fulgenti splendens auro atque argento*, ut sensus sit, 'sedes regia in omni ejus recessu spissius argento et auro splendet:' *splendens* nimirum accipit pro 'splendens est,' et hoc pro 'splendet.' *Regia fulgenti splendent* conj. Avant. —45 In Scal. 1. *mensæ*, quod recepit Ed. anon.—47 *Pulvinar* Scal. 1.—48 *Ædibus in mediis* in Venet. an. 1500. et Gryph. 2.—49 In Venet. an. 1500.

NOTÆ

tum et Cassium. De Pharsalo vide Strab. lib. VIII. et IX.

38 *Mollescunt colla juvencis*] Quia non trahunt aratrum ad jugum juncti, ex quo solent duritiem et callum in collo contrahere.

45 *Candet ebur soliis*] Ita pariter Virgil. Æn. VI. 'Candenti perfecta nitens elephanto.'

47 *Pulvinar*] Proprie est cervical e plumis, quod capiti subjicitur molliusculum; quo etiam nomine lectulus dicitur, qui quondam in templis sterni consuevit in honorem Numinis alicujus: unde lectisternium nuncupatur. Sed hic pulvinar est torus conjugalis, seu lectulus genialis, in quo nova nupta cum sponso cubitura est. De hoc Hieronym. Epist. ad Demetriadem: 'Cum jam nuptiarum appropinquaret dies, et futuro matrimonio thalamus pararetur,' &c.

Hæc vestis, priscis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans littore Diæ
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores:
Necdum etiam sese, quæ visit, visere credit;

formis distincta mirabili artificio Heroum præclara facinora repræsentat. Etenim Ariadne revolvens animo dolores invictos e littore procelloso Diæ Insulæ *procul intuens Theseum fugientem cum veloci classe prospicit, neque tum adhuc cognoscebat se esse eam ipsam quæ fuerat ante, quippe quæ vix jam expergefacta*

Gryph. 2. Mur. et Cant. *conchylis*; in Scal. 1. *conchilis*.—55 Varie hic versus in codd. legitur: Stat. affert, *Nec dum etiam seseque sui tui se credit*; unde conj. *Nec dum etiam sese quæ sit, tum credidit esse*: vetus scriptura, teste Scal. erat, *Nec dum etiam seseque sui cui credet*; vel, *Necdum etiam sese quo sit viscet sivi credet*, ex quo formata est, *Nec dum etiam seseque sui tui se credet*: unde idem Scal. conj. *Nec dum etiam sese quæ sit, vix et sibi credit*: in Venett. Brix. Vicent. Ald. Gryph. Mur. aliisque, *Necdum etiam seseque sui tum credidit esse*; Corrad. dedit, *Necdum etiam sese quo sit, visit, sibi credit*; Lennep. ad Coluth. I. 7. p. 34. conj. *Necdum etiam sese oblivisci Thesca credit*; Marcil. *Necdum etiam sese quæ sit, tum perdita credit*; Heins. *Necdum etiam sese ipsa suam tum credidit esse*. Lect. nostra, aliis jam probata, debetur Vossio.—

NOTÆ

50 *Hæc vestis*] Purpurea stragula, in qua miro artificio erant variæ imagines et figuræ Antiquorum pictæ, in quibus Fabula Ariadnes continebatur.

52 *Namque fluentisono littore Diæ*] Digrediens Catullus incipit Ariadnes Fabulam narrare, prout erat in illo tapete descripta. 'Hic autem reprehendi solet Catullus,' inquit Sebastianus Corradus, 'quod ad Thesei et Ariadnes Fabulam ita digrediatur, ut propositi oblitus esse videatur, et mehercule in ea digressione ita multus est, ut vix defendi possit, nisi dicat aliquis illum Poëtas Lyricos esse imitatum, qui cum neque gravia neque magna, sed amores, cœnas, et alia id genus, profiteantur, longius evagari possunt; ut Pindarus non sæpe modo, sed semper fere facit, et præsertim in Pythiis, ubi cum Arcesilaum pro Demophilo rogare constituisset, a re tamen ad nautas longissime discedit.' Recte quidem Corradus; longior est enim illa digressio, quam quæ ferri posset in Oratore; sed Poëtarum, maxime Lyricorum, alia est agendi ratio, ut comprobat Horat. III. Od. 11. ubi arrepta occasione e Fabula de Danai filiarum supplicio, digreditur ad suam Lyden, quam similes pœnas manere ait, si contumax esse pergat. Dia porro dicitur Naxos insula maris Ægæi una e Cycladibus, quæ etiam dicta fuit 'Strongyle,' 'Callipolis' et 'Dionysias.' Huc cum appulisset Theseus; Minotauro interfecto, rediens e Creta Ariadnen, cujus ope victor extiterat, et quæ eum noctu clam recedentem secuta fuerat, dormientem aufugiens, et accepti beneficii immemor, ibidem dereliquit. Cum vero Ariadne somno expergefacta sese proditam et derelictam intellexisset, et de Theseo

Utpote fallaci quæ tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena.
Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventosæ linquens promissa procellæ:
Quem procul ex alga mœstis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis prospicit Evoë:
Prospicit, et magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti strophio luctantes vincta papillas;

a somno, quo fuerat decepta, infelicem se videt derelictam in littore deserto. Sed Theseus *juvenis Ariadnen oblitus aufugiens mare tonsis verberat, relinquens promissa* sua *vana nimbosæ tempestati* rapienda. *Hunc procul Minois ex ulva marina lacrymantibus oculis, ut statua Mænadis Evoë exululantis intuetur, et ingentibus solicitudinum fluctibus agitatur; nec retinens in flaventi capite tenuem infulam, nec habens sinum contectum amiculo subtili, nec curans tumentes ma-*

60 Heins. conj. *ex acta.*—65 Stat. invenit *lactentis* in omnibus codd. præterquam in uno, in quo erat *lacentis;* unde conj. *lucentes:* Venett. Ald. Colin. et Gryph. exhibent *lactantes;* Vicent. *lactentes.* Isidor. hunc versum tribuens Cinnæ, legit *lactantes cincta;* Mur. et Marcil. *luctantes,* probante

NOTÆ

amatorie conquereretur: interim superveniens Bacchus illam duxit uxorem.

59 *Ventosæ procellæ*] Sæpius enim et quasi adagio dicuntur verba effectu carentia a ventis dissipari: unde alibi etiam Catullus: 'Sed mulier cupido quod dicit amanti, In vento, et rapida scribere oportet aqua.'

60 *Minois*] Ariadne Minois Cretæ regis filia, de qua etiam Catullus infra: 'qualem Minoidi luctum Attulerat.' Atque etiam Tibull. lib. IV. Eleg. 7. 'Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus.'

61 *Bacchantis Evoë*] Bacchæ seu Mænados, quæ cum furore discurrens, et 'Evoë' clamans, Baccho sacrificabat. Locum hunc expressit Ovid. Epist. Ariad. 'Aut ego diffusis erravi sola capillis, Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo. Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi; Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.'

63 *Vertice mitram*] Mitra fuit capitis tegmentum, quo maxime mulieres utebantur, ut ait Serv. in Æn. IV. mitra vero inter ceteros utebantur Lydi et Phryges.

65 *Strophio*] Strophium fuisse fasciam pectoralem, qua virginum intumescentes mammæ constringerentur plane hic indicat Catullus. De strophio Nonius: 'Fascia brevis est, quæ virginalem errorem cohibet papillarum.'

Luctantes] Quasi pugnantes ac strophium præ tumore repellentes. Alii legunt, *lactentes,* lacte plenas, candidas, et pulchras. Alii *lactantes* quasi per blanditias viros allicientes, ut apud Terent. in Andria.

Omnia quæ toto delapsa e corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.
Sed neque tum mitræ, neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
Ah misera, assiduis quam luctibus externavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas
Illa tempestate, ferox quo tempore Theseus
Egressus curvis e littoribus Piræi
Attigit injusti regis Gortynia tecta.

millas fascia pectorali præcingere. Quæ omnia e corpore Ariadnes disjecta hinc inde ad ejus pedes unda maris identidem *attingebat. Ipsa* vero *tum infulæ, tum amictus fluctuantis curam abjiciens, de te solo, Theseu, totis visceribus, tota mente, toto animo insana cogitabat. Ah quam infelicem* Ariadnen *continuis fletibus affligere destinavit Erycina, infundens in ejus animum molestas* amoris *solicitudines! Eo sæculo, eaque hominum ætate superbus Theseus e sinuoso portu Piræi Gortynias domos iniqui Regis* Minois *adivit. Ferunt enim quendam*

Mitsch.—66 Gurl. legit *tenero* pro *toto*, improbante Doer. *toto dilapsa* malit Marcil.—67 In plerisque edd. vett. *allidebant;* Avant. conj. *adludebant*, ut erat in codd. Stat. at Gesner. ad Colum. IV. 20. mavult *alluduntur*.—68 Pro antiqua lect. *fluctantis* Avant. legi jussit *fluitantis*.—69. 70 In edd. vett. *toto te pectore;* in Stat. codd. *toto ex te pectore;* in Ald. 1. *toto te ex pectore*. Scal. e cod. suo affert, *toto te pectore Theseu, Toto animo, t. prodebat perdita mente.*—71 *Ah miseram* in Scal. 1. *A misera* Stat. in edd. vett. *extenuavit;* Stat. codd. et Ald. 1. habent *externavit*.—73 In codd. Stat. et edd. vett. *feroxque et tempore;* in Ald. 1. Voss. lib. opt. et Scal. 1. *ferox, et tempore*, quod reposuit Ed. anon. Stat. conj. *ferox qua et tempore*, vel, *quo et tempore*. Lect. nostram tuentur Gryph. 2. Mur. et Cant.—74 *Pyreæi* Ald. 1. et Gryph. 1. *Pyræi* in quibusdam aliis.—75 Heins. conj. *invisi regis;* in nonnullis vett. *Cortynia*, vel *Cortina*, pro quo legi jussit Avant. *Gortynia;* in

NOTÆ

71 *Luctibus externavit*] Dementem fecit, extra se posuit, mente alienavit, consternavit, afflixit. Sicut dixit infra, 'externata malo.' Externari vulgo dicitur, qui apud se non est.

72 *Spinosas Erycina serens curas*] Venus 'Erycina' dicitur ab Eryce Siciliæ monte, in quo colebatur religiosissime, ubi et ipsi templum condidit Æneas. Fuit ibidem urbs ejusdem nominis. Ovid. 'Avertit vultus Erycis quæ possidet arces.'

74 *Piræi*] Portus fuit Athenarum *Piræus*, Græce Πείραιος, et Πειραιεὺς, muro duorum millium passuum urbi conjunctus. De hoc Plin. lib. IV. 7. Propert. lib. III. Eleg. 21. 'Deinde ubi Piræi capient me littora portus.' Nonnulli porro volunt hic poëtica licentia Catullum 'Piræum' pro 'Phalero' posuisse contra historiæ fidem: Diodorus enim, Pausanias, et alii scribunt, non ex Piræo, sed ex Phalero, portu solvisse Theseum. Neque enim tunc temporis navale erat Piræus, cum Themistocles in Piræo portum primus construxerit. Vide Diodor. lib. II.

75 *Gortynia tecta*] Domos Cretenses. Nam Gortyn, seu Gortyna, ci-

Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneæ pœnas exsolvere cædis,
Electos juvenes simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro:
Quis angusta malis cum mœnia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Projicere optavit potius, quam talia Cretam
Funera Cecropiæ ne-funera portarentur.

Cecropiam urbem fuisse immani pestilentia coactam luere pœnas necis Androgeoneæ, et tradere escam Minotauro septem adolescentes selectos, totidemque pariter virgines, florem puellarum. Quibus incommodis cum Athenæ premerentur, Theseus ipse maluit suam ipsius vitam pro sua dilecta patria exponere, quam pati ut *ejusmodi juvenum puellarumque corpora Cecropiæ lugenda in Cretam deferrentur*

codd. Mel. Scal. et ed. Rheg. *Gortynia templa*, probante Bach ad Tibull. p. 189.—76 Heins. conj. *coactos*.—77 In omnibus Stat. codd. *Cum Androgeneæ*; in aliis *Quom*; Stat. malit *Androgenææ*. Lect. nostra debetur correctoribus in edd. vett.—78 Avant. supplevit *decus*, quod deerat in scriptis.—79 *Cecropidum solitum esse* conj. Heins. improbante Doer.—80 In quibusdam edd. vett. *augusta*, quod retinet Scal. sed omnes Stat. codd. exhibent *angusta*: pro *vexarentur* duo vetustiores libri ap. Stat. *versarentur*.—83 *Funera C. nec*

NOTÆ

vitas fuit Cretæ insulæ ad Lethæum amnem sita; de qua Plin. lib. IV. 12. et Strab. lib. X. In hac urbe dicitur fuisse Labyrinthus, jussu Regis Minois exstructus: unde dicitur 'injustus.'

77 *Androgeoneæ cædis*] Androgei interfecti. Filius fuit Androgeos major natu Minois Regis, qui, multis insignis palmis, ab Atheniensibus et Megarensibus ex invidia occisus est. In cujus ultionem Minos, Niso Megarensium rege interfecto, Megaram evertit. Athenienses acri bello superavit, eosque quotannis septem adolescentes, totidemque puellas a Minotauro devorandos in Cretam mittere coëgit. Alii scribunt, ad hoc solvendum tributum Athenienses peste, fame, et bello vexatos ab Oraculo fuisse compulsos.

79 *Cecropiam*] Oppidum a se conditum Cecrops a nomine suo Cecropiam appellavit, quæ cum proprie sit arx Athenarum, tamen sumitur vulgo pro tota civitate. Urbs enim Athenæ, sicut et tota regio Attica, dicta est 'Cecropia,' a primo Rege Cecrope.

Minotauro] Fabula Minotauri notior est, quam quæ hic pluribus commemoretur. Nulli enim nesciunt Pasiphaën Solis filiam, Minois Cretæ Regis uxorem, cum Tauri amore vehementer flagraret, ope et arte Dædali intra ligneam vaccam inclusam voti compotem factam fuisse: unde natum dicunt *Minotaurum* media parte hominem, reliqua vero taurum referentem. Hoc autem monstrum labyrintho inclusum postea Theseus Ariadnes ope adjutus dicitur interfecisse.

81 *Caris Athenis*] Patria scilicet, quæ semper est dulcis et dilecta. Virgil. Ecl. I. 'Nos patriæ fines, et dulcia linquimus arva.'

83 *Funera ne-funera* [*nec funera*] Ut

Atque ita nave levi nitens ac lenibus auris
Magnanimum ad Minoa venit, sedesque superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suaves expirans castus odores
Lectulus in molli complexu matris alebat;
Quales Eurotæ progignunt flumina myrtos,
Aurave distinctos educit verna colores:
Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis.
Heu! misere exagitans immiti corde furores,
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,

exequiis caritura. Itaque navigio celeri vectus, ac ventis secundis ad fortem Minoëm accessit, regiamque ejus superbam. Hunc vero ubi primum amantibus oculis vidit Ariadne *filia Regis, quam castum cubile fragrantes exhalans odores in tenero matris sinu fovebat; quemadmodum fluvius Eurotas procreat myrtos, vel ventorum tepentium flamen jucundum varios alit flores; non antea ab illo ardentes oculos avertit, quam totis plane visceribus amore* ejus *incensa est, et intimis sensibus exarsit. Eheu! o divine puer, qui inclementer furias amoris*

funera in Venett. Gryph. et Mur. *ne funere* legit Stat. qui conj. *nec funere; sed* in duobus codd. invenit *ne funera:* Heins. conj. *Munera C. seu funera*, vel, *ceu funera.*—87 Pro antiq. lect. *costus* Avant. legi jussit *castus.*—89 In Scal. vet. lib. *myrtus;* et sic Voss. aliique.—92 In nonnullis edd. vett. *toto*, quod si admittimus, inquit Heins. versu sequenti *tosta* pro *tota* legendum erit: in omnibus Stat. codd. *cuncto.*—94 In uno Stat. cod. *Cum misere;* in duobus

NOTÆ

Græci dicunt *ἄδωρα δῶρα, ἄχαρις χάρις, γάμος ἄγαμος, πότμος ἄποτμος*, &c. Sic Cicero dixit Philipp. I. 'Insepulta sepultura.' Horat. I. Od. 34. 'Insaniens sapientia.' Funera porro dicuntur corpora electorum juvenum mox peritura, et adhuc viva, et funeribus caritura. Quo fere sensu Manil. l. v. de Andromeda dixit: 'Virginis et vivæ rapitur sine funere funus.'

86 *Virgo Regia*] Filia regis Minois Ariadne, ubi primum conspexit Theseum, ejus amore cœpit incendi.

89 *Quales Eurotæ*] Fluvius est Laconiæ Eurotas Spartam alluens, ripasque habens frequentibus myrtis et lauris consitas, atque in mare seu sinum Laconicum inter Gytheum et Acriam prorumpens. Familiaris porro Poëtæ nostro comparatio est virginis cum myrto, ut supra de nuptiis Juliæ et Manlii vidimus ad illud 'Floridis velut enitens Myrtus Asia ramulis.'

95 *Sancte puer*] Cupidinem alloquitur, qui puer a Poëtis fingitur, et tanquam potentissimus Deus colitur. Virgilio Ecl. VIII. dicitur, 'Improbus ille puer:' Similem omnino huic versui sententiam protulit Catullus infra ad Manlium: 'Qui dulcem curis miscet amaritiem.'

Quæque regis-Golgos, quæque Idalium frondosum,
Qualibus incensam jactastis mente puellam
Fluctibus, in flavo sæpe hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantum sæpe magis fulgore expalluit auri!
Cum sævum cupiens contra contendere monstrum,
Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis.
Non ingrata, tamen frustra, munuscula Divis
Promittens, tacito suspendit vota labello.
Nam velut in summo quatientem brachia Tauro

excitans, mortalium lætitiam solicitudinibus confundis, Tuque, o Venus, *quæ Golgos maxime et Idalium* nemus semper *vernans diligis, quantis curarum fluctibus virginem* Ariadnen *amore* Thesei *ardentem, et pro flavo* illo *advena frequenter suspiria fundentem, agitavistis! O quam magnos Ariadne languido pectore passa est metus! O quam frequenter auro rutilo pallidior facta est! Cum Theseus volens contra ferum monstrum* Minotaurum *pugnare, vel mortem subire ambiret, vel victoriæ gloriam referre:* tunc ipsa *promittens dona Dis grata*, sibi *tamen non profutura, silentibus labris concepit vota. Quemadmodum enim violenta ventorum procella in excelso monte Tauro quercum ramos agitantem,*

Heu misere, ut legi jussit Marcil.—96 *Quæque regi*, vel, *Quique regis Golgos*, vel *Colchos* Avant. *Quique* in duobus Stat. codd. et Ald. 1. in omnibus codd. *Colchos*, quod in *Golgos* primus mutavit Hermolaus Barbarus. Vide Carm. XXXVI. 14. *frondosam* volebat Scal.—97 *Qualibet* in omnibus Stat. codd. *Jactastis* debetur Avantio.—100 *Quanto sæpe* Stat. Faërn. legendum putabat, *Quam tum sæpe*.—102 Mur. et Marcil. malint *appeteret;* in Scal. cod. *expeteret;* at in omnibus Stat. codd. *oppeteret*.—104 In duobus Stat. codd. *succedit;* in Scal. et Maff. ll. *succendit;* unde fecit *suscepit*, cui accedit Voss. probante Mitsch. Nostram lect. tuentur Venett. Brix. Vicent. Ald. Gryph.

NOTÆ

96 *Quæque regis Golgos*] Περιφραστικῶς Venerem compellat quæ præcipue apud Golgos et Idalium in insula Cypro colebatur. De his jam supra in Annalibus Volusii, et Epithalamio Manlii et Juliæ.

103 *Non ingrata, tamen frustra*] Satis quidem Dis accepta vota, quia servaverunt Theseum; sed tamen Ariadnæ frustranea, nihilque profutura; quia a Theseo deserta est.

104 *Suspendit vota labello*] Quia non aperte proloquebatur, ut quæ non audebat palam et publice vota facere pro Theseo, cujus amore capta erat, contra fratrem Minotaurum, ne ipsius amor patri Minoi innotesceret. Ideo verba ejus labris suspendi et inhærere videbantur.

105 *Nam velut in summo, &c.*] Sic Hom. Il. XVI. Sarpedonem a Patroclo interfectum comparat cum quercu, populo, aut pinu cæsis. Horat. de Achille IV. Od. 6. 'Ille, mordaci velut icta ferro Pinus, aut impulsa cupressus Euro, Procidit late, posuitque collum in Pulvere Teucro.' Taurus porro mons est totius Asiæ longe maximus, qui ab Indico mari exsurgens vaste satis attollitur: deinde dextro latere ad Septemtrionem, sinistro Meridiem versus deflectitur,

Quercum, aut conigeram sudanti corpore pinum,
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicibus exturbata
Prona cadit, lateque et comminus obvia frangens:
Sic domito sævum prostravit corpore Theseus
Nequicquam vanis jactantem cornua ventis.
Inde pedem sospes multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo;
Ne labyrintheis e flexibus egredientem

vel pinum stillanti cortice conos ferentem, impetu concutiens evertit, et illa arbor *radicitus undique extirpata præceps decidit, et comminus et eminus* quæque *sibi obvia comminuit; ita Theseus* in terram *crudelem* Minotaurum *corporis* ejus *mole prostrata dejecit, frustra cornibus inanes ventos agitantem: atque inde reversus est salvus magna cum gloria, regens vagos gressus tenui filo*, quod ei Ariadna præbuerat, *ne eum ex ambagibus labyrintheis exeuntem deciperet cæcæ*

Mur. Cant. et Vulp.—106 Voss. affert ex Mediol. *congestam sudanti corpore pinum*, i. e. densam, compactam, robustam; eumque secutus est Ed. anon. in duobus Stat. codd. *sudanti corpore;* in uno *cortice*, uti in Venet. an. 1500. Gryph. Mur. Græv. Vulp. et Bip. *crinigero nutantem in vertice* tentat Lenz. i. e. 'in vertice montis:' at duo Colum. codd. et Exc. Vat. Urs. exhibent, *conigeram nutanti vertice pinum*, ut et conj. Heins. quam lect. in textum recipiendam putat Hand. Heins. ad Claud. p. 932. alteram profert conj. *fluitanti vertice:* alii *cornigeram*, improbante Marcil.—108 In quibusdam edd. vett. *radicibus extirpata:* in omnibus Stat. et Scal. codd. *radicibus exturbata:* Avant. legi jussit *radicitus exturbata*, quod reposuit Ed. anon. Verba, *illa procul r. e. Prona cadit* uncis includit et in parenthesi dicta accepit Lenz. ita, ut sequentia ad 'turbinem' referantur; quod improbat Doer.—109 In edd. vett. *lateque et comminus omnia frangit*, quod minime Catullianum esse contendit Stat. qui in duobus codd. invenit, *lateque cum ejus obvia frangens*, et in alio, *lateque ejus obvia frangens;* unde legendum suspicabatur, *late quæcunque sibi o. f.* et Voss. *late quæcunvis o. f.* hinc *late quæcumvis o. f.* in ed. anon. Scal. e cod. legi jubet, *lateque et comminus o. frangens;* at longe antea dederat Avant. *lateque et comminus o. frangit.*—110 Lennep. ad Coluth. I. 7. cum *sævum* sine addito substantivo concoquere non posset, corrigebat, *Sic domitum taurum prostravit robore Theseus:* Lenz. *Sic domito sævum prostravit corpore taurum Necquidquam ventis jactantem cornua Theseus;* ingeniosius, sed nimis sæva manu, inquit Doer. Scal. e cod. suo dedit *prosternit.*—112 *Inde pedem victor*

NOTÆ

Asiamque dividit, et in Occidentem perpetuo jugo vergens, pro varietate gentium, linguarum, ac regionum, quas attingit, varia sortitur nomina. De hoc monte Plin. lib. v. 27. Strabo lib. XI. Solin. cap. 48. Pomp. Mela lib. I. et alii.

106 *Sudanti corpore*] Quia pinus arbor est resinam ferens. De qua Plin. lib. XVI. 10. et 11.

111 *Jactantem cornua ventis*] Frustra percutientem cornibus vibratis aërem, et ventos inanes, quasi contra hos luctaretur.

113 *Regens tenui vestigia filo*] Sicut doctus fuerat ab Ariadne.

114 *Labyrintheis e flexibus*] Labyrinthus domus est cæca, et obscura,

Tecti frustraretur inobservabilis error.—
Sed quid ego, a primo digressus carmine, plura
Commemorem ? ut linquens genitoris filia vultum,
Ut consanguineæ complexum, ut denique matris,
[Quæ misera in gnata flevit deperdita,] læta
Omnibus his Thesei dulcem præoptarit amorem ?

domus error inextricabilis. Sed cur ego primam narrationem relinquens plura alia *referam? Quomodo nempe filia patris conspectum deserens, quomodo sororis et demum matris* Pasiphaës, *quæ mærore confecta infelicem filiam lamentaretur, complexum relinquens, prætulerit omnibus his jucundum Thesei amorem. Vel quo-*

in edd. vett. et codd. Voss. sed omnes Stat. et Scal. codd. habent, *Inde pedem sospes;* et sic in Ald. 1.—116 *Sed quid ego primo* in Venett. in aliis vett. *a primo;* in omnibus Stat. codd. *in primo;* Voss. ex Mediol. affert, *Sed quom primo,* unde fecit, *Sed quorsum primo.*—118 *Ut consanguineæ complexum* in edd. vett. et duobus Stat. codd. in uno ejusdem, *Ut consanguineum complexu;* unde legendum censebat, *Ut consanguineum complexum* pro 'consanguineorum:' Heins. conj. *Ut consanguineas, complexum ut denique matris.*—119 In aliis Stat. codd. *Quæ misera ignara deperdita læta;* in aliis, *Q. m. ignata d. leta;* et in aliis ejusdem, *Q. m. ignata deperdite leta:* idem Stat. conj. *in gnata* pro *ignata,* vel *ignaro....lecto,* sed nihil tentans explere lacunam. Faërni cod. exhibuit, *Quæ misero gnatæ fleret deperdita luctu;* Commel. *Quæ fuit ingratæ misero deperdita læto;* Scal. lib. *Quæ misera ingrata deperdita leta;* unde ille verbo *vixit* lacunam explendam esse censens, proposuit, *Quæ misera ingrata vixit deperdita tela,* h. e. 'quæ solata est dolorem suum tela facienda.' In nonnullis edd. vett. *Quæ misera ignaro fleret deperdita luctu:* in aliis, cum Venet. Gryph. Mur. Cant. et Vulp. ut in Faërni codice: Palat. m. habuit *agnata;* unde Mel. vult, *Quæ misera agnato fuerit deperdita letho:* ed. Græv. *Quæ misera ah gnaræ fleret deperdita luctu:* in Voss. *Quæ m. gnati misero d. letho;* in ed. anon. *Quæ misera ingrato gnati deperdita leto;* sed unde non liquet: Heins. conj. *Væ miseræ, ingrato fleret deperdita luctu;* Lennep. ad Coluth. *Quæ misera in gnatæ tabebat perdita lecto;* Lenz. denique, *Quæ mæsto gnatam flevit deperdita luctu.* Nostra lect. ex ed. Bip. est.—120 In omnibus Stat. codd. *portaret;* in edd. vett. *præferret,* et sic est in Ald. Gryph. Mur. Græv. Scal. et ed. anon. Lect. nostra est ex conj. Stat. postea in cod. suo *præoptavit* invenit Scal.—122 In Venet. an. 1500. Ald. Gryph. Mur. Stat. Græv. aliis, *dulci* pro *tristi.* 'Nullo in cod. erat *dulci;* itaque aut hoc, aut aliud ejusmodi verbum desideratur.' *Stat.* Sed in Scal. cod. *tristi,* improbante Marcil. In omnibus Stat. codd. *devinctam;* in Ald. Scal.

NOTÆ

viarum sinuosis et multifidis ambagibus implicita. Quatuor autem præcipue fuisse Labyrinthos tradit Plin. lib. XXXVI. 13. Primus fuit in Ægypto ante annos tria millia et septingentos a Petesucho, sive Tithoë, rege fabricatus. Secundus in Creta a Dædalo, annuente Minoë rege, constructus ad exemplar Ægyptii, Tertius fuit in Lemno insula. Quartus in Italia a Porsena rege Hetruriæ sepulcri causa constructus.

118 *Ut consanguineæ*] Sororis Phædræ, quam etiam secum avexit, et duxit uxorem Theseus. *Matris* Pasiphaës, quæ Solis et Cretæ Nymphæ filia fuit, et Minois regis uxor.

Aut ut vecta ratis spumosa ad littora Diæ ?
Aut ut eam tristi devinctam lumina somno
Liquerit immemori discedens pectore conjux ?
Sæpe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse e pectore voces,
Ac tum præruptos tristem conscendere montes,
Unde aciem in pelagi vastos protenderet æstus:
Tum tremuli salis adversas procurrere in undas
Mollia nudatæ tollentem tegmina suræ:
Atque hæc extremis mœstam dixisse querelis,
Frigidulos udo singultus ore cientem:—
Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in littore, Theseu ?
Siccine discedens, neglecto numine Divum,
Immemor ah! devota domum perjuria portas?

modo navis Thesei ad spumantes oras Insulæ *Diæ appulsa est: vel quomodo sponsus aufugiens animo ingrato illam deseruerit funestum somnum dormientem. Narrant eam frequenter flagranti furore succensam graves ex intimo corde querelas emisisse; et eam modo altos montes ascendisse mærentem, unde oculos intenderet in immensum mare: modo eam in rapidi pelagi contrarios fluctus excurrisse, subtilia nudæ tibiæ tegumenta altius reducentem, ipsamque graviter dolentem magnis gemitibus, et ore madido suspiria languentia trahentem, hæc verba protulisse: Itane, o perjure et perfide* Theseu, *a patria abductam dereliquisti me in deserto littore? Itane, o ingrate, me deserens, contemto Deorum,* per quos mihi fidem jurasti, *numine, in patriam revehis execranda perjuria? An nihil po-*

et aliis *devictam.*—125 *Clarificas* e cod. suo reposuit Scal. improbante Marcil.—126 In omnibus Stat. codd. *tristis.*—132 In omnibus codd. *abvectam* sive *avectam*, ut est in edd. antiquiss. in Ald. et nonnullis aliis *abductam*: Voss. et ed. anon. reposuerunt *ab aris*, probante Burm. II.—134 In aliis

NOTÆ

132 *Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris*] Querelarum est Ariadnes exordium, cujus sane oratio omnis pathetica, et ad movendum animum composita, brevibus constat sententiis, et crebris figurarum mutationibus, velut inter æstus iracundiæ fluctuat. Hanc ut elegantissimam ad verbum pene transtulit Ovid. in Epist. Ariadnes ad Theseum.

133 *Perfide, deserto liquisti in littore*] Pathos est a loco. Tibull. lib. III. Eleg. 6. 'Gnossia, Theseæ quondam perjuria linguæ Flevisti, ignoto sola relicta mari. Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus, Ingrati referens impia facta viri.'

135 *Devota perjuria portas*] Refers in patriam tecum perjuria meis imprecationibus execrata, et pro quibus tuum caput diris devovi. Devotus enim sæpius idem est ac votis et diris petitus. Tibul. lib. I. Eleg. 5. 'Tunc me discedens devotum fœmina dixit.'

Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia præsto,
Immite ut nostri vellet mitescere pectus?
At non hæc quondam nobis promissa dedisti
Voce: mihi non hoc miseræ sperare jubebas:
Sed connubia læta, sed optatos hymenæos:
Quæ cuncta aërii discerpunt irrita venti.
Jam jam nulla viro juranti fœmina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles:
Qui, dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt:
Sed simulac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.

tuit flectere barbari tui *animi propositum? Nullane tibi affuit humanitas, ut crudele* tuum *cor mei vellet misereri? Sed hæc olim blandis* tuis *verbis non promisisti: non istud expectare mihi infelici suadebas, sed jucundas nuptias et felix conjugium; quæ omnia* ut *inania et irrita celeres abripiunt venti. Nunc vero nulla mulier fidem habeat homini juranti: nulla* fœmina *credat promissiones hominis* cujuscumque *esse sinceras et veras, qui quando* eorum *mens anxia ardet desiderio aliquid assequendi, nihil timent jurare, nec desistunt quidvis polliceri. Ubi vero ardentis* eorum *desiderii cupiditas expleta est, juramenta* violare *nihil omnino ti-*

neglecto nomine, improbante Doer.—137 In omnibus Stat. codd. *præsto;* in edd. vett. *prædo.*—138 *Immite ut monstri* ex conj. edidit Scal. improbantibus Marcil. et Voss. *mitescere* in omnibus codd. *miserescere* in edd. vett.—139 In edd. Parth. Ald. Gryph. Mur. et Græv. *blanda promissa;* et sic Mitsch. in omnibus Stat. codd. *vobis* pro *blanda;* in Scal. cod. *nobis.*—140 In edd. Parth. Ald. Gryph. Mur. Stat. et Mitsch. *miseram;* in Stat. codd. *miseræ.*—142 In Scal. cod. *Quæ contra.*—143 *Tum jam* in edd. vett. Venet. an. 1500. Ald. et Scal. *Nunc jam* in Mur. et Gryph. *Jam jam* conj. Stat.—145 In

NOTÆ

143 *Jam jam nulla viro juranti fœmina credat*] Decepta a Theseo Ariadne alias admonet fœminas, ne viris jurantibus fidem adhibeant, qui dum aliquid cupiunt adipisci, omnia promittunt, omnia se facturos jurant: cum vero, quod cupiebant sunt adepti, fidem frangere non verentur. Hunc locum imitatus Ovid. dixit: 'Nunc quoque nulla viro juranti fœmina credat.'

144 *Nulla viri speret, &c.*] Sic Propert. lib. II. Eleg. 34. 'Expertus dico, nemo est in amore fidelis.' Virgil. Æn. III. 'Nusquam tuta fides.'

145 *Prægestit apisci*] Pro 'adipisci,' dicebant Veteres. Lucil. ap. Non. 'Ut ego effutiam, quod ego te inprimis cupere apisci intelligo.' Lucret. lib. VI. 'Quippe etenim nullo cessabam tempore apisci.'

148 *Nihil perjuria curant*] Quod Ariadne viris objicit, id quoque viri in fœminas retorquent. Sic ipse Catullus infra. 'Mulier cupido quod jurat amanti, In vento, et rapida scri-

Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, et potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque
Præda, neque injecta tumulabor mortua terra.
Quænam te genuit sola sub rupe leæna?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?
Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis,

ment, nec ullo modo falsa juramenta curant. Ego sane, te in medio discrimine mortis constitutum servavi; meumque *fratrem* Minotaurum *statui potius perdere, quam non adesse tibi perfido in extrema* vitæ tuæ *hora. Pro quo* quidem beneficio *belluis immanibus devoranda dabor, et avibus esca* relinquar, *nec fato functa terra* mihi *imposita humabor. Quænam leæna*, o perfide Theseu, *te deserto in saxo generavit? Quodnam pelagus* te *progenitum exscreavit spumosis fluctibus? Quænam Syrtis, quænam crudelis Scylla, quænam immanis Charybdis* es tu, *qui*

Stat. codd. *Quis cum.*—151 In omnibus Stat. codd. et edd. vett. *deesse.*—153 In Stat. codd. *intacta.*—156 In iisdem codd. *quæ Scylla rapax*, accedente

NOTÆ

bere oportet aqua.' Sed hoc omnibus amantibus commune esse testatur Ovid. 'Ne jurare time, Veneris perjuria venti Irrita per terras et freta summa ferunt.'

153 *Neque injecta tumulabor mortua terra*] In hoc se miserabilem credit, quod post mortem sepultura sit caritura, eandemque sortem habitura cum iis, qui, quod eorum corpora inhumata jacerent, centum annos errare dicebantur. Pulveris autem injectio pro quodam sepulturæ genere habebatur; et saltem si fieret circa cadavera, tunc eorum animæ requiem capere credebantur, et paludem Stygiam transire. Vide Virgil. Æn. VI.

154 *Sub rupe leæna*] Crudelitatis et sævitiæ Theseum arguit. Tibull. lib. III. Eleg. 4. 'Nec te conceptam sæva leæna tulit.'

155 *Quod mare*] Crudeles homines, et ab omni humanitate alienos fingunt Poëtæ e mari fuisse genitos, aut montibus, aut a feris educatos in sylvis. Ovid. Epist. Ariad. 'Nec pater est Ægeus, nec tu Pittheidos Æthræ Filius; auctores saxa fretumque tui. Te lapis et montes innataque rupibus altis Robora, te sævæ progenuere feræ.'

156 *Quæ Syrtis, &c.*] Ubicumque sunt arenosa loca in mari Servius Syrtes asserit vocari. Syrtes vero maxime dicuntur duo sinus periculosissimi in mari Libyco, magnitudine dispares; quorum alterum, qui Carthagini propinquior est, 'minorem Syrtim' vocant; alter, qui in Cyrenaicam regionem vergit, 'major Syrtis' dicitur. Utraque Syrtis navigantibus est periculosissima, quod ibi mare vadosum sit, arenæ congerens cumulos, et brevia hinc et hinc transferens. De his vide Sallust. in Jugurtha, Strab. lib. III. Plin. lib. V. cap. 4. Melam lib. I. &c.

Quæ Scylla rapax, quæ vasta Charybdis] In freto Siculo scopulus est Scylla Charybdi verticoso gurgiti oppositus, naufragiis infamis, ad quem illisi fluctus canum latratus imitantur.

Talia qui reddis pro dulci præmia vita?
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Sæva quod horrebas prisci præcepta parentis;
Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
Quæ tibi jucundo famularer serva labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureave tuum consternens veste cubile.
Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris,
Externata malo? quæ nullis sensibus auctæ
Nec missas audire queunt, nec reddere voces.
Ille autem prope jam mediis versatur in undis,
Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore sæva
Fors etiam nostris invidit questibus aures.
Jupiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiæ tetigissent littora puppes;

pro suavi vita tibi servata *talem rependis mercedem? Si tibi conjugium nostrum non placebat, quia reformidabas severioris* tui *patris dura mandata; nihilominus saltem poteras in patriam tuam me perducere*, utpote *quæ tibi libenti animo famula servirem, abluens aqua munda niveos pedes* tuos, *aut sternens coccinea stragula lectum tuum. Ast cur ego miseriis afflicta et insana frustra conqueror surdis ventis? qui nullis sensibus præditi, neque audire, neque referre possunt querelas* a me *editas. Ipse vero* Theseus *nunc fere est in medio mari, neque ullus homo conspicitur in* hoc *deserto littore. Ita fortuna crudelis mihi nimium insultans ultimo* vitæ *die meis etiam querelis negavit aures.* O *Jupiter præpotens, utinam nedum* etiam *initio rerum naves Cecropiæ Gnossias oras attigissent; neque perjurus nauta vectigalia*

Voss.—159 Sic legi jussit Avant. in edd. vett. *Sævaque abhorrebas.*—164 *Id, quod* in quibusdam edd. vett. *conquerar* in duobus Stat. codd.—165 In Venett. Brix. Vicent. et Stat. codd. *Extenuata:* in Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Scal. aliis, *Externata*, quod legi jussit Avant.—168 Heins. conj. *in acta.*—169 In uno Stat. cod. *Sed nimis.*—170 In Stat. codd. *auris* ἀρχαϊκῶς pro *aures;* in nonnullis edd. vett. *auras.*—171 In edd. vett. *utinam nec;* sed in Stat.

NOTÆ

In hoc saxum mutatam fuisse Scyllam Phorci filiam a Circe venefica. Charybdin etiam fingunt fuisse mulierem rapacissimam, a Jove, cum Herculis boves surripuisset, occisam, et in voraginem hanc conversam. Vide Strab. lib. VI.

159 *Prisci præcepta parentis*] Connubium intelligit, quod vocat, *prisci præcepta parentis*, hoc est, Cecropis primi Regis Atticæ, qui primus matrimonii dedit leges, marisque et fœminæ conjunctione apud Athenienses, ut tradit Justinus, connubium conciliavit.

165 *Externata malo*] Quæ nimio dolore demens facta apud me non sum.

172 *Gnosia*] Cretensia, ab urbe Gnosso, de qua jam supra.

Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset navita funem:
Nec malus hic, celans dulci crudelia forma
Consilia, in nostris requiesset sedibus hospes!
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Idomeniosne petam montes? at gurgite lato
Discernens ponti truculentum dividit æquor.
An patris auxilium sperem, quemne ipsa reliqui,
Respersum juvenem fraterna cæde secuta?
Conjugis an fido consoler memet amore,

portans Tauro invicto funem solvisset versus Cretam, neque iste sceleratus advena Theseus, *tegens blanda sub specie crudelem animum, in patria mea diutius mansisset. Etenim quem in locum me conferam? quanam spe* ego *misera possim sustentari? An Idæos montes adibo? Ast mare sævum vasto freto dividit et separat patriam* meam a me. *An parentis mei opem expectare audeam, quem etiam ego deserui, ut adolescentem sequerer fratris cruore madentem? An meipsam solari queam*

codd. *utinam ne.*—176 *Consilium nostris quæsisset sedibus hospes* in uno Stat. cod. cum edd. vett. Venet. an. 1500. Stat. et Corrad. at *Consilium nostris requisisset* in aliis Stat. codd. *reliquisset* in cod. Scaligeri, cui debetur lectio nostra.—178 In codd. Stat. Scal. et Voss. *Idmoneosne*, vel *Idmeneosne;* unde Stat. *Immanesne;* Scal. *Isthmon, eosne;* Voss. *Idomeniosne;* quod Vulp. ed. anon. et recentt. reposuerunt; et ita est in duobus Saib. *Idæosne* in ed. Parth. quod reposuit Mur. probante Marcil. Avant. conj. *Isthmiacosne petam pontes;* Ald. et alii habent *Isthmoneosne:* in edd. vett. *a gurgite lato.* Mox in Stat. codd. *Discedens pontum turbulentum ubi dividit æquor;* vel, *Discurrens pontum truculentum ubi claudit æquor;* unde conj. *a gurgite vasto Discurrens pontus truculentum ubi clauditur æquor:* Scal. legit, *ah gurgite lato Discernens pontum truculentum ubi dividit æquor;* pro *pontum* Mur. Græv. alii habent *patriam;* Voss. affert *ponti* ex Mediol. hinc Vulp. ed. anon. alii, *ah! gurgite lato*

NOTÆ

174 *Perfidus in Cretam*] Plus satis notum est Cretam, quæ nunc 'Candia' dicitur, esse Insulam maris Mediterranei inter Africum et Ægæum pelagus sitam, quæ quondam dicitur fuisse centum digesta per urbes. Unde Virgil. Æn. III. 'Centum urbes habitant magnas,' &c.

178 *Idomeniosne* [*Idæosne*] *petam montes*] Idam montem etiam esse Cretæ et omnium Cretensium altissimum scribit Strabo lib. X. et Plin. lib. IV. cap. 12. Sunt qui legant *Idmeneos* pro *Idomeneos*, id est, Cretenses, ab Idomeneo Cretensium Rege Deucalionis filio, de quo Homerus, Dictys Cretensis, Diodorus lib. V. cap. 15. Strabo lib. X. et Servius in Æn. III. plura commemorarunt. Alii legunt *Isthmoneos;* quia pluribus Isthmis secatur Creta. Ita Scaliger. Sed hoc potius videretur intelligi de Isthmo Peloponnesi, qui sex millibus passuum patens Ægæum mare ab Ionio dividit.

181 *Respersum juvenem fraterna cæde*] Theseum cruentatum sanguine Minotauri fratris mei.

182 *Conjugis an fido*] Thesei nempe quem conjugem appellat, quia polli-

Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?
Præterea littus, nullo sola insula tecto:
Nec patet egressus, pelagi cingentibus undis.
Nulla fugæ ratio, nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta: ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius a fesso secedent corpore sensus,
Quam justam a Divis exposcam prodita mulctam,
Cœlestumque fidem postrema comprecer hora.
Quare facta virum mulctantes vindice pœna,
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo

amore fideli ejus *sponsi, qui flexiles contorquens pelago tonsas aufugit? An prætergrediar littus?* Hæc *insula deserta est sine ulla domo. Neque hinc exitus datur, fluctibus maris undique* me *cirumdantibus. Non est ullus effugii modus, non* est *ulla* hinc exeundi *spes: cuncta sunt* hic *muta, cuncta sunt deserta, omnia denique mortem minantur. Attamen non prius oculi leto mihi deficient, neque antea languentibus membris recedent sensus, quam* ego sic *decepta pœnam a Dis exorem* proditori meo *debitam,* et *Cœlitum auxilium implorem extremo* vitæ meæ *tempore. Quamobrem vos, o Eumenides, punientes hominum crimina suppliciis ultrici-*

Discernens ponti truculentum ubi dividit æquor.—183 In Stat. codd. *ventos* pro *lentos* unde conj. *ventoso.*—184 In edd. vett. *Prætereo litus; nullo sola insula tecto;* in Scal. 1. *Præterea nullo litus, sola insula, tecto;* in Scal. 2. *Præterea litus solum: nullo insula, tecto;* vel, *Præterea litus, nullo, sola insula, tecto,* ut erat in Marcil. membranis, qnam lect. Doeringius falso tribuit Corrad. Huschk. conj. *Præterea litus, nullo solamina tecto.*—186 In uno Stat. cod. *nulla est spes.*—191 In uno Stat. cod. *comprecer* *ἀρχαϊκῶς.*—194 Voss. e Mediol. pro-

NOTÆ

citus fuerat, si victor evaderet, se illam uxorem habiturum. Unde Ovid. Epist. Ariadn. 'Cum mihi dicebas, Per ego ipsa pericula juro, Te fore, dum nostrum vivet uterque, meam.'

187 *Ostentant omnia letum*] Virgil. Æn. I. 'Præsentemque viris intentant omnia mortem.'

188 *Non tamen ante mihi*] Querelas suas concludens Ariadna significat, antequam moriatur, se velle precari Deos, ut suamque ulciscantur injuriam, Theseique puniant perfidiam pro meritis.

190 *Exposcam prodita mulctam*] Discrimen ponunt Jurisperiti inter 'mulctam' et 'pœnam,' ut 'mulcta' sit specialis peccati, 'pœna' generale omnium delictorum supplicium. 'Mulcta' est vulgo hodie pecuniaria: 'pœna' etiam capitis et existimationis. 'Mulcta' ex arbitrio irrogatur, 'pœna' lege. Sic Dido apud Virg. Æn. IV. Æneæ mala imprecatur. 'Sol, qui terrarnm flammis opera omnia lustras, Tuque harum interpres curarum, et conscia Juno, Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes, Et diræ ultrices, et Di morientis Elisæ; Accipite hæc, meritumque malis advertite Numen, Et nostras audite preces.'

193 *Eumenides*] Furiæ sic dictæ per antiphrasin, quod minime sint be-

Frons expirantes præportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querelas,
Quas ego, væ miseræ! extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti cæca furore.
Quæ quoniam vere nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum:
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, Deæ, funestet seque suosque.—
Has postquam mœsto profudit pectore voces,
Supplicium sævis exposcens anxia factis;
Annuit invicto cœlestum numine rector,
Quo tunc et tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem cæca mentem caligine Theseus

bus, quibus caput cinctum crinibus vipereis præ se fert hominis morientis dolores, huc huc adeste, meas attendite querimonias, quas ego, hei mihi infelici, egens, furens, vesana excæcata rabie cogor ex intimis visceribus effundere; quæ cum vere oriantur ab imo corde, ne sinatis vos fletus meos et gemitus irritos manere et inultos. *Sed quo animo* perfidus *Theseus me deseruit, eodem ipso*, oro vos, *o Divæ, et seipsum et suos cruentet. Ubi* vero Ariadne *debitas pœnas imprecata diris* Thesei *sceleribus, hæc verba animo dolenti protulit, statim Deorum Rex annuit nutu* suo *potenti, quo tunc terra vastaque maria cohorruerunt, Cœlumque* ipsum *astra fulgentia concussit. Theseus vero ipse subito correptus densa animi cæcitate ex animo im-*

---

ducit et defendit *postportat*.—196 *Quas ego nunc misera* in Venet. an. 1500. Gryph. et Mur. *Quas ego ve miseræ* in edd. vett. Ald. Scal. Stat. et Græv. *ve misera* in quibusdam; *ve misera* in Stat. codd. pro *extremis* Vulp. dedit *ex imis*.—198 Stat. Vulp. alii *veræ*.—204 In duobus Stat. et libb. melioribus Voss. *invito*, ut Homericum illud expresserit, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ· quod reposuit Ed. anon. Lect. nostram proposuit Avant. et præferendum putat Doer.—205 *Quomodo tunc tellus* Voss. ex vett. libb.—206 Voss. ex iisdem *concussusque*.—207 In edd. vett. Venet. ann. 1500. Gryph. Mur. *mentes*; in codd. Stat. *mente*, ex quo Stat. fecit *mentem* (*mentē*) apicem imponendo.—

NOTÆ

nignæ, mites, ac benevolæ. Tres esse dicuntur, Tisiphone, Megæra, Alecto, quæ pro crinibus serpentes habere dicuntur: unde Catullus subjungit: 'Quibus anguineo redimita capillo Frons expirantis præportat pectoris iras.' Virgil. Georg. IV. 'Cœruleosque implexæ crinibus angues Eumenides.'

201 *Funestet seque suosque*] Funere inquinet, contaminet, et polluat seque suamque domum.

204 *Cœlestum rector*] Jupiter Ariadnes imprecationibus annuit. Virgil. Æn. IV. 'Superum tu maxime rector.'

206 *Mundus*] Macrob. Saturnal. lib. I. hoc loco cœlum vult intelligi. Virgil. Ecl. IV. 'Aspice convexo nutantem pondere mundum.'

207 *Ipse autem cæca mentem caligine*] Ubi primum Jupiter Ariadnes preci-

Consitus, oblito dimisit pectore cuncta,
Quæ mandata prius constanti mente tenebat:
Dulcia nec mœsto sustollens signa parenti,
Sospitem, et ereptum se ostendit visere portum.
Namque ferunt, olim classi cum mœnia Divæ
Linquentem gnatum ventis concrederet Ægeus,
Talia complexum juveni mandata dedisse:—
Gnate, mihi longa jucundior unice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine senectæ,
Quandoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, quoi languida nondum

memori delevit omnia patris *præcepta, quæ antea tenaci pectore signata retinebat; neque expandens candida vela anxio patri* suo *significat se salvum et incolumem revisere portum. Dicunt enim cum Ægeus ventis quondam committeret filium* Theseum cum *classe ex urbe Deæ* Palladis in Cretam *proficiscentem, postquam* eum *esset exosculatus, hæc adolescenti præcepta dedisse: O fili unigenite, mihi diuturno annorum spatio longe gratior;* o *fili* carissime, *recenter mihi reddite sub terminum senectutis ultimæ, quem cogor in incerta discrimina mittere, quoniam infelicitas mea, tuaque ardens virtus rapit te mihi reluctanti, cui languentes*

208 *Conscius* in edd. antiquiss. Avant. conj. *Consitus:* in nonnullis quas sequitur Bip. *demisit*, improbante Doer.—211 Nostram lect. testantur Maff. I. et edd. vett. *Sospitem erectum* in duobus Stat. codd. unde nonnulli *Sospitem et erectum;* Voss. *Sospitem Erechteum;* et per *Erechteum portum* intelligit 'littus Athenarum ab antiquissimo rege Erechteo sic appellatum,' quam lect. servat Ed. anon. sed non correcte, habet enim *Erectheum:* Heins. postea tentabat, *Sospitem Erechteos se ostendit visere portus.*—212 In omnibus codd. et edd. vett. *classi*, *ἀρχαϊκῶς* pro *classe*, cujus loco substituit Pont. *castæ;* et sic legit Mur. sic etiam in cod. suo legisse affirmat Heins. Idem Heins. pro *olim classi* conj. *Actææ olim.*—213 *Linqueret et gnatum* in Gryph. Stat. et aliis, improbante Doer. Lect. nostram servant omnes Stat. codd.—217 Sic legi

NOTÆ

bus annuit, Theseus illico oblitus est mandata patris, quæ ejusmodi erant, ut si victor occiso Minotauro evaderet domum rediens candida vela extolleret, nigris, quibus in Cretam navigabat, omnino depositis.

213 *Ægeus*] Athenarum Rex, Pandionis filius ac Thesei pater, qui mortuum filium arbitratus, cum nigrum velum navis ejus redeuntis e Creta, quod ex oblivione non amoverat, prospexisset, in mare se dedit præcipitem, quod ab eo Ægæum appellatur.

217 *Reddite in fine senectæ*] Quia nempe Theseus ex Æthra Pitthei filia Ægeo natus in Civitate Trœzene, et apud Pittheum avum educatus non contulit se Athenas ad visendum patrem, ut indicant Diodorus et Plutarchus, nisi cum jam adolevisset, et fortia facinora pugnando cum pluribus hostibus edidisset, tuncque agnitus est ab Ægeo, cui postea in regnum successit.

Lumina sunt gnati cara saturata figura:
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam Fortunæ signa secundæ:
Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra, atque infuso pulvere fœdans:
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus, nostræque incendia mentis,
Carbasus obscura dicat ferrugine Hibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
(Quæ nostrum genus, ac sedes defendere fretis
Annuit,) ut tauri respergas sanguine dextram:

oculi non adhuc sunt satiati dilecto filii conspectu: non ego te lubens et animo læto dimittam, neque te gerere patiar signa prosperæ sortis, sed plures prius proferam ex imo *pectore querimonias, inficiens canos* meos *humo et pulvere insperso; deinde vela nigra sublimi malo extendam; ut* illa *vela Ibera atro colore demonstrent mœrorem meum, et ardentem animi dolorem. Quod si tibi annuens Dea sacri Itoni habitatrix, quæ nostram gentem, et patriam protegere solita est, nutu concedat, ut manum tuam Minotauri cruore perfundas: tunc fac ut hæc*

jussit Avant. at in Mur. et aliis vett. *Reddite in extremo.*—221 In uno Stat. cod. *lætanti corpore.*—223 Heins. conj. *mutas e. m. querelas*, probante Doer.—227 In duobus Stat. codd. *dicet;* in alio ejusdem *decet;* unde ille ex priori fecit *dictet*, ex posteriori *deceat:* hinc Voss. *obscurata dicet*, laudans Carm. LV. 29. eumque secuti Vulp. et Ed. anon. improbante Doer.—228 In uno Stat. cod. *si tanti concesserit incola Ithini;* in duobus ejusdem, *si sancti concesserit incola Ithonii*, ultimum verbum per geminum *ii*, sic tamen scriptum ut *Ithonis* esse possit; unde ille, *si sancti concesserit incola Itoni:* in edd. vett. *Ithyni*, vel *Itonis;* in ed. Delph. et marg. Gryph. ap. Doer. *concedens.*—229. 230 In Venett. Brix. Vicent. Ald. Junt. Gryph. Mur. aliis, *ac s. d. sueta*, (vel *sueta est*) *Annuerit, t. ut respergas:* in duobus Stat. codd. *has s. d. freti, Annuit, ut t. respergas;* in alio ejusdem, *has s. d. freti Annuit ut t. respersa;* unde ille, *has s. d. fretis Annuit, ut t. respergas;* Scal. *ac s. d. fretis, &c.* Voss.

NOTÆ

222 *Fortunæ signa secundæ*] Velum candidum, quod meliori fortunæ congruit. Veteres enim candida ad boni naturam, nigra ad mali retulerunt. Catullus jam supra, 'Fulsere quondam candidi tibi soles.'

227 *Carbasus obscura dicat ferrugine Hibera*] *Ibera* dicitur *carbasus*, quod nempe optima vela ex Iberia seu Hispania, quæ cannabe et lino abundabat, afferebantur. *Ferrugo* autem *obscura* hic sumitur pro ferri nigredine, non pro purpureo colore, ut nonnulli commenti sunt. Virgil. Georg. I. 'Cum caput obscura nitidum ferrugine texit.'

228 *Incola Itoni*] Palladem seu Minervam intelligit, quæ etiam dicta est 'Itonis' et 'Itonias' ab Itone Bœotiæ urbe, in qua maxime culta fuit, habuitque templum antiquissimum. Fuit et mons in Bœotia ejusdem nominis, et urbs in Thessalia, ubi etiam Pallas templa habuisse dicitur. Vide Lilium Giraldum Syntagmat. II. de Minerva, et Strab. lib. IX.

Tum vero facito, ut memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata; nec ulla obliteret ætas:
Ut, simulac nostros invisent lumina colles,
Funestam antennæ deponant undique vestem,
Candidaque intorti sustollant vela rudentes,
Lucida qua splendent summi carchesia mali:
Quamprimum cernens ut læta gaudia mente
Agnoscam, cum te reducem ætas prospera sistet.—
Hæc mandata prius constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsæ ventorum flamine nubes
Aërium nivei montis, liquere, cacumen.
At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus,
Cum primum inflati conspexit lintea veli,
Præcipitem sese scopulorum e vertice jecit,

constanti pectore tibi infixa maneant præcepta, neque ullum tempus ea deleat; ut statim atque nostros montes oculi tui *revisent, antennæ* tuæ *funerea vela undequaque abjiciant, et rudentes immissi expandant carbasa alba; ut* ego *prospiciens læto animo quamprimum cognoscam gaudia* tua, *quando te tempus fortunatum revertentem nobis præsentem faciet. Ista præcepta Theseum deseruerunt ea memori animo antea servantem, quomodo nubila agitata ventorum flatu nivosi montis æthereum verticem. Sed pater* ejus Ægeus, *cum ex summa arce prospiceret, oculos solicitos in lacrymas continuas effundens, statim atque vela nigra vidit, seipsum e cacumine scopulorum præcipitavit, ratus* filium

---

ac s. d. Erechtei Adnuit, quod reposuerunt Vulp. et Ed. anon. Mitsch. tentabat, *et s. d. creti*, h. e. 'Thesei, filii mei regnum;' Doer. *defendere adorsis.* Verba *Quæ nostrum, &c.* usque ad *Annuit*, in parenthesi posuit Marcil.—233 In duobus Stat. codd. *simul hæc;* in uno *simul hic*, quod ille probat: *nostros tua visent lintea colles* conj. Heins.—236 Deest hic versus in omnibus codd. et edd. vett. qui ex Catullo citatur a Nonio Marcello. Faërn. primus reposuit: Mur. tamen scribit, se conjecisse, cum in codd. tantum superesse spatii quantum uni versui scribendo sit satis animadvertisset, hunc forte ipsum versum hoc loco desideratum. Eum damnat Doer.—238 In Venett. Brix. Vicent. et Stat. codd. *ætas*, probante Scal. in Ald. Gryph. Mur. et Græv. *sors.*—243 Pro *absumens* in libb. quibusdam vett. *contollens;* unde Mitsch. conj. *Anxia in assiduos contollens lumina fluctus.*—244 In Stat. codd.

NOTÆ

234 *Antennæ*] Lignum in malo navis transversum, cui velum alligatur, cujus duo extrema Virgilio dicuntur 'cornua.' 'Cornua velatarum obvertimus antennarum.'

235 *Rudentes*] Navium funes hoc nomine appellantur, quod flantibus ventis rudere videantur.

242 *At pater*] Ægeus pater Thesei prospiciens redeuntes e Creta filii sui naves, credens Theseum esse interfectum, cum nigra vela, quæ amovere oblitus erat, conspexisset, ex alta turri in mare se præcipitem dedit.

Amissum credens immiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paterna
Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.
Quæ tum prospectans cedentem mœsta carinam,
Multiplices animo volvebat saucia curas.
At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
Cum Thiaso Satyrorum, et Nysigenis Silenis,

suum *Theseum crudeli morte perisse. Itaque Theseus domum paternam reversus, infausta* Minotauri *nece superbus, tantum ipse accepit mærorem, quantum ingrato* suo *animo Minoidi intulerat. Quæ nihilominus mærens navem* Thesei *recedentem prospiciens, varios anxia mente motus agitabat. Sed ex alia parte Iacchus ætate vigens advolabat cum Satyrorum choro et Silenis Nysigenis, te quæritans,*

---

instanti; in Maff. l. *inflati*; Vulp. et Ed. anon. reposuerunt *infecti*.—247 Stat. conj. *paternæ*.—248 *Marte* conj. Marcil. in Dorv. c. et omnibus Statianis *Minoida*; inde D'Orvill. malit, *quali Minoida luctu*.—250 *Quæ tamen aspectans* in omnibus Stat. codd. et edd. vett. pro quo Stat. legeret, *Quæ tantum*. Lect. nostram servant Ald. Gryph. Mur. Stat. et Græv. quam revocandam putavit Doer. Avant. proposuit, *Quæ tum prospectant cedentem*; in nonnullis edd. vett. *accedentem*: Voss. ex vett. libb. affert, *Quæ tamen adspectans cedentem cuncta carinam*.—252 In Venett. Brix. Vicent. et Venet. an. 1500. *At pater ex alia*; in Stat. codd. *Ac pater*, defendente Voss. sed lect. nostram vindicat D'Orvill.—253 In edd. vett. *Nisigenis Sileneis*; at quamvis prima in *Sileneis* anceps sit, secunda nusquam corripitur; Avant. legi jussit *Silenis*.—

NOTÆ

248 *Minoidi*] Ariadna, quæ nomine patronymico dicitur Minois,-idis, cujus ultima syllaba in dativo corripitur, ut in ceteris nominibus Græcis.

252 *Volitabat Iacchus*] Ex alia nimirum parte illius stragulæ seu vestis, quæ lectum genialem Thetidis contexerat, depingebatur Bacchus in Naxon Insulam celeriter superveniens, dum Ariadne de Thesei perfidia conquereretur. Diodorus porro lib. v. cap. 12. scribit Bacchum seu Dionysium Ariadnes amore captum, cum a Theseo virginem abstulisset, eam uxorem duxisse, eamque præter modum dilexisse.

253 *Cum Thiaso Satyrorum*] Vidimus Thiasum esse cœtum et turbam saltantium, rebusque sacris Bacchi, Cybeles, aut alterius Numinis vacantium. Satyri finguntur acutis auribus, calvi, cum corniculis in capite, rubicunda facie, capripedes, et effigie humana velocissimi. In montibus Indiæ, si credas Plinio lib. vii. habitare dicuntur. Nunquam autem capiuntur nisi senes, aut ægri, propter velocitatem, qualem unum adductum ad Syllam ferunt e bello Mithridatico redeuntem, ut refert Plutarchus.

Nysigenis Silenis] Genitis in urbe Indiæ nomine Nyse, ubi et Bacchus natus et educatus dicitur. Silenus autem nutritor fuit, seu pedagogus Bacchi, ejusque perpetuus comes; qui asinum apud Ovid. Fast. i. equitare fingitur. 'Venerat et pando senior Silenus asello.' Inde 'Sileni' Bacchi comites vulgato nomine dicuntur. Quibus etiam adjunguntur Fauni, Pa-

Te quærens, Ariadna, tuoque incensus amore:
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
Evoe bacchantes, evoe, capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos;
Pars e divulso raptabant membra juvenco;
Pars sese tortis serpentibus incingebant;
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,

o *Ariadne, tuique ardens desiderio; qui* omnes *læti undequaque furore correpti bacchabantur, evoë conclamantes, evoë capita rotantes. Horum alii thyrsos obducto foliis mucrone agitabant; alii rapta e bove dilaniato frusta discerpebant; alii se convolutis anguibus præcingebant; alii orgia occulta concavis cistis celebra-*

255 In edd. vett. *Quantum*.—258 In Stat. et Scal. codd. *e divolso raptabant*; in Venet. an. 1500. Ald. Gryph. Mur. Græv. et Scal. 1. *jactabant*, quod probat Voss. laudans Eurip. Bacch. 738. seqq.—260 Pro *celebrabant* conj. Broukh. *celabant*, intercedente D'Orvill. ad Charit. p. 359. ubi docte de h. l.

NOTÆ

nes, Satyri, Sylvani, ceterique Di agrestes.

256 *Evoe bacchantes*] Bacchari proprie est Bacchi sacra celebrare; sed quia furentes, discurrentes, et vociferantes Orgia seu mysteria illa peragebant, inde per translationem dixerunt 'bacchari' pro 'furere,' et 'vagari cum clamore.'

Evoe, capita inflectentes] Caput rotantes tanquam furibundi et fanatici. Ut supra in Aty: 'Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ.'

257 *Quatiebant cuspide thyrsos*] Thyrsus hasta est, seu telum latens, cujus mucro hedera tegitur. Macrob. Saturnal. lib. I. cap. 19. qui etiam lib. VII. hæc scribit: 'Liber pater thyrso ferit per obliquationem circumfusæ hederæ latente mucrone; quia non ita profiteri oportet in convivio censorem, ut palam vitia castiget.'

258 *Pars e divulso raptabant membra juvenco*] Bacchanalis turba sæpius solebat per montes, saltusque discurrens, vitulos aut juvencos vel forte oblatos, vel studiose conquisitos, necnon greges et armenta frustulatim discerpere, carnesque crudas devorare. Vide Fab. Penthei ap. Ovid. Met. III.

259 *Pars sese tortis serpentibus*] Solebant Bacchi festa celebrantes seu bacchantes, impune serpentes attrectare, quibus non modo corpora cingebant, sed etiam capita coronabant, ut referunt Plut. in Alexandro, Eurip. in Bacchis, et Horat. II. Od. 19. 'Tu separatis uvidus in jugis Nodo coërces viperino Bistonidum sine fraude crines.'

260 *Orgia cistis*] Latinis 'Orgia' tantum dicuntur sacra Bacchi, licet apud Græcos pro quibuscumque sacris et cærimoniis 'Orgia' sumantur; unde ὀργιάζειν idem est, ac quodcumque festum celebrare. Dicuntur autem 'obscura,' quia occulta et mystica erant, initiatis tantum nota, in arculis autem seu cistis vimineis capacibus reponebantur: Unde Tibul. lib. I. Eleg. 7. 'Et levis occultis conscia cista sacris.'

Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani:
Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.
Multis raucisonos efflabant cornua bombos,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
Talibus amplifice vestis decorata figuris
Pulvinar complexa suo velabat amictu.
Quæ postquam cupide spectando Thessala pubes
Expleta est, sanctis cœpit decedere Divis.
Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas,
Aurora exoriente, vagi sub lumina solis;

bant, illa nempe *orgia quæ volunt incassum audire, qui his non sunt initiati. Alia pars percutiebat longis manibus tympana, vel concavis æramentis acutos sonitus excitabant; multi raucis bombis buccinas aspirabant, et horrendo fragore Phrygia fistula concrepabat. Hujusmodi figuris peristroma magnifice exornatum circumdans suo velamine torum genialem* Thetidis *tegebat. Hæc autem ubi Thessaliæ juventus avide conspiciendo satiata est, incepit Dis venerandis cedere* advenientibus. *Hic quemadmodum Zephyrus agitans tranquillum pelagus flamine matutino, aurora nascente, circa primum rapidi solis exortum, pronas aquas commovet; quæ*

disputat.—262 *Plangebant aliæ*, i. e. Bacchæ, in Scal. cod.—264 In Stat. et Scal. codd. *Multi;* unde Stat. conj. *Multis*, dandi casu. In Ald. Gryph. et Mur. *Multaque;* in aliis edd. vett. *Multi raucisonis*, ut in Scal. 1. et Græv. sed in ed. 2. conj. Scal. *Multæ raucisonis*, i. e. Bacchæ; vel, *Multis raucisonos* cum Statio: *efflebant cornua*, i. e. 'per cornua,' Voss. ex Mediol. improbante Doer.—269 Stat. conj. *sanctis cœpit dein cedere:* pro *Divis* in Heins. vet. cod. *tectis*.—270 *Nec qualis*, vel *Æquales* in Voss. ll. unde ille *Ac quali*, quod reposuit Ed. anon. 'melior est nostra lectio.' *Doer.*—271 In nonnullis vett. *proclives*.—272 Burm. II. ad Claud. p. 1041. pro *lumina* tentat *limina*.—274 In

NOTÆ

261 *Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani*] 'Profanus' idem est ac mysteriis non initiatus: nemini enim iis sacris, qui his non esset initiatus, interesse licebat. Quoscumque vero alios his sacris se immiscentes ejulatu magno fugabant, aut discerpebant.

264 *Raucisonos efflabant cornua bombos*] In sacris Bacchi adhiberi solita esse cornua præter Catullum testis est etiam Persius Sat. I. vs. 99. 'Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.' Bombos, imbrices, testas inter plausuum genera numerat Suetonius in Nerone cap. 20. Bombus est proprie cornuum et organorum.

265 *Barbaraque horribili stridebat tibia*] Pulsari solitam in Bacchi sacris fuisse tibiam cum Catullo testatur Tibullus: 'Et Tyriæ vestes, et dulci tibia cantu.' 'Barbaram' vero dixit tibiam, vel quia ritu Barbarorum factam, vel a Barbaris inventam, a Phrygibus nempe, quos multi volunt, Græcis maxime, habitos et dictos fuisse 'Barbaros.'

Quæ tarde primum clementi flamine pulsæ
Procedunt, leni resonant plangore cachinni:
Post, vento crescente, magis magis increbescunt,
Purpureaque procul nantes a luce refulgent:
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta,
Ad se quisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum, princeps e vertice Pelii
Advenit Chiron portans sylvestria dona.
Nam quotcumque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fœcunda Favonî,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,

primo flatu molli pulsæ lente concitantur, ac tenui resonant fremitus fragore: deinde augescente flatu, plus plusque agitantur, et undæ *labentes a lumine purpureo longe resplendent; eodem modo tunc temporis deserentes vestibulum regalis domus discedebant ab invicem, unusquisque in domum suam pedibus undequaque vagantibus. Post quorum discessum primus Chiron e Pelii montis cacumine adventavit ferens agrestia munera. Quotquot enim flores producunt agri, quotquot Thessalica terra latis montibus* suis *profert, quotquot juxta fluviorum ripas fovet tepentis Favonî flamen genitale; hos ille attulit intermistis corollis implicitos, quibus* tota *regia*

Scal. cod. *Procedunt, leni resonant;* unde in ed. 1. dedit, *Prociduum leni resonant plangore cachinnum*, reclamante hoste suo Marcil. et afferente ex membranis, *Procedunt; levi resonant plangore cachinni;* at pro *levi* Marcil. legit *leni;* et sic legere dignatus est Scal. in ed. 2. Ex codd. lect. *levi resonant* antiqui correctores fecerunt *leviterque sonant;* Lennep. conj. *lenique sonant:* pro *plangore* mavult Dousa F. *clangore.*—275 'Lege *magis magis increbescunt;* alii non geminabant *magis.*' Avant.—276 *Purpureæque*, sc. undæ, conj. Lenz. pro *nantes a luce* in nonnullis *nutantes luce;* in aliis *variantes luce*, quod revocavit Ast. in Anth. p. 195. probante Bach ad Tibull. I. 10. 9.—278 *A se* in Ald. Gryph. Mur. Stat. Scal. 1. et in uno cod. Stat. sed in duobus ejusdem codd. *Ad se*, h. e. *οἴκαδε.*—281 Nonnulli legunt *quoscunque;* Lenz. dedit *quodcunque*, et sic est in optt. codd. Laurent. et Ricc. probante Bach ad Tibull. IV. 1. 211.—284 *Hos interstinctis* conj. Heins. laudans Stat. Sylv. III.

NOTÆ

274 *Plangore cachinni*] Undarum sonitum metaphorice 'cachinnum' vocat; quasi littus percutiendo, fremitumque ciendo, undæ risum edere videantur.

279 *Vertice Pelii*] Pelius seu Pelion mons est Thessaliæ altissimus, in sinum Pelasgicum incumbens, in quo Chiron habitabat, ubi et genitus est.

280 *Advenit Chiron*] Chiron Centaurus, Saturni et Philyres filius, Achillis præceptor et institutor. Apollodor. lib. III.

283 *Favonî*] Favonius est Zephyrus ventus ab æquinoctiali occasu spirans, a 'favendo' sic dictus. Plin. lib. XVI. cap. 25.

Quis permulsa domus jucundo risit odore.
Confestim Peneos adest, viridantia Tempe,
Tempe, quæ sylvæ cingunt superimpendentes,
Mnemonidum, linquens, doctis celebranda choreis,
Non vacuus: namque ille tulit radicitus altas

delibuta suavi odore fragravit. Illico Peneus deserens vernantia Tempe celebranda præclaris Nessonidum choreis, relinquens, inquam, *Tempe, quæ nemora superimminentia claudunt, advenit non vacuus; attulit enim proceras fagos imis radicibus*

5. 90.—285 In duobus Stat. codd. *Quot permulsa;* in alio ejusdem, *Quod permulsa;* legendum putavit Faërn. *Quo,* quod valde probandum, inquit Stat. nisi si quis malit *Quot,* sc. florum.—286 In nonnullis edd. vett. *adit;* in omnibus Stat. codd. *adest ut viridantia Tempe,* vel, *ut inundantia Tempe;* unde Stat. conj. *undantia,* laudans Virg. Geor. II. 437. sed Marcil. ex membranis suis affert, *Peneios adeunt viridantia Tempe;* at pro *adeunt* legit *adit.*—287 In iisdem membr. *super impendentes,* duobus vocibus, ut legi jussit Avant.—288. 289 In Venett. Brix. Vicent. Rheg. et Scal. cod. *Minosin linquens doris;* in omnibus Stat. codd. *Minosim linquens doris,* (ut in Marcil. membranis,) vel, *Minosim linquens claris:* in quibusdam codd. teste Mur. *Minosium;* et in aliis *Minosinque,* vel *Inosinque:* in Gryph. *Nessonidum linquens claris;* in Ald. Mur. et Cant. *Nereidum linquens claris:* in aliis *Naiadum linquens Doris;* pro *Doris* alii habent vel *Cloris,* vel *Chloris:* Avant. conj. *Annosum linquens Doris.* Sequenti versu Stat. codd. habent, *Non acuas: Namque;* vel, *Nonacies: Namque;* vel, *Non acies: Namque:* Mur. et Marcil. membr. cum Venett. Brix. et Vicent. *Nonacrios. Namque ille tulit;* alii codd. *Non acuos:* Guar. conj. *Non vacuus,* quod receperunt Ald. Gryph. Mur. Stat. Græv. alii. Ex his corruptis lectt. Stat. fecit, *Musarum* (vel *Mnemosynæ*) *linquens doctis c. c. Non vacuus: namque, &c.* quem secutæ Gott. et Bip. sed *Mnemonidum* pro *Musarum* reponentes: Scal. refinxit, *Minyasin linquens Doris c. c. Cranona, erisonamque, tulit, &c.* quem videre est inter Variorum Notas. Res est ridicula, et nimis jocosa! Marcil. emend. *quæ sylvæ c. s. Aëriæ, linquens Doris c. c. Minyadum. Namque inde tulit:* Voss. *Xyniasi et linquens Doris c. c. Bœbiados. Namque ille tulit,* quod

NOTÆ

286 *Peneos adest*] Peneus Thessaliæ fluvius supra omnes clarus, qui ortus e monte Pindo juxta Gomphos, et inter Ossam et Olympum montes nemorosa convalle defluens, quingentis stadiis dimidio ejus spatio navigabilis, acceptisque multis Thessaliæ amnibus, per Tempe amœnissimum locum ad erumpendum in mare delabitur.

Tempe] De Tempe loco amœnissimo, tantopere apud Veteres decantato, jam supra Poëmatis hujus versu 35. Sed præter illa Tempe Thessalica, sunt et Tempe in Bœotia, 'Tecmessia' dicta a Tecmesso monte; et in Sicilia, 'Heloria,' ab Heloro amne sic appellata.

288 *Mnemonidum* [*Nessonidum*], *linquens, doctis celebranda choreis*] Nympharum *Nessonidum,* quæ sic dicuntur a palude *Nessonide,* Tempe et Peneo fluvio vicina. Nonnulli alii legunt, *Nereidum,* sed certo certius est lectionem nostram esse sequendam, quam antiqui codices repræsentant, et optima ratio suadet. Constat enim ex Strab. lib. IX. pluribus in locis Nessonidem paludem Tempe vicinam esse, in quam etiam sese effundit Peneus: unde longe satis et convenientius est ut Nymphæ *Nessonides* choreis cele-

Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
Non sine nutanti platano, lentaque sorore
Flammati Phaëthontis, et aëria cupressu;
Hæc circum sedes late contexta locavit,
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.

evulsas, et altas recto trunco lauros, cum vacillanti platano, et flexibili sorore Phaëthontis fulminati, et sublimi cupressu. Ista omnia *circa regiam undequaque simul inserta composuit, ut propylæum jucundis ornatum foliis vernaret. Post hunc sub-*

reposuit ed. anon. Corrad. *Vinosus linquens Doris c. c. Nonacrios; nam, quæ tulit, &c.* Turn. *Æmonidum linquens latis c. c. Non agros; namque:* Heins. *Hæmonisin linquens Doris c. c.* et *actas* pro *altas:* Lennep. *Dona suas namque ille, &c.* Lenz. *Æthereas namque ille tulit radicibus altas*; vel, *ille ruit radicibus. Non vacuus* veram esse lect. ceteraque omnia nugas, plane demonstrat nonnullorum codd. scriptura; nam quid aliud est *Nonacuos*, quam *Nō vacuos*, prisco more pro *Non vacuus?* Literæ *n, u, v*, in membranis pæne similes sunt: insuper consonantes *m* et *n* vocalibus, quas excipiunt, sæpius imponuntur. Vide ad ver. 354. Advenit Chiron, inquit poëta, vs. 280. portans sylvestria dona; nec vacuus advenit Peneos; namque, &c.—291 Pro *nutanti* in Voss. ll. *lutanti, luctanti*, aut *lactanti;* Voss. inde suspicatur Catullum scripsisse *lætanti:* pro *lentaque*, quod nonnulli codd. sine litura exhibent, Scal. dedit *fletaque*, improbante Marcil.

NOTÆ

brent Tempe, utpote vicinæ et fluviales, quam *Nereides*, quæ remotiores et marinæ. Sic autem scribit Strabo lib. IX. Ὑπὸ δὲ σεισμῶν ῥήγματος γενομένου, τὰ νῦν καλούμενα Τέμπη, καὶ τὴν Ὄσσαν ἀποσχίσαντος ἀπὸ τοῦ Ὀλύμπου, διεξέπεσε ταύτῃ πρὸς θάλασσαν ὁ Πηνειὸς, καὶ ἀνέψυξε τὴν χώραν ταύτην. Ὑπολείπεται δ' ὅμως ἥ τε Νεσσωνὶς λίμνη μεγάλη, καὶ Βοιβηῒς ἐλάττων ἐκείνης, καὶ πλησιεστέρα τῇ παραλίᾳ: *Cum autem terræ motus hiatum fecisset, qui nunc Tempe dicitur, abrupta ab Olympo Ossa per eum hiatum Peneus in mare se evolvens siccandam planitiem præbuit. Restant tamen paludes, Nessonis una magna, altera Bœbeis aliquanto minor, et oræ maritimæ vicinior.* Idem Strabo paulo post ubi supra. Καὶ τοὺς ὑπολειφθέντας τῶν Πεῤῥαιβῶν κατέσχον Λαρισσαῖοι, πλησίον μὲν οἰκοῦντες τοῦ Πηνειοῦ,...νεμόμενοι δὲ τὰ εὐδαιμονέστατα μέρη τῶν πεδίων, πλὴν ἔτι σφόδρα κοῖλον πρὸς τῇ λίμνῃ τῇ Νεσσωνίδι, εἰς ἣν ἐπικλύζων ὁ πόταμος, ἀφῃρεῖτό τι τῆς ἀροσίμου: *Perrhæborum reliquias Larissæi occupaverunt prope Peneum habitantes, et fertilissimam planiciem colentes, nisi ubi quid nimis depressum accedit ad Nessonidem paludem, in quam etiam sese effundens fluvius nonnihil arationi aptæ telluris abscindit.* Idemque etiam paulo post: Τὰ δ' ὀρεινότερα χωρία πρὸς τῷ Ὀλύμπῳ καὶ τοῖς Τέμπεσι τοὺς Πεῤῥαιβοὺς,...καὶ τὰ περὶ τὴν Νεσσωνίδα λίμνην καὶ Βοιβηΐδα.

292 *Flammati Phaëthontis*] Arborem populum intelligit. Sorores enim Phaëthontis ipsius interitum deflentes Deorum miseratione in populos conversæ dicuntur; quam fusius Fabulam prosequitur Ovid. Met. II. Alii vero dixerunt eas in alnos esse mutatas. 'Flammatus' dicitur Phaëthon, quod incendio fulminis fuerit absumtus.

294 *Vestibulum ut molli velatum*] Die nuptiarum fores conjugum frondibus, floribus, et coronis ornari solebant. Sic apud Virgil. Æn. IV. 'Variis florentia limina sertis.' Ovid. Fast. IV. 'Et tegat ornatas longa corona fores.' Vide Plut. in Erotico, ubi narrat januam novi conjugis

Post hunc consequitur solerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris vestigia pœnæ;
Quam quondam silici restrictus membra catena
Persolvit, pendens e verticibus præruptis.
Inde pater Divum, sancta cum conjuge, natisque
Advenit cœlo, te solum, Phœbe, relinquens,
Unigenamque simul cultricem montibus Idri:

sequitur ingenio prudenti Prometheus, ferens indicia diminuta prisci supplicii, quod olim passus est ad rupem vinculis religatus corpore ex altis et præruptis Caucasi *jugis suspensus. Deinde Deorum Pater augusta cum uxore, et filiis adest e Cœlo, te solum ibi relinquens, o Phœbe, pariterque gemellam* tuam *sororem sylvicolam in*

Gurl. mavult *flendaque*, vel *flebilique;* at prima in 'flebilis' longa est.—301 In omnibus codd. erat *Idri* vel *Ydri;* et sic in antiquiss. edd. at Parth. dedit in Brix: *montis Ithyni;* Pallad. in Venet. an. 1497. *montibus Idæ*, quod servatum est in Ald. Gryph. Mur. Græv. Delph. et Bip. Victorius, intelligens Minervam, conj. *montis Itonis;* sed jam refutatus est a Mur. Stat. vult *montibus Hydræ;* Scal. *montibus hydri*, h. e. serpentis Pythonis, et interpr. 'in montibus Delphicis;' Marcil. in cujus membr. erat *ydri*, tentabat *montibus udis.*

NOTÆ

et novæ nuptæ ramis oleæ et hedera comparari solitam.

295 *Solerti corde Prometheus*] Quia nempe prudentissimus; qui etiam inter Deos colebatur. Unde cum iisdem a Poëta nostro fingitur Pelei nuptiis et Thetidis interfuisse.

296 *Gerens veteris vestigia pœnæ*] Quod nempe Jovem decepisset in distribuendis carnibus, quod viros mulieresque effinxisset, quodque clam surripuisset ignem e Cœlo mortalibusque dedisset. Unde iratus Jupiter Prometheum per Mercurium catena ferrea ad saxum in Caucaso monte religari jussit, et aquilam apposuit, quæ ejus jecur continuo renascens assidue corroderet. Verum cum postea Jupiter Thetidis amore captus, eam vellet uxorem ducere, Parcæ fata canentes edixerunt, ut quicumque Thetidis esset maritus, filium haberet paterna laude et virtute clariorem. Quod cum Prometheus vigilans audisset, Jovi renuntiavit, qui veritus ejusmodi fatum, et ne quod ipsi Saturno patri fecerat, sibi contingeret, Thetidem destitit velle uxorem ducere. Prometheo autem meritam pro beneficio retulit gratiam, eumque vinculis liberavit, ac Thetidis et Pelei nuptiis interesse jussit. Apoll. R. tamen lib. II. eum liberatum narrat ab Hercule.

299 *Pater Divum, te solum, Phœbe, relinquens*] Significat Jovem cum conjuge Junone, filiis, omnibusque Dis advenisse de Cœlo, ad Pelei et Thetidis nuptias, præter unum Apollinem seu Phœbum cum sorore Diana, qui adesse neglexerunt, hujusmodi nuptias aspernati. Hom. tamen et Æschyl. Phœbum affuisse scribunt, et Carmen Nuptiale Thetidi cecinisse, quo funesta omnia prædicebantur. Scite porro Catullus videtur Apollinem et Dianam removisse ab his nuptiis, cum Diana semper casta, conjugio sit infensa, et futurum esset, ut Apollo Achillem Pelei et Thetidis filium interficeret.

301 *Unigenamque simul*] Sororem

Pelea nam tecūm pariter soror aspernata est,
Nec Thetidis tædas voluit celebrare jugales.
Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus,
Large multiplici constructæ sunt dape mensæ;
Cum interea infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique quercus,
Candida purpurea quam Tyro incinxerat ora:
At roseo niveæ residebant vertice vittæ,
Æternumque manus carpebant rite laborem.

montibus Idæ. Siquidem Diana *germana* tua *una tecum Peleum despexit, nec dignata est faces nuptiales Thetidis celebrare. Qui* Di omnes *posteaquam candida corpora in sedilibus composuerunt, mensæ* statim *fuerunt abundanter plurimis cibis diversi generis instructæ. Cum interim Parcæ commoventes membra* sua *debili gestu inchoarunt canere divina carmina. His alba vestis undequaque contegens membra trementia purpureo limbo talos velaverat; atque etiam in* earum *capite rosas spiranti erant candidæ vittæ,* earumque *manus opus æternum more* suo *per-*

Lect. nostram defendit Voss. docens 'Idrum' montem esse Cariæ.—302 *Pellada nam* in Brix.—304 In Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Scal. et aliis *nimis*, quod defendit Mitsch.—308 Pro *corpus* rescribendum putavit Lenz. *tempus*. In Brix. Venet. an. 1500. Aldd. Junt. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. Delph. Cant. Bip. et aliis *undique vestis;* in omnibus Stat. et Marcil. codd. *undique questus;* in prioribus edd. *undique quercus*, et sic legi jussit Avant.—309 In duobus Stat. codd. et Marcil membr. *purpurea tuos intinxerat;* in Palat. p. Commel. et uno ejusdem Stat. *purpurea Tyros intinxerat;* in Scal. cod. *purpurea Tyrios extinxerat*, et in marg. *extexerat:* in Rheg. *purpureaque Tyros intinxerat;* in Brix. *purpureis ramis intinxerat;* in Venett. *purpurea talos intinxerat:* Avant. legi jussit *incinxerat* probante Marcil. hinc in Ald. Gryph. Mur. Græv. Delph. et Cant. *purpurea talos incinxerat:* Stat. conj. *purpurea Tyros intertinxerat;* Scal. in ed. 1. *purpurea Tyrios excinxerat;* sed in ed. 2. *purpurea Tyrios intexerat*, quod reposuit Bip. in Corrad. *purpurea Tyrios quam intinxerat*, quod recepit Gott. sed male impressit, hoc modo, *quam Tyrios*. Lect. nostra debetur Vossio, et recepta est in ed. anon. Voss. per *Tyro* intelligit 'filiam Salmonei.' Vide Propert. III. 19. 3.—310 Gurl. pro *roseo* tentat vel *raso*, vel *tonso*, vel *roseæ niveo*, vel denique *Ambrosio niveo;* sed hæc

NOTÆ

gemellam Dianam uno eodemque simul partu editam, quæ maxime montes Idæos colit, ubi venatur. De montibus autem Idæis Cretensibus debet intelligi Poëta, quoniam apud Cretenses Diana præcipue colebatur. Ovid. in Fast. 'Pallada Cecropidæ, Minoia turba Dianam.'

307 *Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus*] Dum Jupiter cum Junone et ceteris Dis discumberet, Parcæ Carmen Nuptiale canere cœperunt vera, rata, et fixa Achillis fata continens. Sed antequam Parcarum cantus referat Poëta, earum habitum et opus tam scienter et graphice expressit, ut nullus unquam Pictor nentes mulieres tam docte expingere possit.

Læva colum molli lana retinebat amictum:
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis; tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum:
Atque ita decerpens æquabat semper opus dens,
Laneaque aridulis hærebant morsa labellis,
Quæ prius in levi fuerant extantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hæ tum clarisona pellentes vellera voce,
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiæ quod post nulla arguet ætas:
O decus eximium, magnis virtutibus augens,
Emathiæ tutamen opis, clarissime nato;

[illegible] *Illarum sinistra* manus *colum facili vellere onustam tenebat; dextera* vero [illegible] *molliter torquens stamina digitis inversis deducebat fila, modo declivi pollice* [illegible]*um in volubilem gyrum fusum flectebat; ac deinde* earum *dentes morsu ex*[illegible] *eximentes jugiter fila lævigabant, et carptus lanei siccis* earum *labris inhæ*[illegible], *qui antea in tenui filo eminuerant. Ad earum vero pedes quasilli viminei* [illegible] *mollia lanicia candidi velleris. Tum illæ trahentes pensa, fusos versantes* [illegible]*modulamine, cecinerunt hujusmodi fata veridico vaticinio, quod nullum postea* [illegible]*mendacii insimulabit: O Peleu, genere illustrissime, Æmathiæ præsidium,* [illegible]*cumulans virtutibus inclytam* tuam *gloriam: audi divinum Oraculum, quod*

---

est [illegible] Vulpii.—312 In Ald. Junt. Gryph. Mur. Græv. et ed. anon. *amictam.*—[illegible] In nonnullis libris antiquis, *prono in vertice*, teste Voss. sed lect. [illegible] testantur omnes Statiani.—315 *Vibratum* magis placet Vulpio.—318 In Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. Voss. Vulp. ed. anon. Gott. Bip. aliis, *leni*; sed *levi* ex Venet. an. 1500. revocandum putavit Doer.—321 [illegible] in edd. vett. Faërn. legebat *pellentes aëra*; Stat. *pectentes vellera*, impr[illegible] Voss. *polientes vellera* Heins.—322 In quibusdam *dimisso*, improbante Voss. [illegible]ui ex aliis codd. dedit *diviso*, et exposuit de alterno Parcarum carmin[illegible] [illegible]davit in hanc rem Hor. I. Od. 15. 15. Vossium secutus est Ed. anon.—[illegible] Vetus scriptura, teste Scal. erat, *Carmine perflabat.*—324 Hæc Atropo [illegible] in ed. anon. In omnibus Stat. codd. *et magnis.*—325 *Emathiæ* [illegible] in Ald. Scal. Græv. aliis, 'haud dubie ex glossa,' inquit

NOTÆ

315 *Tereti* [illegible]*at turbine fusum*] In orbem et in [illegible]m versabat. Tibull. lib. II. Eleg. [illegible] 'Fusus et apposito pollice ve[illegible] [illegible]us.'

317 *Aridulis* [illegible] *morsa labellis*] Propter exhaust[illegible] [illegible] [illegible]endo salivam. *Aridulis*, pro 'aridis:' ut supra 'frigidulos singultus;' 'albulus columbus.' Vocabula illa Catullo sunt familiaria.

325 *Emathiæ tutamen opis*, [*columen Peleu*] *clarissime nato* [*natu*] Hic sumitur *Emathia* pro Thessalia; quanquam apud omnes Auctores, præter Catul-

Accipe, quod læta tibi pandunt luce sorores,
Veridicum oraclum: sed vos, quæ fata sequuntur,
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
  Adveniet tibi jam portans optata maritis
Hesperus: adveniet fausto cum sidere conjux,
Quæ tibi flexanimo mentem perfundat amore,
Languidulosque paret tecum conjungere somnos,
Levia substernens robusto brachia collo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
  Nulla domus tales unquam contexit amores:
Nullus amor tali conjunxit fœdere amantes:
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.

tibi tres pandunt Sorores hac optata die. At vos, o fusi, ex quibus fata pendent, currite, currite, nentes fila. Aderit tibi mox Hesperus, afferens sponsis quod cupiunt: aderit cum felici stella uxor, quæ tibi animum amore jucundo perfundat, atque apparet tecum languentes somnos conciliare, supponens validis cervicibus tuis *mollia* sua *brachia.* O *fusi, currite, currite, nentes fila. Vobis nascetur*

Doer. Vide ver. 26. in Stat. codd. *tutamen opis carissime nato;* Dousa P. conj. *clarissime natu.*—326 Lennep. ad Coluth. conj. *voce* pro *luce.*—327 Pro *sed vos* in Voss. vett. ll. *servos;* unde fecit *serves,* (quod reposuit ed. anon.) improbante Doer.—328 In nonnullis edd. vett. *subtegmina.*—329 Hæc Clotho dantur in ed. anon.—331 In Stat. codd. *flexo animo.*—335 Hi quatuor versus, qui Lachesi in ed. anon. dantur, in duobus codd. Stat. uno Scal. nonnullis Voss. et edd. prioribus non erant; sed legebantur in Maff. l. Mediol. et aliis bonæ notæ codd. eos rejecit Scal. retinendos censet Voss. sed, ne cantantium Parcarum ordo, ex cujus ratione versus intercalaris *Currite, &c.* non nisi duodecies occurrere debet, turbetur, uncis inclusit. In quibusdam edd.

NOTÆ

lum et Lucanum, *Emathia* sit proprie Macedonia, sic dicta ab Emathione rege, cujus, ut refert Justinus, prima virtutis experimenta in illis locis extant. Male, me judice, legitur vulgo, *Peleu clarissime nato*, i. e. Achille; cum tamen legendum sit, *natu*, hoc est, genere ac natalibus. Adde quod *natus* ille, nondum Peleo natus erat, quo tempore Parcæ finguntur a Catullo hæc cecinisse. Disertissime enim postea de Achille novis conjugibus nascituro, ejusque præclare factis et virtutibus vaticinantur Parcæ: 'Nascetur vobis expers terroris Achilles.'

326 *Sorores*] Parcæ. Sic Horat. II. Od. 3. 'Dum res, et ætas, et Sororum Fila trium patiuntur atra.'

328 *Currite, ducentes, &c.*] Versus intercalaris, qui sæpius interpositus repetitur.

329 *Portans optata maritis Hesperus*] Superius docuimus adveniente tantum Vespero, et post Solis occasum, consuevisse novam nuptam apud Antiquos in mariti potestatem et manus venire: unde dicitur Hesperus gaudia et vota maritis afferre.

Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus :
Qui, persæpe vago victor certamine cursus,
Flammea prævertet celeris vestigia cervæ.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Non illi quisquam bello se conferet heros,
Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine rivi :
Troicaque obsidens longinquo mœnia bello
Perjuri Pelopis vastabit tertius hæres.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Illius egregias virtutes, claraque facta

impavidus Achilles, hostibus non tergo, sed constanti pectore cognitus, qui celeri pugna cursus sæpissime victor præveniet veloces rapidæ cervæ pedes. O fusi, currite, currite, nentes stamina. Huic nullus Heros bello se comparabit, quando Phrygii amnes Teucro sanguine exundabunt, et tertius hæres perfidi Pelopis diuturno bello Trojanos muros oppugnans urbem Trojam *evertet. Currite, currite, o fusi, nentes fila. Mutres in exequiis filiorum suorum frequenter prædicabunt*

vett. *unquam tales.*—339 Hæc Atropo dantur in ed. anon.—344 Hæc Clotho dantur in eadem.—345 In duobus Stat. codd. *Cum Phrygii tenero m. s. Teucri;* in Maff. l. *Cum Phrygii Teucro m. s. tenen,* sed *tenen* ab eodem librario deinde mutatum in *Teucri,* quod probat Vossius : Stat. conj. *Cum Phrygii tenero m. s. campi;* vel, *Cum Phrygiæ Teucro m. s. terræ;* vel, *Cum Phrygii Teucro m. s. maris;* nam *rivi* nullo modo legendum putavit: in Rheg. et nonnullis codd. *trunci;* in aliis *teneri:* Mitsch. emend. *Quam Phrygio tepidi m. s. campi;* Lenz. *Quum rigui Teucro m. s. campi,* sive *rivi.* Lect. nostram tuentur Venet. an. 1500. Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. Delph. Vulp. ed. anon. et Bip.—346 *Troiaque* in ed. anon.—349 Hæc Lachesi dantur in eadem.

NOTÆ

339 *Expers terroris Achilles*] Græcorum fortissimus celebratur Achilles, qui hic impavidus et intrepidus prædicitur. Ligyron primo dictus est, deinde Achilles, quod labra mammis non admovisset, sed nutritus fuisset a Chirone leonum visceribus et aprorum, ursorumque medullis.

340 *Hostibus haud tergo, sed forti pectore*] Hæc maxima viri fortis commendatio, qui pectore, non tergo sit notus hostibus; indicium enim est eum nunquam fugisse.

345 *Phrygii Teucro manabunt sanguine rivi*] Fluvii Trojani sunt, Xanthus et Simois, qui, dum Troja a Græcis oppugnaretur, sæpius Trojanorum sanguine a Græcis interfectorum fluxerunt.

347 *Perjuri Pelopis tertius hæres*] Agamemnon intelligitur, Plisthenis filii Pelopis filius, qui Dux fuit Græcorum, quique Trojam dicitur post longum et diuturnum bellum expugnasse. 'Perjurus' Pelops dicitur, quod fidem Myrtillo Œnomai aurigæ non servaverit, sed illum in mare præcipitaverit, quod ab eo dictum est Myrtoum. Fabula nota est. Vel denique dicitur 'perjurus,' quod socerum suum Œnomaum perfidiose necarit. Hygin. cap. 245.

Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres;
Cum in cinerem canos solvent a vertice crines,
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
  Namque, velut densas prosternens cultor aristas,
Sole sub ardenti flaventia demetit arva,
Trojugenum infesto prosternet corpora ferro.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
  Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quæ passim rapido diffunditur Hellesponto:
Quojus iter cæsis angustans corporum acervis,
Alta tepefaciet permixta flumina cæde.

ipsius eximias tum corporis tum animi dotes, et inclyta facta, cum a capitibus effundent cinere inspersos capillos, et manibus ægris sibi pectora livida maculis inficient. Currite, currite, o fusi ducentes stamina. Etenim quemadmodum messor resecans copiosas spicas ad solem ferventem flavescentes agros prosternit: sic ille *inimico gladio Trojanorum corpora demetet. Currite, currite, o fusi, nentes stamina. Aqua* fluvii *Scamandri fatebitur ejus præclara facta, quæ in æstuosum Hellespontum abundanter influit, cujus* quidem fluminis *alveus coarctatus occisorum hominum cumulis, profundas ejus aquas reddet tepidas sanguine profuso. Currite, currite, o*

—351 In duobus Stat. codd. *Cum in civium canos;* in uno ejusdem, *Cum incurvum canos;* unde fecit, *Cum incurvo incanos:* ex vet. lect. *Quum cinerem canos* Scal. eruit *Quum cineri incanos:* in Ald. Gryph. Mur. Stat. et Bip. *Cum tremulo incanos;* Græv. sequitur Scal. sed non accurate, legens *cinere,* quem errorem quoque propagavit Delph. Lect. nostram tuentur Marcil. membr. Voss. et ed. anon.—352 *Patriaque* in quibusdam, teste Heins. *Putidaque* in uno Stat. cod.—354 Hæc Atropo dantur in ed. anón. In Scal. cod. Maff. l. et quibusdam Voss. *præcernens cultor;* in uno Stat. *præteriens cultor;* in altero ejusdem *præterves cultor*, quod et legi possit *præcernēs*, i. e. *præcernens,* ob similitudinem inter *t* et *c*, et *v* et *n*, in codd. antiq. Stat. inde conj. *præcerpens cultor:* Avant. legi jussit *præcernens messor;* Venet. an. 1500. Ald. Gryph. et Mur. exhibent, *prosternens messor;* Scal. *præsternens cultor;* Græv. *præsternens messor;* Corrad. *præcernens cultor.* Lect. nostram servant Voss. Vulp. ed. anon. Bip. et recentiores.—356 In omnibus Stat. codd. *prosternens.* —358 Hæc Clotho dantur in ed. anon. Pro *magnis* Heins. vult *magni,* improbante Doer.—359 *Quæ passu rapido* olim tentabat Mitsch. sed revocavit *passim* in Lect. in Catull. p. 151. quod explicat *ἀθρόως.*—360 Pro *angustans*

NOTÆ

358 *Unda Scamandri*] Amnis est Scamander ex Ida monte profluens, qui et Xanthus dictus est. Hic irrigata Troade in Hellespontum influit. Vid. Hom. Iliad. 21.

359 *Hellesponto*] Hellespontus est mare angustum inter Thraciam et Asiam, ita dictum ab Helle Athamantis filia, quæ cum una cum Phrixo fratre in Colchicam regionem transfretaret, in illud decidit. Vide Plin. lib. v. cap. 18. Strab. lib. II. et Solin. cap. 10.

361 *Tepefaciet*] Syllabam brevem in *tepefaciet*, licentia poëtica produx-

Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Denique testis erit morti quoque dedita præda:
Cum teres excelso coacervatum aggere bustum
Excipiet niveos perculsæ virginis artus.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Nam simulac fessis dederit fors copiam Achivis
Urbis Dardaniæ Neptunia solvere vincla:
Alta Polyxenia madefient cæde sepulcra;
Quæ, velut ancipiti succumbens victima ferro,
Projiciet truncum summisso poplite corpus.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Quare agite, optatos animi conjungite amores;

fusi, nentes fila. Tandem etiam testis aderit ipsius præda leto tradita, quando constructum alto terræ tumulo sepulcrum ejus candida membra mactatæ Polyxenæ virginis recipiet. Currite, currite, o fusi, nentes fila. Etenim statim atque fortuna, Græcis bello fractis, fecerit potestatem dissolvendi compages murorum urbis Dardaniæ a Neptuno constructorum: tunc excelsus Achillis tumulus perfundetur sanguine Polyxenæ, quæ ut hostia procumbens gladio utrimque acuto projiciet inflexo genu corpus capite truncatum. Currite, currite, o fusi, nentes stamina. Eia itaque simul

Burm. II. malit *augustans;* sed lect. nostram defendit Mitsch.—363 Hæc Lachesi dantur in ed. anon. Pro *morti* in quibusdam *marti*, improbante Doer.—364 *Cum terræ* in Heins. codd. unde ille, *Cum Teucro e cæso c. agmine bustum.*—365 In Marcil. membranis *perculsæ;* in Ald. Mur. et aliis *percussæ*, probante eodem Marcil.—367 Hæc Atropo dantur in ed. anon. *Nam simul hanc* in nonnullis codd. teste Bach ad Tibull. I. 5. 56. in aliis *sors* pro *fors.*—369 In omnibus Stat. et Scal. codd. *madescent;* Stat. conj. *madidescent.*—370. 371 Hujus interpunctionis laudem sibi arrogat Doer. at h. l. sic etiam interpungitur in ed. anon.—373 Hæc Clotho dantur in eadem.—377 In ed.

NOTÆ

it. Ovid. 'Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam.'

363 *Morti quoque dedita præda*] Achilli mortuo data Polyxena quasi pars prædæ ipsi debita, utpote quæ vivo ipsi fuerat promissa: et quam cum esset ducturus in templo Apollinis a Paride interfectus est. Unde cum Polyxena Neoptolemo seu Pyrrho Achillis filio, capta jam Troja, in prædæ divisione obvenisset, illam ad patris tumulum mactavit, ut hic declarat Catullus.

365 *Perculsæ virginis artus*] Polyxenæ a Pyrrho ad patris Achillis sepulcrum interfectæ, ut ipsius Manibus casto virginis sanguine parentaret.

368 *Urbis Dardaniæ Neptunia vincla*] Quia nempe mœnia urbis Trojæ fuerant a Neptuno et Apolline ædificata, Laomedonte Deorum operam conducente.

370 *Victima ferro*] Non tantum ut victima, sed et ut hostia vere et proprie mactata fuit Polyxena, quia et hostis ab hoste, et victa a victoribus fuit immolata.

Accipiat conjux felici fœdere Divam:
Dedatur cupido jamdudum nupta marito:
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Non illam nutrix orienti luce revisens,
Hesterno collum poterit circumdare filo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Anxia nec mater discordis mœsta puellæ
Secubitu, caros mittet sperare nepotes.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.—
Talia profantes quondam, felicia Pelei

jungite suaves animi ardores; sponsus recipiat fortunato fœdere Deam. *Tr* nunc *uxor viro pridem eam concupienti. Currite, currite, o fusi, nentes fila.* *nutricula primo mane eam revisens, collum* ejus *præcingere filo hesterna di* *non valebit. Currite, currite, o fusi, nentes stamina. Nec* ejus *mater sol* *tristis ob filiæ dissentientis segregem a se cubitum, desinet exoptatos sperare* *ros. Currite, currite, o fusi, nentes fila. Hæc quondam Parcæ canentes sic p*

eadem intercalaris vs. 379. rejicitur, et omnia Lachesi dantur usque 382. Vide VV. LL. ad vs. 335.—383 Pro *præfantes* ex ed. Passer. *pr* reposuit Doer. favente Tollio; docent enim Gronov. et Drakenb. s XXII. 1. 'profari,' non 'præfari,' in signif. 'prædicendi,' 'vaticinandi piendum esse. At τὸ *præfantes* usurpavit poëta in signif. 'pronunt non item 'vaticinandi,' ita ut *Talia præfantes felicia carmina* jungerent sic, ni fallor, accepit Scal. qui hoc modo interpungit, *Talia præfante dam felicia Pelei Carmina, divino, &c.* præterea prima in 'profari,' nusquam apud poëtas producitur. In omnibus aliis edd. et scripti

NOTÆ

378 *Hesterno collum filo*] Latius collum fieri defloratæ virginis, quam intactæ et illibatæ putabant Veteres: unde docte et scite suo more Catullus significat Thetidem brevi fore matrem, cum futurum sit, ut postridie nuptiarum ejus collum eodem filo quo heri, ut pote breviori, circumdari aut mensurari non posset.

380 *Anxia nec mater mœsta*] Congeries epithetorum, *anxia, mœsta,* pro *anxia et mœsta;* quia maternus amor mentem consistere non sinit: *discordis;* a se dissidentis et discedentis, ut solent discordes. Ita 'Tanais discors' dicitur Horatio III. Od. 29. quia in duas se findit partes, quarum altera in Mæotidem paludem, in Cimmerium Bosporum ex Ovid. 'Discordemque utero tulit.'

381 *Secubitu*] Quod seorsim cubet; antea enim una cum dormire solebat Thetis, ut supr mus. 'Quam suaves exspira tus odores Lectulus in moll plexu matris alebat.'

383 *Talia profantes* [*præ* 'Præfari vox est vaticinii, ut unde 'fatum' dicitur. Conclu tur Poëta, hæc fuisse carmina dictiones de Pelei et Thetidis tate a Parcis, quarum est f arcana reserare, editas.

Carmina divino cecinerunt omine Parcæ.
Præsentes namque ante domos invisere castas,
Sæpius et sese mortali ostendere cœtu
Cœlicolæ, nondum spreta pietate, solebant.
Sæpe pater Divum templo in fulgente revisens
Annua cum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra centum procurrere currus.
Sæpe vagus Liber Parnassi vertice summo

tiarunt cœlestibus auspiciis fortunata Pelei fata. Olim enim Di, cum non esset adhuc contemta virtus, consueverant frequentius præsentes visitare hominum ædes crimine immunes, et humanis sese cœtibus exhibere. Frequenter Deorum Rex homines *invisens in templo micanti, cum sua sacra quotannis celebrarentur diebus solennibus, spectavit centum rhedas per terram concurrere: frequenter errans Bacchus in*

---

præfantes: vide ad vers. seq. Pro *felicia* in quibusdam *fatalia.*—384 In Guelf. 2. Venett. Brix. Vicent. Rheg. Ald. Junt.} Gryph. Mur. Stat. aliis, *divino c. pectore:* lect. codd. non profert Statius: Scal. ex suo cod. reposuit *divino c. omine,* quem sequuntur Græv. Delph. Bip. alii: in Vat. *divino c. pectine;* unde Voss. dedit, *diviso c. pectine,* quod reposuerunt Vulp. et Ed. anon. *divino c. omnia* tentat Lennep. hunc et antecedentem vers. sic emend. Lenz. *Talia præsentes quondam felicia Pelei Carmina apud Divos c. omina Parcæ.*—386 Ita hic versus legitur in omnibus fere edd. vett. in duobus Stat. codd. et Marcil. membranis, *Nereus et sese;* Scal. ex cod. reposuit *Nereus ut sese;* in altero Stat. *Hereus sese,* sine *et;* ex quo Baptista Sigicellus fecit, *Heroum et sese,* probante Marcil. quam emend. receperunt Voss. Vulp. et Ed. anon. Stat. conj. *In terris sese et mortali;* Mel. *Verius et sese.*—388 Pont. emend. *templo a fulgente.*—389 *Annua dum* in Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. Voss. Vulp. ed. anon. Bip. aliis: *cum* reposuit Doer. quod testantur Rheg. Heins. cod. a marg. et alii codd. ap. Ed. Cant.—390 In quibusdam edd. vett. *Cretum* pro *centum,* improbante Scal. quod tamen reposuit Græv. in duobus Stat. codd. *percurrere;* in Maff. l. *procumbere.*—391 In quibusdam edd. vett. *e ver-*

NOTÆ

388 *Sæpe pater Divum*] Jovem intelligit; enumeratque Deos, qui, nondum pietate ab hominibus neglecta et abjecta, cum ipsis quondam versabantur.

389 *Annua cum festis sacra diebus*] Hoc de Ludis Olympicis quidam interpretantur, quod quidem ita esse non potest, cum Ludi isti non essent annui, sed quinquennales. Alii putant Catullum hoc loco Ludos Circenses attigisse, cum maxime subjunxerit, 'Conspexit terra centum procurrere currus.' Sic enim etiam Virgil. Georg. III. 'Centum quadrijugos agitabo ad littora currus.' Ubi Servius ex Varrone de Gente Populi Romani: 'Viginti quinque missus ait fieri solitos uno die Circensium:' unde in unoquoque missu, qui septies repetebatur, erant quatuor currus. Propert. lib. II. Eleg. 25. 'Nec prius infecto deposcit præmia cursu, Septima quam metam triverit ante rota.'

391 *Vagus Liber Parnassi vertice summo*] Ex hoc loco nonnulli volunt inferre, eundem esse ex Catulli sententia Bacchum et Solem seu Phœbum, cui sacer est Parnassus. Sed revera fuit Parnassus et Baccho et

Thyadas effusis evantes crinibus egit:
Cum Delphi, tota certatim ex urbe ruentes,
Acciperent læti Divum fumantibus aris.
Sæpe in letifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo
Armatas hominum est præsens hortata catervas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Justitiamque omnes cupida de mente fugarunt:
Perfudere manus fraterno sanguine fratres:

præcelso culmine Parnassi agitavit Thyadas furentes dispersis capillis, cum Delphi ex omni civitate turmatim erumpentes Deum gaudentes altaribus fumantibus reciperent. Frequenter in prælio militiæ mortifero Mavors vel Domina Tritonis rapidi, vel Rhamnusia puella præsens copias hominum armis instructas excitavit. At vero posteaquam terra polluta est nefariis flagitiis, et universi homines ex animo passionibus æstuanti justitiam expulerunt, fratres germano cruore manus

tice.—392 *Thyiadas* in nonnullis.—394 *Acciperent lacti Divum spumantibus* ex codd. suis reposuit Voss. *lacti* pro *lacte*, ἀρχαϊκῶς. Vossium secuti sunt Vulp. et Ed. anon. *Acciperent Lætonigenam*, vel *Letoidem acciperent læti*, vel *Letoum acciperent læti* tentat Heins. *Acciperent tædis Divum fumantibus acres*

NOTÆ

Phœbo consecratus; duplex enim habuit jugum; quorum alterum Phœbo, alterum Baccho sacrum. Unde in eodem monte tum Phœbo, tum Libero patri ex æquo rem divinam faciebant. Lucan. lib. v. 'Parnassus gemino petit æthera colle: Mons Phœbo Bromioque sacer, cui numine misto Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.'

392 *Thyadas evantes*] 'Bacchas furentes et evoë clamantes.' Porro dicitur Bacchus sacrificulas suas e vertice Parnassi egisse, tum quia Parnassus ipsi sacer, tum quia in montibus Bacchanalia seu Sacra Bacchi celebrabantur. Virgil. Æn. IV. 'Ubi audito stimulant Trieterica Baccho Orgia, nocturnisque vocat clamore Cithæron.' Idem Georg. II. 'Virginibus bacchata Lacænis Taygeta.' Unde manifestum est omnes fere montes fuisse Baccho sacros, juxta illud, 'Bacchus amat colles.'

393 *Cum Delphi*] Posuit continens pro contento. *Delphi* enim est oppidum sub monte Parnasso clarissimum Apollinis Oraculo, quod orbis umbilicum dixerunt.

394 *Acciperent Divum fumantibus aris*] Ipsum nempe Bacchum, cui ingentem victimarum copiam immolarunt.

395 *Mavors*] Mars etiam bellorum temporibus cum hominibus versatus est. Hom. Iliad. v. inducit ipsum cum Pallade pro Trojanis contra Diomedem stetisse.

396 *Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo*] Triton torrens in Bœotia; palus, et fluvius in Africa; ad quæ loca natam dicunt Palladem: unde 'Tritonis' dicta est. 'Rhamnusia' autem est 'Nemesis,' Dea scelerum ultrix, sic dicta ab Atticæ pago, cui 'Rhamnus' nomen, ubi Templum habuit celeberrimum.

Destitit extinctos gnatus lugere parentes:
Optavit genitor primævi funera gnati,
Liber ut innuptæ potiretur flore novercæ:
Ignaro mater substernens se impia gnato,
Impia non verita est Divos scelerare penates:
Omnia fanda, nefanda, malo permixta furore,
Justificam nobis mentem avertere Deorum.
Quare nec tales dignantur visere cœtus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

polluerunt, filii cessarunt mortuos parentes deflere, pater appetiit mortem filii sui primogeniti, ut securus pellicis novercæ ætate florenti et forma frueretur: mater execranda seipsam filio nescienti supponens et subjiciens, sacrilega, inquam, mater *non timuit Deos Penates scelere contaminare: omnia* ista *justa et injusta, sine ullo discrimine impia mentis humanæ vesania confusa, benignam a nobis Deorum voluntatem abalienarunt. Ideoque neque dignantur tam sceleratos hominum cœtus invisere, neque aperta luce videri volunt.*

mavult Lenz.—402 *Captavit* præfert Mitsch.—404 *Ignaro mater se obsternens* Barth. e Palatt. probante Doer. at 'pudicitiam suam alteri substernere' dixit simili modo Sueton. Aug. 68.—405 Scal. ex cod. suo dedit *Divos scelerare parentes*, intelligens *πατρῴους θεούς*· quod reposuit Bip. sed *penates* exhibent omnes edd. vett.—406 In quibusdam *permissa*, improbante Doer.

NOTÆ

405 *Divos scelerare Penates*] 'Penates' Servio dicuntur Dii omnes qui domi coluntur. De his vide Macrob. lib. III. cap. 4. et Nicolaum Comit. lib. IV. cap. 2.

CARMEN LXV.

AD HORTALUM.

Etsi me assiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Hortale, virginibus:

O carissime *Ortale, quanquam me solicitudo continuo absumtum mærore sepa-*

1 In quibusdam Vossii *defectum*.—2 *Sevocat* in Marcil. membranis, sed

NOTÆ

1 *Etsi me assiduo*] Qui Catulliani laboris monumenta varias in partes secant, hinc tertiam ultimamque ipsius operis partem exordiri volunt, in qua postquam Elegias quasdam Hexametro pentametroque versu

Nec potis est dulces Musarum expromere fœtus
  Mens animi: tantis fluctuat ipsa malis:
Namque mei nuper Lethæo gurgite fratris
  Pallidulum manans alluit unda pedem;
Troia Rhœteo quem subter littore tellus
  Ereptum nostris obterit ex oculis.
Alloquar? audierone unquam tua facta loquentem?
  Nunquam ego te, vita frater amabilior,

rat a doctis novem *puellis, nec potest animus* meus *preferre jucundos Musarum fœtus: adeo magnis agitatur doloribus. Etenim aqua defluens amne Lethæo non ita pridem irrigat pedes fratris mei pallentes, quem e nostro conspectu raptum contegit terra Trojana sub littore Rhœteo.* .... O *frater, longe mihi vita jucundior, nun-*

---

non sine litura; sic tamen ut ex vestigiis erui potuerit *Sejugat:* in edd. vett. Venett. Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. *Ortale;* in Voss. Vulp. ed. anon. aliis *Hortale.*—3 In omnibus codd. *Nec potis est dulcis musarum;* in marg. Scal. cod. *Nec potis est harum dulcis,* quod ille probat, sed improbat Marcil. *exponere* affert Voss. pro *fœtus, sensus* vel *fletus* in aliis codd. quod posterius retinendum censet Voss. et *dulces fletus* interpr. 'Elegos:' eum secutus est Ed. anon.—4 In quibusdam edd. vett. *Mens hominum;* Avant. legi jussit *animi:* Heins. conj. *icta malis,* quod valde probat Doer.—5 *Lethæi gurgite* in omnibus Stat. codd.—8 Ita in omnibus Stat. codd. *obtegit* affert Guar. *obruit* conj. Stat.—9 Hunc versum damnarunt Stat. et Scal. quod deerat in codd. suis, eum quoque expunxit Græv. at extabat in Marcil. membranis, ut et in edd. vett. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Gryph. et Mur. et revocandum putavit Voss. quem secuti Vulp. Ed. anon. alii. Pro *facta* in quibusdam *fata;* in Venet. an. 1500. Ald. Gryph. et Mur. *verba;* Marcil. ex mem-

NOTÆ

currentes docte et ingeniose more suo lusit Catullus, eodem carminis genere Epigrammata subtexuit.

2 *Hortale* [*Ortale*] *virginibus*] Primum igitur hoc ex Elegiis Carmen ad Ortalum amicum scribit Catullus, quo se excusat, quod dolore ex fratris sui morte suscepto impeditus non potuerit cito, ut ille volebat, ejus desiderio facere satis. Ab ipso enim postulaverat Ortalus, ut, quam Græcam de Coma Berenices Callimachus Elegiam composuerat, vellet ipse Latinam facere; quod cum demum peregisset, illam ad Ortalum mittit. Quis porro fuerit Ortalus ille ambigitur. Nonnulli suspicantur ipsum esse quem alio nomine Hortensium Poëtam vocant, Catulli, Calvi, Cinnæ, et Memmii Poëtarum æqualem.

4 *Mens animi*] Eleganter dicitur pro *animo* simpliciter. Plaut. Cistell. Bacchid. et alii passim. Lucr. lib. III. 'Denique cur animi nunquam mens consiliumque Gignitur in capite.'

5 *Lethæo gurgite*] Lethe fluvius est Inferorum, qui dicitur oblivione mortuis inducere. Λήθη enim Græce, Latine *Oblivio* dicitur. Unde Virgil. 'Longa oblivia potant.'

7 *Rhœteo littore*] Rhœteum Promontorium est Troadis Regionis, Ajacis sepulcro celebre, sicut Sigæum Achillis.

Aspiciam posthac? At certe semper amabo,
  Semper mœsta tua carmina morte canam:
Qualia sub densis ramorum concinit umbris
  Daulias, absumti fata gemens Ityli.
Sed tamen in tantis mœroribus, Hortale, mitto
  Hæc expressa tibi carmina Battiadæ;
Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
  Effluxisse meo forte putes animo:
Ut missum sponsi furtivo munere malum
  Procurrit casto virginis e gremio,

quam ego te videbo in posterum? Sed equidem te perpetuo diligam: jugiter faciam versus tristes in obitum tuum. Quemadmodum Daulias deflens mortem Ityli extincti mœstos *edit cantus sub opacis arborum umbraculis. Attamen, carissime Ortale, in tanto dolore ad te mitto hos versus Battiadæ ad verbum* fere e Græco *conversos; ne forsitan credas tua verba ventis rapidis incassum tradita e memoria mihi excidisse: sicut pomum clandestino proci dono missum decidit e sinu pudico puellæ, quod repositum subter tenui veste infelicis* virginis, *quæ oblita est* illud ibi esse,

branis affert *dicta*, addens, 'suspicati aliqui fuisse, *tria verba*.'—11 In edd. vett. *ac certe;* Avant. legi jussit *at*.—12 In omnibus codd. Stat. et Scal. et Marcilii membranis *tegam* pro *canam;* in edd. vett. et Ald. 1. *legam*, quod reponendum putarunt Stat. et Scal.—14 In Stat. codd. *assumpti fata gemens Ituli;* et sic est in edd. vett. Ald. Gryph. Mur. et Græv. *absumpti* conj. Stat. laudans Propert. III. 10. 10. pro *Ityli* Scal. cod. habet *Prothei;* Marcil. membr. *Itelei*.—16 *Hæc excerpta* in Scal. cod. et Marcil. membranis. *experta* ad libb. plur. fidem reduxit Voss. quem secuti sunt Vulp. et Ed. anon. 'sed nostra lect. accommodatissima videtur, quam tuentur omnes fere edd. antiquiores.' *Doer.*—19 Alii legunt *sponsæ*, inquit Passer. cujus conj. videsis inter Vario-

NOTÆ

14 *Daulias fata gemens Ityli*] Docta et elegans comparatio, qua dolorem suum Catullus expressit. Dicit enim se talibus mortem fratris carminibus defleturum, qualibus Philomela Ityn absumptum conqueritur. *Daulias* autem dicitur Philomela, a 'Daulia' regione Phocidis Atticæ vicina, in qua nefarium circa Ityn facinus patratum est, et hinc 'Daulias avis' Poëtarum carminibus celebratur. Non enim Tereus Procnes maritus regnavit in Thracia, ut Latini tradunt Scriptores, sed in *Daulia* Phocidis prope Atticam, ut scribit Thuc. lib. II. Itys autem Catullo more familiari diminutive dicitur 'Itylus.' Terei porro Regis et Philomelæ Fabula nota est. Videsis Ovid. Met. VI.

16 *Battiadæ*] Hoc est, Callimachi; Callimachus enim a Batto Cyrenarum Rege et conditore originem ducere se testatur apud Strab. lib. XVII. unde 'Battiades' dicitur Callimachus. De hoc vide Gell. Noct. Att. lib. VII. cap. ultimo.

19 *Furtivo munere*] Quod nimirum clandestine missum est a proco, qui hic sponsus dicitur Catullo, ut proci Penelopes dicuntur sponsi. Horat. I. Epist. 2.

20 *Virginis e gremio*] Nec mulieri,

Quod miseræ oblitæ molli sub veste locatum,
Dum adventu matris prosilit, excutitur,
Atque illud prono præceps agitur decursu:
Huic manat tristi conscius ore rubor.

dejicitur dum ad matris adventum exsurgit, et ipsum statim proclivi præceps devolvitur spatio. Inde vultus tristi puellæ *rubore culpæ indice suffunditur.*

rum Notas.—23 *Atque illinc* in libb. quibusdam Voss. *Atque, illud prono præceps dum agitur* conj. Doer.—24 *Hinc* legi jussit Avant. certe in uno Stat. cod. erat, *Hinc manat natæ conscius ore rubor.*

NOTÆ

nec gremio credi oportere, proverbium est: quod mulier levis et incerti animi: et sæpius in gremio posita, cum venerint in oblivionem exsurgentium, decidunt.

CARMEN LXVI.

DE COMA BERENICES.

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
Qui stellarum ortus comperit atque obitus:

Ille Conon, *qui disquisivit omnes stellas vasti cæli, qui cognovit siderum ortus*

1 In omnibus Stat. codd. *despexit;* Bentl. conj. *descripsit;* utrumque improbat Doer. in Ald. Gryph. Mur. et aliis vett. *dispexit:* Voss. dedit *mœnia mundi*, quod jam explosum est a Bentleio.—2 In duobus Stat. codd. *atque habitus;* in uno ejusdem *atque abitus*, quod ex auctoritate vett. libb. defendit

NOTÆ

1 *Omnia qui magni*] Hyginus lib. de Signis Cœlestibus, ubi de Leone agitur, hujus Elegiæ a Callimacho Poëta Græco compositæ, et a Catullo nostro Latinitate donatæ, argumentum declarat, quod hujusmodi est. Ptolemæus Rex Ægypti, cognomento Evergetes, Berenicen seu Beronicen Ptolemæi Philadelphi filiam sororemque suam duxit uxorem. Paucis vero post initum matrimonium diebus, contigit ut adversus Assyrios expeditionem susciperet, in quam cum proficisceretur, crinem suum Veneri vovisse Berenice dicitur, si ad se suus conjux sospes victorque rediret. Cum autem, re præclare a Ptolemæo gesta, devotionis suæ convictam se Deorum judicio Berenice videret, crinem suum rite in Veneris æde appendit. Is autem cum postridie non compareret, idque Rex et Regina

Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur,
Ut cedant certis sidera temporibus,
Ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans,
Dulcis amor gyro devocet aërio:
Idem me ille Conon cœlesti lumine vidit
E Bereniceo vertice cæsariem

et occasus, qui speculatus est, *quomodo splendor igneus Solis velocis eclipsin patiatur, quomodo certis temporum spatiis astra nobis occultentur, quomodo jucundus amor ablegans Triviam furtive subter Latmium montem deducat* eam *a cursu cœlesti: ille*, inquam, *ipse Conon divina oculorum acie vidit me comam e capite*

Mel.—5 Voss. in libb. vett. deprehendit *sublimia*, et *sub Lamia;* at in posteriori acquiescens juga Œtæ montis intelligit, ad cujus radices urbs 'Latmia' sita fuerit. *Latmia* tuentur omnes libri vett.—6 In codd. *govero* aut *givodero*, unde Voss. fecit *olivo*, quod reposuit Ed. anon.—7 In Stat. codd. et edd. vett. Ald. Gryph. Mur. et Stat. *cœlesti numine*, fortasse ut sit pro 'majestate;' in Venet. an. 1500. et Marcellii Pont. Max. libro *cœlesti munere*, h. e. 'divino beneficio inter stellas fulgentem;' quod reposuit Bip. Stat. conj. *nomine*, vel *lumine* ut ad Cononem referatur, 'divino quadam oculorum acie' præditum; quod posterius receperunt Scal. Græv. alii: Voss. dedit *cœlesti in lumine*, adjecta interpretatione 'in cœlo tot sideribus relucente;' eumque secuti sunt Vulp. et Ed. anon.—8 *Ebore Niceo* legebat Nestor in Vocabul.

NOTÆ

molestissime ferrent, Conon Mathematicus tunc temporis excellens, Regis gratiam inire cupiens, persuasit crinem istum in cœtum Deorum numine sublatum, et in sidus conversum fuisse. Illud autem Callimachus, qui Ptolemæum, propter singulare bonarum artium studium, numinis loco habebat, hoc Poëmate complexus est. Quamvis autem Græca ipsa Callimachi Elegia, quod quidem noverim, non extet, apud Theonem tamen Arati Interpretem principium illius legitur.

5 *Triviam sub Latmia saxa relegans*] 'Trivia' dicitur Diana, quæ eadem est Luna, quæ tres facies habere dicitur, seu quia 'triviis' præesse existimatur, seu quia dicitur in terra 'Diana,' apud Inferos 'Proserpina' sive 'Hecate,' et in cœlo 'Luna' seu 'Lucina.' Unde Virgil. 'Tria virginis ora Dianæ.' Eleganter autem adumbratur poëtico commento defectus Lunæ, quæ cum obscuratur de cœlo descendere in amplexus Endymionis fingitur. Endymion vero pastor fuisse dicitur, cujus amore Luna capta ad eum in Latmo monte dormientem exosculandum descendit. Alii vero dicuntur Endymionem puerum fuisse pulcherrimum, et ob id a Luna adamatum, cui illa a Jove impetravit, ut quicquid optasset consequeretur. Optavit autem Endymion, ut perpetuum dormiret somnum immortalis perseverans, et senii expers: unde natum est proverbium illud apud Græcos: 'Endymionis somnum dormire;' quod dicitur in eos, qui diuturno in otio versantes nullis honestis actionibus vitam exercent. *Latmia* porro *saxa* dicitur mons Latmus in Caria, in quo dormiisse somnum suum Endymionem fingunt.

7 *Ille Conon*] Mathematicus fuit celebris, cujus meminit Hyginus et Seneca lib. VI. Quæst. Natural. ubi

Fulgentem clare: quam multis illa Deorum,
  Levia protendens brachia, pollicita est;
Qua rex tempestate, novo auctus Hymenæo,
  Vastatum fines iverat Assyrios,
Dulcia nocturnæ portans vestigia rixæ,
  Quam de virgineis gesserat exuviis.
Estne novis nuptis odio Venus? anne parentum
  Frustrantur falsis gaudia lacrymulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
  Non, ita me Divi, vera gemunt, juerint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
  Invisente novo prælia torva viro.

Berenices Reginæ detractam inter Astra *lucide micantem, quam ipsa* Berenice, *nitidas manus ad cælum elevans, pluribus Diis vovit, quo tempore Rex* Ptolemæus ejus *nuptiis et conjugio felicior factus iverat depopulatum Assyrias provincias, secum ferens indicia jucunda nocturnæ pugnæ, quam pro spoliis virginalibus inierat. An Venus odio est novis nuptis? An* novæ nuptæ *parentum lætitiam vanam reddunt fictis lacrymis, quas abundanter effundunt intra thori septa? Non* sane *vere dolent; sic me Di adjuverint. Hoc mihi demonstravit Regina* Berenice *innumeris* suis *lacrymis, dum novus* ejus *conjux* Ptolemæus Rex *fera bella adiret. Sed tu,* o

---

E Beroniceo in edd. vett.—9 In edd. vett. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Gryph. Mur. et Stat. *Dearum;* Scal. Voss. Vulp. alii exhibent *Deorum.*—11 Avant. conj. *novis auctis Hymenæis*, quod reposuerunt Ald. Junt. Gryph. et Mur. sed nostram lect. testantur omnes edd. vett. cum Stat. et Scal. codd. *mactus* pro *auctus* reposuit Dna. Dacier. in notis ad Callim.—12 In Stat. codd. *Vastum finis ierat, et iverat.*—15 In omnibus Stat. codd. *atque parentum*, quod ille probat.—17 In duobus Stat. codd. *intra lumina;* in alio ejusdem *inter lumina*, quod probabilius ille putat.—18 In omnibus Stat. codd. *Non ita me diu v. g. juverint;* vel, *Non ita me diu v. g. juverunt;* unde Stat. conj. *Non ita me Di, ut v. g. juerint:* Avant. proposuit *juerint* quod receptum est in Venet. an. 1500. Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Scal. 1. et Cant. sed Scal. in ed. 2. reposuit *juverint*, ut prima syll. sit correpta ἀρχαϊκῶς· et sic est in Venett. Brix. Vicent. Voss. Vulp. ed. anon. Bip. aliis: Heins. tentat, *Non ita,*

NOTÆ

de Cometis.

8 *E Bereniceo vertice*] Berenice fuit soror et conjux Ptolemæi Regis Ægypti, quæ cæsariem suam Diis pro felici conjugis sui in Assyrios expeditione et reditu devoverat.

11 *Novo auctus Hymenæo*] Hic in vocabulo, *novo*, *o* vocalis non abjicitur, et longa remanet, et præterea in vocabulo, *auctus*, ultima syllaba longa habetur ante aspirationis accentum. Ut apud Virgil. 'Linquens profugus Hymenæos.' Et 'Terga fatigamus hasta.'

12 *Fines Assyrios*] Assyria, quæ aliis Syria dicitur, vasta regio est Asiæ, a mari Mediterraneo ad Tigrim et Euphratem, inter Cappadociam, Armeniam, Mediam, Persidem, et Arabiam protensa.

At tu non orbum luxti deserta cubile,
Et fratris cari flebile discidium.
Cum penitus mœstas exedit cura medullas;
Ut tibi nunc toto pectore solicitæ
Sensibus ereptis mens excidit! Atqui ego certe
Cognoram a parva virgine magnanimam.
Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
Conjugium, quod non fortior ausit alis?

Berenice, *non flevisti* quasi *derelicta viduum lectum, sed* potius *tristem discessum dilecti fratris* tui. *Quando* mariti absentis *desiderium* adeo *tristes* tibi *penitus corrodit medullas, ut tibi modo imis visceribus anxiæ ablatis sensibus animus defecerit! Ego sane te noveram a tenera ætate fortem. An non recordaris* illud *eximium facinus, propter quod regale consecuta es connubium? quo nullum fortius alius quis*

ne Divi, ut vera gemant, sierint, a 'sino, sivi sii,' improbante Doer.—21 *Et tu non orbum* in Venet. an. 1500. *Et tu vero orbum* Voss. Cant. Vulp. Ed. anon. et Gott. improbante Doer. qui proponit, *Ut tu nunc orbum*. Lect. nostram tuentur edd. vett. cum Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. et Bip.—22 *Sed fratris* in edd. vett. cum Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Scal. et Græv. *Et fratris* reposuerunt Voss. Vulp. Ed. anon. Bip. alii: in Mur. et nonnullis aliis *dissidium*.—23 *Quam* emend. Bentl. probante Doer.—24 *Ut tibi tunc* in Scal. et quibusdam aliis.—25 Lect. prisca erat *erectis;* unde Voss. fecit *e rectis*, accedente nemine: *Ast ego* Gryph. et Mur. *Atque ego* Stat. codd. et Venet. an. 1500. *Atqui ego* conj. Pont. quod reposuerunt Ald. Stat. Scal. Græv. Cant. Bip. alii: *At te ego* Voss. eumque secuti Vulp. et Ed. anon.—27 In Stat. codd. *quam regium adeptus;* unde Faërn. faciebat *quum;* sed, ut bene notavit Stat. vett. codd. ubique servant *cum* hoc modo scriptum; nullibi *quum:* in Venet. an. 1500. Ald. Junt. Gryph. Stat. et Scal. *quod*. Lect. nostram servant Mur. Græv. Voss. Cant. Vulp. Ed. anon. Gott. et Bip.—28 In omnibus Stat. codd. *quod non fortior aut sit alis*, quod

NOTÆ

21 *Luxti*] Pro 'luxisti,' sed melius videretur *lusti;* quia si media abjiciatur syllaba, *xi* abjicienda erit: aut fortasse scribendum est, *luxsti*.

26 *Magnanimam*] Cur dicatur Berenice 'Magnanima' docet Hyginus Astronom. II. 24. 'Hanc,' inquit, 'Berenicem nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere, et ad Olympia mittere consuetam fuisse. Alii dicunt hoc amplius, Ptolemæum, Berenices patrem, multitudine hostium perterritum, fuga salutem petiisse; filiam autem sæpe consuetam insiliisse in equum, et reliquam exercitus copiam constituisse et complures hostium interfecisse, reliquos in fugam conjecisse, pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit.'

27 *Bonum oblita es facinus*] Illud nempe, quod modo ex Hygino retulimus, propter quod fratrem ipsius amore esse correptum significat.

28 *Quod non fortior* [*quo non fortius*] *ausit alis*] Quo facinore nullum fortius, aut majoris animi quivis alius aggredi queat. Lectionem nostram sequuntur et interpretantur omnes viri docti. 'Alis enim,' ut ait Priscian. lib. XII. 'veteres pro allus protulerunt;' sicut et dixerunt 'alid' pro 'aliud.' Charisius etiam lib. II.

Sed tum mœsta virum mittens, quæ verba locuta es!
  Jupiter, ut tristi lumina sæpe manu!
Quis te mutavit tantus Deus? an quod amantes
  Non longe a caro corpore abesse volunt?
Atque ibi me cunctis pro dulci conjuge Divis
  Non sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum tetulisset is haud in tempore longo, et
  Captam Asiam Ægypti finibus adjiceret?

suscipere audeat. At vero quas protulisti voces conjugem tuum Regem *dimittens! O Jupiter, quam frequenter abstersisti manu* madentes *oculos! quisnam tam potens Deus te immutavit? An* hoc factum est, *quia amantes nolunt distare procul a persona sibi dilecta? Sed o quanta Diis omnibus vovisti cum multo cruore bubulo pro suavi sponso* tuo, *si* modo *brevi rediret, et Asiam devictam adderet Ægypti imperio!*

---

reposuerunt Scal. et Græv. *quod non fortior auxit avis* in Venet. an. 1500. et Gryph. *quod non fortior auxit alis* Ald. *quo non fortius ausit alis* Mur. 'commodissime sane, nisi ingrata repetitio τοῦ *quo* offenderet.' *Doer.* *quod non fortior ausit alis* Statius: Heins. legi jubet, *quo non fostior audit avis*, i. e. 'faustior;' vel, *quo non fortior hausit Halyn;* utrumque improbat Doer. Nostram lect. servant Voss. Vulp. Ed. anon. Bip. alii.—29 *Sed cum* Voss. *Sed tu* in quibusdam.—30 In Ald. et nonnullis vett. *tersti*, ut legi jussit Avant. postea vero *tristi* pro 'trivisti' legendum putavit idem Avantius, quod testantur omnes Stat. codd.—33 *Atque ibi pro cunctis* in Marcil. membranis, Venet. an. 1500. et Gryph. *At quæ ibi pro cunctis* in Ald. Stat. Græv. et Voss. i. e. inquit Stat. 'sociis conjugis, vel, palam omnibus, ante omnes:' *At quæ ibi proh cunctis* Scal. et Bip. *Atque ibi præ cunctis* Mur. qui suspicabatur aliquot versus post hoc distichon desiderari, quibus Berenices vota exequebatur poëta: *At quæ ibi, præ cunctis* in ed. anon. Marcil. conj. scripsisse Catull. *At quæ ibi prædulci cunctis pro conjuge Divis.* Lect. nostra, in Cant. jam recepta, debetur Bentleio.—35. 36 In Stat. codd. cum Venett. Brix. Vicent. et Venet. an. 1500. *Si r. tetulisset, is aut in t. longo C. A. Æ. f. addiderit:* Avant. pro *aut* legi jussit *haud;* hinc Ald. et Colin. *Si r. tetulisset, is haud in t. longo C. A. Æ. f. addiderat,* quod reposuerunt Voss. Vulp. et Ed. anon. in Marcil. membranis, *Si r. tetulisset is, haud in t. longo, et C. A. Æ. f. addiderat;* in Gryph. et Stat. *Si r. tetulisset is, haud in t. longo C. A. Æ. f. adjiceret;* in Mur. *Si r. tetulisset is, haud in t. longo, et C. A. Æ. f. adjiceret:* Scal. dedit, *Si r. tetulisset is, aut in t. longo C. A. Æ. f. adjiceret?* quod repo-

NOTÆ

'alis' pro 'alius,' 'alid' pro 'aliud' dixisse, et sic locutum esse Sallustium demonstrat, quod etiam Diomedes Grammaticus confirmat. Nonnulli tamen aliter legunt hoc modo: *Quod non fortior auxit avis:* ut sensus sit: Quod non potentius auspicium firmare potuit. Quia nempe præclarum facinus, quod Berenice gesserat, Ptolemæum fratrem adduxerat ut eam duceret uxorem, illudque fuisse fortius et potentius augurium, quod ipsius conjugium firmare potuisset. Quem quidem sensum non improbamus; cum certum sit in matrimoniis ineundis auguria et auspicia apud veteres maxime observari consuevisse.

30 *Tristi* [*tersti*] Pro 'tersisti.' Alii legunt, *tristi* pro 'trivisti:' sed quo meliori sensu non video.

Quis ego pro factis cœlesti reddita cœtu,
  Pristina vota novo munere dissoluo.
Invita, o regina, tuo de vertice cessi,
  Invita: adjuro teque tuumque caput:
Digna ferat, quod si quis inaniter adjurarit.
  Sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris
  Progenies Thiæ clara supervehitur:
Cum Medi peperere novum mare, cumque juventus
  Per medium classi barbara navit Athon.

quæ quoniam contigerunt, ut optaveras, ego tua coma *cœlesti stellarum choro addita, persolvo novo dono antiqua* tua *vota.* Ego quidem *non lubens, o Regina, e tuo capite recessi, non lubens,* inquam, recessi: *testem te appello, tuumque caput. Quod si aliquis temere et falso jurarit* per tuum caput, me non invitam recessisse, *pœnas luat perjurio debitas. At quis speret se posse resistere ferro?* Nam *iste etiam mons* ferro *excisus est, super quem altissimum Phthiæ gens illustris in oris suis transnavigavit, dum Medi novum illud pelagus transire festinarent, et dum juventus peregrina navi transveheretur per medium Athon. Quid* vero *agent*

suit Ed. Bipontinus; in Græv. *Si r. retulisset is haud in t. longo, et C. A. Æ. f. adjiceret?* sed unde non liquet.—41 Avant. legit *adjutarit.*—42 *Sed quis se ferro* conj. Stat. at in omnibus codd. *qui.*—43 In omnibus Stat. codd. *quem maxima in oris;* et sic est in Marcil. membranis, Ald. Gryph. Mur. Stat. et aliis; *quem maxima natu*, a 'no, nas, navi,' Avantius; *quem maximum in orbe* in aliis teste Mur. *quem maxima in armis* conj. Marcil.—44 *Phitiæ* in Stat. codd. *Phthiæ* in Venet. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Stat. Scal. Marcil. Græv. Bip. aliis; *Clytiæ* affert Voss. et deinde. *Thiæ* legendum esse censet; quod posterius receperunt Vulp. et Ed. anon. probante Bentleio: pro *clara* alii legunt *Dara*, teste Stat.—45 *Cum Medi propere* in Marcil. et Stat. codd. *rupere* in opt. Commel. ut conj. Heins. vide Burm.

NOTÆ

41 *Digna ferat*] Si quis caput tuum inaniter adjurare ausus fuerit, dignas violatæ religionis pœnas luat.

42 *Sed qui se ferro*] Quanam ratione ego coma tua, quæ mollis sum et tenera, ferro resistere potuissem, cum montes etiam ferro exscindantur.

43 *Ille quoque eversus mons est*] Montem Athon significat a Xerxis regis Persarum exercitu excisum. Varie porro hic locus legitur et exponitur; ab aliis hoc pacto: *Ille quoque eversus mons est, quem maxima natu Progenies Phthiæ clara supervehitur.* Exponuntque *maxima natu Phthiæ progenies*, de populis montis Atho verticem incolentibus, qui diutissime vivunt, unde Macrobii vocantur. Athos enim modo Thraciæ, modo Macedoniæ, modo Phthiæ, id est, Thessaliæ tribuitur. Alii *clara progenies* interpretantur de Xerxis exercitu. Nos autem *clara progenies Phthiæ* populos Thessaliæ, quæ et Phthia, unde natus erat Achilles, propter cujus gloriam longe clarior fuit populus Thessaliæ seu Phthiæ, in cujus oris seu finibus mons Athos excisus est a Persarum exercitu.

45 *Cum Medi*] Medi sunt Asiæ po-

Quid facient crines, cum ferro talia cedant?
  Jupiter, ut Chalybon omne genus pereat:
Et qui principio sub terra quærere venas
  Institit, ac ferri fingere duritiem!
Abjunctæ paulo ante comæ mea fata sorores
  Lugebant, cum se Memnonis Æthiopis

capilli, quandoquidem res ejusmodi ferro cadunt? O *Jupiter, utinam pereat totum genus Chalybum: et quisquis initio rerum primus cœpit investigare intra terræ viscera ferri fodinas ejusque domare duritatem. Comæ sorores meæ*, quæ remanserunt in capite Berenices, *paulo ante* a me *separatæ, mea deflebant infortunia,*

ad Val. Flac. I. 3. *prorupere* in edd. vett. *irrupere* conj. Avant. quod receperunt Ald. Gryph. Mur. Græv. *pepulere* conj. Stat. *propereque* Marcil. antiquam lectionem *properare* dedit Scal. ut infinitivus pro definito sit. Lect. nostra debetur Vossio, et recepta est in Cant. Vulp. et ed. anon.—48 In omnibus Stat. codd. et edd. antiquiss. *celicum;* Parth. in Brix. dedit *telorum;* in Scal. cod. *telitum*, (quod et legi possit *celicum*,) ex quo fecit *sicelicum;* quem vide inter Variorum Notas: Politianus primus ex hoc Fragm. Callim. Ζεῦ πάτερ, ὡς Χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος Γειόθεν ἀντέλλοντα, κακὸν φυτὸν, οἵ μιν ἔφηναν, emend. Χαλύβων, quod receptum est in Venet. an. 1500. Ald. Gryph. Mur. Stat. Græv. et Vulp. Latino charactere scribi jussit Marcil. Hanc tamen emend. Voss. rejecit, et ex *celicum* dedit *Celtum*, quod reposuit Ed. anon.—50 In Ald. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. Bip. aliis *frangere*.—51 *Abruptæ* in Scal. cod. sed *Abjunctæ* in plerisque codd. teste Marcil.—

NOTÆ

puli Persis vicini, quorum magna fuit multitudo in Xerxis exercitu. Hæc Historia ex Herodoto, Plinio, Justino, Probo, aliisque Scriptoribus notissima est.

48 *Ut Chalybon omne genus*] Versus hic restitutus est e Scholiis in Apoll. R. II. 375. ubi locus hic ex Callim. laudatur. Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος. 'Chalybes' autem populi sunt Scythiæ, vel potius Asiæ ad Thermodontem ita dicti a 'Chalybe' filio Martis, qui primi ferrum ferrique usum invenerunt. Virgil. 'India mittit ebur, mittunt sua thura Sabæi, At Chalybes nudi ferrum.' Is igitur sensus est, *omne genus Chalybum pereat*, quia nempe ferrum invenerunt, primique per terræ venas investigarunt.

52 *Memnonis Æthiopis Unigena impellens, &c.*] Locus hic difficillimus a variis eruditissimis viris varie exponitur, mirumque est, quantum omnes torserit. Nos duas tantum expositiones lectori subjiciemus; si quis vero melius aliquid protulerit, gratulabimur. Alii igitur sic locum hunc interpretantur, ut sensus sit: Comæ sorores, hæ nempe quæ in Reginæ capite remanserant, lugebant meam sortem, quod a suo consortio sejuncta forem, cum ales equus unigena Memnonis Æthiopis commovens auras tremebundis pennis obtulit sese mihi Arsinoæ Chloridos, &c. Ita ut *ales equus unigena Memnonis Æthiopis* sit equus Pegasus filius ejusdem cum Memnone matris, nempe Auroræ, quæ dicitur dono dedisse Jovi Pegasum; qui Pegasus jussu Veneris ex ipsius templo in urbe Arsinoë, crines

Unigena impellens nutantibus aëra pennis
Obtulit Arsinoës Chloridos ales equus.
Isque per æthereas me tollens advolat auras,
Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
Grata Canopæis in loca littoribus.

cum avis equus Chloridos frater Memnonis Æthiopis aërem agitans motantibus alis obtulit sese mihi in urbe *Arsinoës, et ipse accurrens per noctis tenebras rapit me, meque ponit in pudico sinu Veneris. Zephyritis ipsa incola grata Canopiis littoribus,*

53 *Unigena impellente natantibus* in Mur. et nonnullis vett. *nictantibus* conj. Bentl. sed *mutantibus* testantur omnes Stat. codd. idem Stat. pro *aëra* tentat *aëre*, improbante Doer.—54 In Maff. 1. *Optulit asineos e locridicos alis equos;* in uno Stat. cod. *Optulit asinios e locridicos avis equus;* et in alio ejusdem, *Optulit assyrio elocritos aliis equos:* Bentl. legi jubet *Arsinoës Locridos*, quod nemo veterum memoriæ prodiderit, Arsinoëm seu Venerem *Chloridos* cognomine usam esse; at 'Locridem' Venerem seu Arsinoëm eodem modo a poëta dici potuisse V. D. autumat, quo illa versu 57. *Zephyritis* dicta est; 'nam ut *Zephyritis* a Zephyrio Africæ promontorio, ita 'Locris' dicetur a gente Locrorum, qui regionem eam tenebant.' In Scal. cod. *alis equos;* in nonnullis vett. *ales equi;* Avant. legi jussit *ales equus;* Stat. conj. *Obtulit Arsinoæ Locricos alisequus*, ut 'pedissequi' vocantur, pedibus alios qui sequuntur; sed mavult *ales eques.*—55 *Hisque* in Venet. an. 1500. Gryph. et quibusdam aliis; *Isque* Avant. *umbras* pro *auras* in Stat. et Scal. codd. quod receperunt Voss. Vulp. Ed. anon. Bip. alii; *auras* in edd. vett. Brix. Venet. an. 1500. Ald. Mur. et Græv. *oras* in quibusdam.—56 In omnibus Stat. codd. *advolat in gremio;* unde ille, *advoluit gremio*, ut ultima in *casto* non elidatur: in Marcil. membranis *consociat in gremio;* 'metuentes versiculo ruinam,' inquit ille, 'fecere, *conlocat in gremio*, melius facturi articulo *in* deleto, *consociat gremio.*' Hoc et præcedens distichon nonnulli transponenda monuere.—58. 59 In Stat. codd. *Grata Canopicis;* unde ille legendum putavit *Canopitis,*

NOTÆ

Berenices ibidem appensos detulit in cœlum, et inter sidera collocavit. Alii hoc non de Pegaso, sed de Zephyro interpretantur, *Chloridos ales eques*, non *Chloridos ales equus.* Sed sive legatur, *ales eques*, aut *ales equus*, potest de Zephyro intelligi, cum sit ventus, quo Chloris vehitur. Constat autem Chloridem uxorem fuisse Zephyri, Zephyrumque apud Euripidem et alios dici 'equitem.' Euripides in Phœnissis, *Ζεφύρου πνοαῖς ἱππεύσαντος ἐν οὐρανῷ.* Quod etiam Zephyrus fuerit *Memnonis unigena*, hoc est, eadem cum Memnone matre natus, certum est; cum Aurora mater Memnonis sit etiam ventorum mater et genitrix, ut scribit Hesiod. in Theogonia: *Ἀστραίῳ δ' Ἠὼς ἀνέμους τέκε καρτεροθύμους Ἀργέστην, Ζέφυρον, Βορέην, κ. τ. λ.* Constat etiam ex Strabone et Athenæo Venerem dictam fuisse 'Arsinoën,' habuisseque templum in urbe Arsinoë a Ptolemæo Rege condita in Cyrenaica Africæ regione, ut scribit Plin. lib. v. cap. 5. ubi comam suam Berenice Veneri appenderat. Videat Lector, an hæc expositio sensum planiorem efficiat, quam quæ de Pegaso.

57 *Suum Zephyritis eo famulum legarat*] *Zephyritis* hic dicitur Venus a 'Zephyrio' Ægypti promontorio, in quo colebatur, et lucum et templum habuit. Vide Strab. lib. XIV. circa

Scilicet in vario ne solum limite cœli
 Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret; sed nos quoque fulgeremus
 Devotæ flavi verticis exuviæ.
Uvidulam a fletu, cedentem ad templa Deum, me
 Sidus in antiquis Diva novum posuit.

illuc famulum suum miserat, nimirum, ut non tantum sola corona ex Ariadnes capite inter varia astra Cœli posita coruscans fulgeret, verum ut nos etiam spolia flavi capitis Berenices Veneri *dedicata coruscaremus. Dea* Venus *me madentem lacrymis, quod a Regina divellerer ad templa Deorum* tanquam *novum astrum inter*

sive *Canopiticis;* in Ald. Gryph. Mur. et Græv. *Grata Canopæis incola;* in nonnullis *Gnata:* Voss. pro *incola* reposuit *in loca.* Mox pro *Scilicet in vario,* quod servant Venet. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Græv. ed. anon. Bip. et aliæ, Stat. codd. exhibent *Hydi vario,* vel *Hidluen ubi vario;* at lacuna erat in uno; alii codd. *Hi Dii ven ibi vario:* ex *luen ibi vario* Stat. primo fecit *Juvenile phaos,* postea *Lumen uti vario;* Marcil. *Di bene fecerunt, ne, &c.* Voss. *Sidere ubi vario,* quod reposuit Vulp. totum autem locum ita refinxit Scal. *Gnata Canopiis incola litoribus Ludit ubi, vario, &c.* a quo Vulp. *τὸ Canopiis* arripuit: in Scal. cod. *limine,* unde fecit *lumine,* quod receperunt Marcil. Voss. Vulp. Ed. anon. et Bip. sed nostram servant Venett. Brix. Vicent. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Stat. Græv. aliæ.—60 *Aut Ariadneis* veram esse lect. affirmat Scal.—63 Nostram lect. testantur fere omnes codd. et edd. vett. Avant. conj. *Uvidulum a fletu tendentem;* in Scal. cod. *Vividulum a fluctu;* ex quo fecit *Vividulo a flatu;* Voss. dedit et operose defendit *Uvidulum a fluctu;* innui autem a poëta putat vulgarem hominum opinionem, ex qua animæ defunctorum, antequam ad campos Elysios aut sedes superas penetrarent, Oceanum transire creditæ sunt. Vossium

NOTÆ

finem. Dicitur autem misisse famulum suum vel Pegasum vel Zephyrum, qui nempe Deam colebat; sic qui colunt Deos et venerantur, famuli Deorum dicuntur.

58 *Grata Canopæis littoribus*] Venus enim præcipue colebatur apud Ægyptios, maxime vero apud Temyrenses, ut docet Strabo lib. XVII. quæ etiam habuit oppidum ad ostium Mendesium. Canopæi porro populi, sive Canopi incolæ mollissimi erant, et Veneri addictissimi. Fuit autem Canopus civitas Ægypti a Menelao condita, centum viginti stadiis ab Alexandria distans, sic dicta a Canopo Menelai Gubernatore, qui ibidem obiisse morsu serpentis dicitur. Ut Quintilian. lib. I. et Servius lib. II. Æneid. testantur. Est etiam Canopus unum ex Nili fluminis ostiis.

60 *Ex Ariadneis*] Ne unum nimirum sidus esset in cœlo e puellæ capite decerptum, nempe corona Ariadnes, sed ego quoque eum numerum augerem, madentem me lacrymis, quas, cum a Regina divellerer, profuderam, in cœlo inter astra collocavit. Fabula autem de Corona Ariadnes, quæ inter sidera relata est, nota est ex Hygino, Ovidio, Servio, Manilio, et pluribus aliis.

63 *Ad templa Deum*] Cœlum dicitur 'Templum Deorum:' Templum enim tribus modis dicitur. Ut Varro lib. de Ling. Lat. docet. 'Cœli,' inquit, 'convexa etiam templa dicuntur.'

Virginis et sævi contingens namque Leonis
  Lumina Callisto juncta Lycaoniæ
Vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
  Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quanquam me nocte premunt vestigia Divum,
  Luce autem canæ Tethyi restituor:
(Pace tua fari hæc liceat, Rhamnusia virgo:
  Namque ego non ullo vera timore tegam:
Non, si me infestis discerpant sidera dictis,
  Condita quin veri pectoris evoluam:)

antiqua collocavit. Etenim ego *attingens sidera Virginis et crudelis Leonis vicina Callisto Lycaoniæ, vergo in occidentem prior ante pigrum Booten, qui* tandem *ægre sero mari tingitur. At quamvis pedes Deorum videantur noctu me calcare, interdiu tamen annosæ restituor Tethyi.* O Diva *Rhamnusia, fas mihi sit ista dicere cum tua bona venia: ego enim nusquam propter metum aliquem celabo veritatem; neque, etiam si astra me diris maledictis proscindant,* impedient *quominus aperiam arcana*



sequuntur Vulp. et Ed. anon. *templa Dione* in Brix.—66 *Callisto justa Lycaonia* in cod. Scal. i. e. *juxta;* unde fecit, *Callisto justa Lycaonida,* eumque secuti Voss. Cant. Vulp. et Ed. anon. *juxta Lycaonida* tuetur Bip. Lectionem *justa* vel *juxta* damnat Doer. quia nempe nuspiam invenerat exemplum, ubi ultima τοῦ *juxta* correpta sit. Nostram tuentur Venett. Brix. Vicent. Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Græv. Delph. aliæ.—70 *Lux aut canæ Thetyi restituem* in omnibus Stat. codd. præterquam in uno, qui exhibuit *restituam;* unde Stat. *Lux autem canæ Thetyi restituat.*—71 In duobus Stat. codd. *Pace tua fari licet hic;* in alio ejusdem, *Pace tua fari hic liceat.*—72. 73 *Nec sine infestis* in omnibus ejusdem codd. unde legendum putavit, *Namque ego nonnullo v. t. tegam Hæc, si me infestis:* Bentl. pro *dictis* conj. *dextris.*—74 *Condita qui vere pectoris evolue* in omnibus Stat. codd. unde conj. *Condita quin vere pectoris*

NOTÆ

65 *Virginis et sævi Leonis*] Indicat locum, in quo collocata est Coma Berenices, commemoratione vicinorum siderum. Virgo autem infra pedes Bootæ posita est, capite posteriorem partem Leonis, circulum Æstivalem dextra manu contingens.

66 *Callisto juncta Lycaonicæ*] *Callisto* fuit filia Regis Arcadiæ Lycaonis, quæ in Ursam conversa inter astra collocata est. De hac vide Ovid. et Hyginum.

67 *Tardum dux ante Booten*] Bootes qui et Arcturus et Arctophylax, dicitur 'tardus' quod cum sit in minimo circulo circa polum, sero tamen videatur occidere; cum aliæ stellæ remotiores citius occidant. Dicitur autem mergi Oceano secundum Veterum morem, qui stellas et sidera occidentia in Oceano mergi existimabant.

70 *Tethyi restituor*] Tethys est uxor Oceani, in quem astra mergi dicuntur, dum occidunt.

71 *Rhamnusia virgo*] Diximus jam supra Carm. de Nupt. Pelei, Deam Nemesim scelerum ultricem vocari 'Rhamnusiam' a Rhamnunte pago Atticæ, ubi colebatur. Vide Pausaniam in Attic.

Non his tam lætor rebus, quam me abfore semper,
  Abfore me a dominæ vertice discrucior:
Qui cum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expers
  Unguentis, una millia multa bibi.
Nunc vos, optato quas junxit lumine tæda,
  Non prius unanimis corpora conjugibus
Tradite, nudantes rejecta veste papillas,
  Quam jucunda mihi munera libet onyx:

sinceræ mentis meæ. *Non tantum gaudeo me his*, quibus fruor, *bonis esse cumulatam, quantum doleo me in perpetuum separatum iri a capite Reginæ* Berenices, *cum qua* ego *sola plura millia unguentorum exhausi, quanquam, dum virgo fuit, cunctis caruit unguinibus. Jam vos,* o novæ nuptæ, *quas fax nuptialis desiderata luce copulavit, non ante maritis concordibus corpora vestra permittite, detegentes amictu remoto mamillas, quam vestra pyxis onychina offerat mihi grata dona.*

evoluam.—75. 76 Ex membranarum lituris eruit Marcil. *quam me ah fore semper, Ah fore me a dominæ:* in Stat. codd. *affore* utroque loco.—77 Omnes codd. et edd. vett. exhibent *omnibus expers;* Joh. Auratus (D'Orat) conj. *ominis expers* probante Passer. *dum quondam virgo fuit omnibus expressa Unguentis* Stat. *dum virgo quondam fuit omnibus aspersa Unguentis* Marcil. *expersa* Heins. *explens* signif. passiva pro 'expleta,' sive 'explens se,' conj. Doer. *expreta* vel *adspersa* alii.—78 Ita hic quoque versus legitur in omnibus codd. et edd. vett. Passer. tentabat, *Unguenti Assyrii*, vel *Unguenti Surii*, pro *Syrii;* Voss. *Unguentis, murrhæ,* quod avide receperunt Vulp. et Ed. anon.—79 Hic versus ita legitur in Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Græv. et Cant. et sic omnino legi jussit Avant. Stat. codd. exhibent *quem junxit* ut in Marcil. membranis, vel *quem vinxit:* Stat. et Marcil. conj. *queis junxit;* in Scal. cod. *quæ junxit;* vide ad vs. 82. alii *At vos, optato quæ junxit.*—80 In Marcil. membranis, *Non post uno animus corpora;* in Stat. et Scal. codd. *Non post unanimis corpora;* in nonnullis vett. *vincula* pro *corpora.*—81 In Stat. codd. *detecta veste.*—82 *Quum jucunda m. m. libat* conj. Marcil. *Quæ* in Scal. cod. cujus loco reposuit *Qua*, hunc et tres antecedentes versus sic disponens, *Nunc vos, optato quæ j. l. tæda Non post unanimis, corpora, conjugibus; Tradite n. r. v. papillas, Qua, &c.* 'Jungi autem debent verba sic: *Nunc vos, corpora, quæ tæda junxit lumine optato conjugibus non post unanimis, nudantes papillas rejecta veste, tradite mihi munera jucunda, quæ onyx mihi libet;* hoc sensu: Nunc puellæ, quæ nupsistis maritis haud in concordia permansuris, cum in eo estis, ut cum illis concumbatis, tradite mihi munera, nempe unguenta ex onyche depromta. Secuti autem sunt Scaligerum editores deinceps fere omnes. Equidem vero hujus loci interpretatione nil vidi ineptius et absurdius: Puellæ primo statim cum novis maritis concubitu placare debent futuram eorum perfidiam! Locus igitur mihi rescribendus videtur sic: *Nunc vos, o. quas. j. l. tæda, Nunc post* (vel *nos*) *unanimis c. conjugibus Tradite, n. r. v. papillas, Sic jucunda, &c. Nunc post,* dominæ meæ exemplo in posterum; vel

NOTÆ

82 *Onyx*] Vas unguentarium ex Onyche gemma. Onyx autem lapis est colorem habens ad unguis humani similitudinem, quem ad conficienda vasa unguentaria cavabant. Hinc illud Propert. 'Cum dabitur Syrio munere plenus Onyx.'

Vester onyx, casto petitis quæ jura cubili.
  Sed quæ se impuro dedit adulterio,
Illius, ah! mala dona levis bibat irrita pulvis:
  Namque ego ab indignis præmia nulla peto.
Sic magis, o nuptæ, semper concordia vestras
  Semper amor sedes incolat assiduus.
Tu vero, regina, tuens cum sidera Divam
  Placabis festis luminibus Venerem
Sanguinis expertem, non votis esse tuam me,
  Sed potius largis effice muneribus.

Pyxis, inquam, *vestra onychina* omnium *vestrum quæ fidem legitimo thoro servatis. At pulvis abjectus ebibat ut inania, fœda munera illius, quæ sese turpi adulterio polluit; ego enim nulla dona quæro ab impudicis. Immo potius, o nuptæ, jugiter concordia, amor perpetuus jugiter habitet domos vestras. Sed tu, o Regina, quando respiciens astra Deam Venerem sanguinis expertem diebus solennibus propitiam tibi reddes, non votis* tantum, *sed liberalibus* etiam *donis fac* apud eam, *ut iterum sim*

junge *post unanimis*, in unanimitate postero tempore permansuris. Cui nimis audacter a me repositum videtur *Sic* pro *Quam* in vs. 82. ille servet antiquam lect. *Quæ*. Sed multo aptior est particula *Sic*, h. e. 'hac conditione,' cui egregie respondet vs. 87.' *Doer*.—83 Pro *petitis* in Stat. codd. vel *quamritis*, vel *queritis*; unde ille *casto quatitis quæ jure cubile*, laudans Carm. vi. vs. 10. Voss. *quæris*; in Ald. Junt. Gryph. Mur. *colitis quæ jura cubili*; sed in Brix. *petitis quæ jura cubili*, quod e cod. suo defendit Scal. quodque reposuere Græv. Ed. anon. Bip. alii.—84 Sic legi jussit Avant. in quibusdam vett. *in puro dedat*.—85 In duobus Stat. codd. *Illius a mala levis bibat dona inrita*; in uno, *Illius a mala levis bibit dona inrita*; in alio, *Illius mala dona levis bibat verita*; et in alio, *Illius a mala dona levis bibat irrita:* in Venett. Ald. Gryph. et Mur. *Illius aura levis*; in quibusdam, *Illius mala dona:* ex antiqua lect. reposuit Scal. *Illius ah mala d. l. b. inrita pulvis*; eumque secuti sunt recentiores.—86 *Namque indignatis* Voss.—87 *Sed magis* in edd. vett. Venett. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. Delph. Vulp. Ed. anon. Bip. aliis, improbante Doer.—91 In Stat. cod. *non nostris* et *non vestris:* lect. *votis* debetur Pontano et recepta est in Brix. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Græv. et alias: Stat. conj. *verbis*, probante Doer. vet. lect. teste Scal. fuerat *non veris*, vel *non vestris*, ex qua formavit *non siveris*, et hoc receperunt Ed. anon. Bip. et alii: Voss. dedit, *non verticis esse tuam me Si potis es, largis*; Bentl. *Unguinis expertem ne siveris*.—92 Eidem Pontano etiam debetur *effice*; edd. vett. exhibent *adfice*, quod reposuerunt

NOTÆ

89 *Tu vero, regina*] Ad reginam se demum convertit, suadetque, ut non otiosis tantum votis ac inanibus, sed largis potius muneribus adducat Venerem, ut se e cœlo iterum in caput, a quo abscissa fuerat, redire patiatur.

90 *Venerem Sanguinis expertem*] Alludit ad Venerem Paphiam, cujus aram sanguine maculari nefas erat: unde thure tantum ei floribusque sacrificabatur, ut Corn. Tacitus et Servius asserunt.

Sidera cur retinent? utinam coma regia fiam:
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

tua. Ut quid autem *astra me tenent? Di faciant, ut iterum cæsaries regalis evadam;* si hoc fiat, tunc *Orion vicinus Hydrochoo tempestates faciat.*

Scal. et Ed. anon. in aliis *affice*, improbante Doer.—93 *Sidera cur iterent* in Venett. Brix. Vicent. Ald. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. Delph. Bip. aliis, ut et in omnibus codd. nisi quod pro *cur*, vel *quur*, in nonnullis legitur *cum:* Stat. cujus codd. pro *utinam* habebant *ut*, vel *uter*, conj. *Sidera cum intereant, ut tunc coma regia fiam;* Marcil. *Sidera cur inter?* Pontano debetur, *Sidera cur retinent?*—94 Ita hic versus legitur in edd. antiquiss. et omnibus codd. Stat. Scal. et Marcil. (præterquam pro *Oarion* in nonnullis Stat. est *Aorion*;) et sic extat in Scal. Delph. Voss. Vulp. ed. anon. aliis; in cod. antiquiss. Politiani, *fulgeret Oarion;* in Ald. Junt. Colin. et Gryph. *Hydrochoo fulgeat Oarion;* in Stat. Græv. et nonnullis aliis, *Hydrochoi fulgeat Oarion:* Lect. *Arcturus fulgeat Erigonæ*, quam amplexus est Mur. Marullo debetur, ut suspicabatur Scal. Heins. pro *Hydrochoo* conj. *Heniocho*, in notis ad Ovid. Art. II. vs. 55.

NOTÆ

93 *Sidera cur retinent* [*iterent*] Ut quid astra multiplicentur ex comis, seu coronis fœminarum. Antiqui codices habent, et forsan melius: *Sidera cur retinent?* Quid me tenent astra, quominus iterum in caput Reginæ redeam?

94 *Proximus Hydrochoi fulgeret* [*Hydrochoo fulgeat*] *Oarion*] Alii legunt: *Proximus Arcturo luceat Erygone;* quia nempe Orion et Hydrochous, seu Aquarius, sunt duo signa cœlestia ab invicem dissitissima, unde non possunt dici vicina: sed nos vulgatam sequimur lectionem, cujus sensus est: Di faciant ut iterum in caput Reginæ redeam, et tunc non curabo quem locum et quem ordinem inter se sidera sortiantur: et utrum Aquarius et Orion, etsi invicem distent, inter se conjungantur. 'Hydrochous' enim Græce, 'Aquarius' Latine est, et ex vocabulo, 'Orion' Græci, faciunt 'Oarion,' quos sequitur Catullus.

CARMEN LXVII.

AD JANUAM MŒCHÆ CUJUSDAM.

CATULLUS.

O DULCI jucunda viro, jucunda parenti,
Salve, teque bona Jupiter auctet ope,

O JANUA, *grata* cuidam *marito*, ejusque *patri, salva sis, teque etiam Jupiter*

NOTÆ

1 *O dulci jucunda viro, &c.*] Carminis hujus argumentum, quod Catullus, nisi a paucis, quibus hæ res notæ essent, noluit intelligi, conjectura nunc

Janua: quam Balbo dicunt servisse benigne
Olim, cum sedes ipse senex tenuit:
Quamque ferunt rursus voto servisse maligno,
Postquam est porrecto facta marita sene.
Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem.

JANUA.

Non, ita Cæcilio placeam, quoi tradita nunc sum,
Culpa mea est, quanquam dicitur esse mea.

augeat divino suo *auxilio, quam ferunt Balbo quondam liberaliter famulatam esse, quando vetulus iste domum hanc incoluit, quam dicunt etiam inservisse desiderio impudico, posteaquam* puella hera tua *alteri nupsit, mortuo jam vetulo. Dic igitur nunc nobis qua de causa dicaris mutata dereliquisse fidelitatem erga antiquum herum tuum* Balbum. *Non vitium meum est, etsi fertur esse meum; sic accepta*

4 *Olim quum has ædes* conj. Dousa F.—6 In Venett. Brix. Vicent. Rheg. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. Stat. aliis, *Postquam es projecto;* in Mur. *Postquam est projecto,* quod Parth. interpr. 'excluso Balbo;' in marg. Gryph. ap. Doer. *provecto;* Stat. conj. *Postquam est projecto functa marita sene;* Voss. profert ex Commel. *Postquam est porrecto facta marita soror;* in Stat. codd. etiam *est porrecto,* probante Hand. *Postquam es porrecto facta marita sene* Scal. Lect. nostram tuentur Græv. Ed. anon. et Bip. —7 *Dic age de nobis* in Stat. et Marcil. codd. et nonnullis edd. vett. in aliis Stat. cod. *Dic age de vobis;* in Ald. Gryph. Mur. Græv. aliis, *Dic age dic nobis,* probante Marcilio: Stat. conj. *Dic agedum nobis,* quod reposuerunt Scal. Voss. Vulp. Ed. anon. Bip. et recentiores.—8 *In dominum venerem* Scal. cod. ut *dominum* sit genitivus pluralis.—9 In Maff. l. *plateam,* (quod et legi possit *placeam;* literæ enim *t* et *c* in codd. pæne similes sunt,) unde

NOTÆ

assequi velle stultum esset. Illud igitur solum compertum est, Dialogum esse, quo Poëta noster, ad nefarias cujusdam mulieris libidines detegendas, Januam ædium illius cum popularibus aliquot loquentem, easque indicantem ipsis introducit. Quænam vero illa fuerit mulier, quæ tam turpia facinora patrarit, quis senex ille Balbus, quis Cæcilius, quis invalidus filius, aut officiosus pater, quinam denique ceteri istius societatis Principes, quos ne tum quidem, dum viverent, cognoscere ulla laus erat, nunc quærere non est nobis opus.

5 *Quamque ferunt voto servisse maligno*] Januæ verbis nullo tempore pudicam fuisse dominam significat, ne tum quidem cum Balbo nupta esset, et pudica audiret.

6 *Postquam est porrecto, &c.*] Postquam alteri nupsit, mortuo et elato jam Balbo sene. Alludit Catullus ad illum morem quo mortuos in vestibulo efferendos collocabant ad ipsum limen, cujus consuetudinis manifestissimum apparet vestigium apud Sueton. in Aug. 'Cujus mortui corpus a Bovillis Equester Ordo suscepit, urbique intulit, atque in vestibulo domus collocavit.'

9 *Non, ita Cæcilio placeam*] Respon-

Nec peccatum a me quisquam pote dicere quicquam :
Verum isti populo janua quidque facit :
Qui, quacumque aliquid reperitur non bene factum,
Ad me omnes clamant : Janua, culpa tua est.

CATULLUS.

Non istuc satis est uno te dicere verbo ;
Sed facere, ut quivis sentiat et videat.

JANUA.

Qui possum ? nemo quærit, nec scire laborat.

CATULLUS.

Nos volumus : nobis dicere ne dubita.

sim Cæcilio, cui jam sum mancipata : nemoque potest asserere me aliquid peccavisse ; quanquam, si populum istum audias, janua quodcumque crimen admittit. Quinimmo ubicumque invenitur aliquid non recte actum, statim ad me omnes vociferantur ; O porta, culpa tua est. Non sufficit te hoc unico verbo asserere, verum faciendum est ut unusquisque ita esse sentiat ac perspiciat. Quomodò valeam hoc facere, si *nullus requirit, neque aliquis* id *compertum habere curat ? Nos* vero *dicere cupi-*

Stat. conj. *pateam :* in nonnullis vett. *cui reddita ;* in Ald. Gryph. Mur. Stat. Græv. aliis, *quoi,* vel *cui credita,* præeunte Avant. Nostram lect. servant Scal. Voss. Vulp. Ed. anon. Bip. et recentiores.—12 'Hic lacuna in antiquiss. codd. fuisse videtur, quam pro suo quisque ingenio explere studuit.' *Doer.* In Stat. codd. *V. isti populi j. quid te fecit ;* in Maff. l. *V. isti popli j. quid te fecit ;* unde Stat. conj. *V. istis probri j. quidque facit :* cod. Guar. habet, *V. isti populo j. quid reficit ;* cod. Scal. *V. isti populi j. quite facit ;* ex quo dedit, *V. isti populi nænia, Quinte, facit :* Avant. legi jussit, *V. isti populo dent mala multa Dei ;* hinc alii, *V. isti populo di mala multa ferant :* Mur. affert, *V. isthæc potius janitor ipse facit,* et *V. istis me auctorem esse facit populus ;* at in textu, inane spatium relinquere satius duxit : Voss. edidit, *V. isti populo janua quid faciat ?* hinc in ed. anon. *V. isti populo j. quid faciam ?* Lect. nostra, ex Guar. cod. scriptura et Stat. conj. consarcinata, primum impressa est in Græv. et deinceps in Bip. repetita.—13 *Quin quacunque* in Ald. Gryph. Mur. Stat. Græv. Delph. *Qui* in Avant. et Scal. codd. quod receperunt Voss. Vulp. Ed. anon. Bip. alii.—17 *Quid possum* in codd. Stat. et Marcil. *Quid possit* Scal. cod. *Quod possum* in edd. vett. Stat. conj. *Qui possum ?* sed sic antea legerat Muretus ; Scal. *Quid possis,* improbante Marcil.—18 *Non volumus*

NOTÆ

det Janua sese excusans, et, culpam in janitorem rejiciens, jurat per Cæcilium dominum suum. Ad hunc fere modum Propert. lib. I. Januam quandam de dominæ suæ impudicitiis conquerentem inducit. Cæcilius ille, de quo hic Janua loquitur, Turnebo videtur esse Cæcilius Metellus, cui Claudia nupserat. Unde hoc Carmen obscurissimum intelligendum putat de Claudia ; quæ sine controversia fuit Lesbia Catulli.

15 *Non istuc satis est*] Viator aut Poëta Januam alloquitur, quæ iterum

JANUA.

Primum igitur, virgo quod fertur tradita nobis,
  Falsum est. Non illam vir prior attigerat,
Languidior tenera quoi pendens sicula beta,
  Nunquam se mediam sustulit ad tunicam:
Sed pater illius nati violasse cubile
  Dicitur, et miseram conscelerasse domum;
Sive quod impia mens cæco flagrabat amore,
  Seu quod iners sterili semine natus erat.
Et quærendum unde unde foret nervosius illud,
  Quod posset zonam solvere virgineam.

mus vobis: noli ambigere nos verum dicere. *Primum ergo falsum est illud quod dicitur*, illam puellam *incorruptam mihi commissam fuisse; neque* enim *eam vir suus primus attigerat* * * * * *Verum parens ejus* mariti *fertur filii sui thorum polluisse, atque infelicem domum suam constuprasse; seu quia sceleratus illius animus insana ardebat libidine, seu quia filius* ejus *sterili semine segnis et infœcundus erat. Ita ut sic aliunde esset quærendum illud robustius, quod virginale cingu-*

vobis dicere in Stat. et Scal. codd. item in edd. vett. Ald. Junt. Gryph. Stat. Scal. et Delph. *Nos volumus vobis dicere, nec dubia* conj. Stat. Lect. nostram tuentur Mur. Marcil. Græv. Voss. Vulp. Ed. anon. Bip. et recentiores.—20 In omnibus Stat. et Marcil. codd. *Non illam vir prior attigerat*, quod nos, Stat. et Bip. secuti, in textum recepimus: *Namque illam vir prior attigerat* in edd. vett. Ald. Junt. Gryph. Mur. aliis, quibus signifer fuit Avant. *Nonque illam vir prior attigerat* Græv. *Non qui illam vir prior attigerit* Scal. quem secuti sunt Voss. Vulp. Ed. anon. alii: *Nunquam illam* conj. Doer.—22 In omnibus Stat. codd. *sustulit hanc tunicam;* unde ille conj. *Nunquam se media sustulit hinc tunica:* Scal. tacite recepit, *Nunquam dimidium sustulit hanc tunicam.* Nostram lect. servant edd. vett. Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Græv. Delph. Voss. Vulp. Ed. anon. Bip. aliæ.—23 In Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Græv. Delph. *ipsius nati;* in codd. *illius nati:* Scal. fecit *ille sui nati;* hinc Ed. anon. *ille sui gnati.*—25 In nonnullis Stat. *tecto* pro *cæco.*—27 In Stat. et Scal. codd. *Et quærendum unde foret;* in Brix. et aliis vett. *Quærendumque nec unde foret,* accedentibus Voss. et Vulp. *Ne quærendum aliunde foret* cod. Avant. quod receperunt Gryph. et Mur. idem Avant. conj. *Nec quærendum erat unde foret;* Ald. *Nec quærendum aliunde foret;* Græv. *Et quærendum aliunde foret,* quod receperunt Cant. et Delph. Lect. nostra debetur

NOTÆ

reponit ad hunc versum: *Qui possum? &c.*

21 *Quoi*] Scilicet marito.

Tenera beta] Beta herba est hortensis, cujus naturam et genera legito apud Plin. lib. IX. cap. 13. et lib. XX. cap. 13.

Pendens] Quia non erecta.

Sicula] Parva sica: sed membrum virile et mentulam intelligit: sicut etiam Plaut. 'machæram militis' metaphorice: est namque 'sica brevis' gladius, unde 'sicarii' dicti.

22 *Nunquam se mediam sustulit ad*

CATULLUS.

Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipse sui gnati minxerit in gremium.

JANUA.

Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere
Brixia, Cycnææ supposita speculæ,
Flavus quam molli percurrit flumine Mela,
Brixia, Veronæ mater amata meæ :

lum posset recingere. Præclarum quidem *commemoras mirabili præditum religione patrem, qui ipse urinam effuderit in sinum filii sui. Sed sane Brixia sita ad Chinæam rupem non modo asserit sibi istud compertum esse, Brixia,* inquam, *dilecta Veronæ patriæ meæ parens, quam turbidus Mela alluit lenibus aquis. Verum et*

Statio, et recepta est in Scal. ed. anon. et Bip.—30 In uno Stat. cod. *imminxerit*, ut conj. Scal.—31 In Maff. l. *Atqui non solum se dicit cognitum;* in uno Stat. *Atqui non solum sed dicit cognitum;* in alio ejusdem *Atqui non solum sed dicit hoc cognitum:* in edd. vett. Ald. Junt. Gryph. Mur. Græv. *Atqui non solum hunc se dicil;* in aliis *huic se dicit.* Lect. nostra, jam in Scal. Delph. Voss. Vulp. ed. anon. Bip. et alias recepta, est ex conj. Statii.—32 *Brixia Chinæa suppositum in specula* in edd. vett. Venett. an. 1500. Ald. Junt. Gryph. et Cant. *Brixia Chinææ supposita specula* conj. Pont. quod receperunt Mur. Stat. Græv. Delph. *Brixia Chinæa supposita specula* Scal. eumque secuti Voss. Ed. anon. et Bip. in nonnullis codd. *Cichoniæ*, vel *Chinneæ*, teste Zanchio ex cujus libello de Origine Orobiorum lect. nostram reposuit et defendere conatus est Vulpius.—33 Hunc et sequentem vers. spurios, quod non solum Historiarum veritati, sed etiam linguæ Latinæ proprietati, atque omnino elegantiæ Catulli repugnent, acriter contendit Maff. sed eosdem in fidem suam recepit, et motas a Maff. difficultates expedire studuit Paul. Galeardus, in cujus sententiam discedit Vulp. Pro *percurrit* in nonnullis *præcurrit*, improbantibus Wesseling. et Doer.—34 Pro *meæ* Scal. conj. *tuæ*.—

NOTÆ

tunicam] Nunquam illi erigebatur mentula, ita ut tunicam elevaret; sic etiam Carm. XXXII. 'Pertundo tunicamque palliumque.'

29 *Egregium narras*] Rursus Poëta aut viator loquitur.

32 *Brixia Cycnææ* [*Chinææ*] *supposita speculæ*] Sensus est: Verum non est, quod hæc virgo hic vitiata fuerit, quia priusquam huc veniret violata fuit, non solum a patre sponsi, sed etiam Brixiæ commisit adulterium cum duobus aliis, nempe Posthumio et Cornelio, quod in illa urbe notissimum est. Cetera vero interponuntur ad describendum Brixiæ situm, ejusque cum Verona conjunctione et amicitia. Brixia porro civitas est Galliæ Transpadanæ seu Longobardiæ, a Gallis Cænomanensibus olim condita ad fluvium Melam ad radices montis Chinæi, seu rupis, quæ dicebatur olim 'Chinæa,' quam Poëta vocat 'speculam,' quia nempe ex editis montium

Sed de Posthumio, et Cornelî narrat amore,
  Cum quibus illa malum fecit adulterium.
Dixerit hic aliquis: Qui tu isthæc, janua, nosti,
  Quoi nunquam domini limine abesse licet,
Nec populum auscultare: sed huic suffixa tigillo
  Tantum operire soles, aut aperire domum?
Sæpe illam audivi furtiva voce loquentem
  Solam cum ancillis hæc sua flagitia,
Nomine dicentem, quos diximus: utpote quæ mi
  Speraret nec linguam esse, nec auriculam.
Præterea addebat quendam, quem dicere nolo
  Nomine, ne tollat rubra supercilia.

multa refert de Posthumio et de Cornelii amoribus, quibuscum puella hera mea *turpe commisit adulterium.* Sed *quis* forsan *reposuerit, Quomodo tu, o janua, illa cognovisti* omnia, *cui nusquam fas est deserere ostium heri* tui; *quæ neque potes populi sermones audire: sed* quæ *istis annexa postibus, solummodo consuevisti claudere aut reserare ædes? Frequenter illam puellam auscultavi solam* suis *ancillis narrantem ista sua scelera, et nomine vocantem* eos, *quos retuli; quippe quæ crederet me neque linguam neque aures habere. Insuper* his, quos nominavi, *quempiam adjungebat, quem non volo nominare, ne rubra efferat supercilia. Vir est procerus,*

35 *Postumii* in nonnullis: *Postumi', et Corneli'* in Græv. Nostram lect. servant omnes codd. cum edd. Scal. Delph. Voss. Vulp. anon. Bip. aliis.—37 In Stat. codd. *Quid tu isthæc.*—38 In Voss. ll. melioribus *Divum limine,* Voss. intelligit Penates vel Lares.—39 In Stat. codd. *hæc suffixa.*—42 In Maff. l. *Solam cum conciliis;* in Brix. *Cæciliis,* quod legi jubet Voss. in edd. vett. *Solam consiliis,* ut legi jussit Avant. unde P. Manut. *consciolis,* quam emend. sibi vindicat Scal. et reposuerunt Græv. Cant. et ed. anon. Lect. nostram, jam in Delph. Bip. alias receptam, testantur Stat. et Marcil. codd.—44 *Nec speret linguam* in quibusdam edd. vett. *Speret nec linguam* in Pat. c. et omnibus Stat. *Nec linguam speret* dedit Scal. sed neque Vossium neque Vulp. hiatus post *linguam* offendit. Lect. nostra debetur Pontano, et recepta est in Ald. Scal. Græv. Delph. ed. anon. Bip. alias.—45 In edd. vett. *ardebat;*

NOTÆ

jugis prospectus peti potest, licetque illinc longe lateque speculari.

33 *Flumine Mela*] Mela fluvius est Galliæ Transpadanæ seu Longobardiæ aut Æmiliæ, qui ex Brenno monte ortus Brixiam civitatem alluit, de quo Virgil. in Georg. 'Aut curva legunt prope flumina Melæ.'

34 *Veronæ*] Ejusdem etiam Galliæ Transpadanæ civitas, nostri Catulli patria; cujus mater dicitur Brixia, vel quod esset Verona ipsa vetustior, vel quod inde Veronam coloni multi commigrassent, vel quod Brixia Metropolis esset Cænomanorum, in quibus est Verona.

42 *Solam cum ancillis*] Alii legunt, *consciolis,* Manutio correctore; sed vetustiores codices habent *ancillis,* quod quidem huic loco mirifice convenit. Ancillis enim libidinum omnium administris uti dominas consuevisse, multa Plauti, Tibulli, Ovidii, Propertii, aliorumque testimonia docent,

Longus homo est, magnas quoi lites intulit olim
Falsum mendaci ventre puerperium.

cui quondam simulatus partus fallaci ventre graves movit controversias.

sed in omnibus codd. *addebat*, ut legi jussit Avant.—47 In omnibus codd. et edd. antiquiss. *qui*, improbante Avant. quod Stat. interpr. 'Qui cum nothus esset, et qua volebat matre minime genitus, magnas, ob id credo, lites suscepit.'

NOTÆ

quæ referre frustraneum esset, cum res ipsa sit omnibus nostro etiam sæculo notissima.

46 *Rubra supercilia*] Eleganter admodum minacem excandescentium gestum et vultum expressit ad hunc fere modum Petronius: 'Postquam se amari sensit supercilium altius sustulit.'

47 *Longus homo*] 'Longus homo' dicitur sæpius stolidus et blennus: *μέγας* pro inepto et bardo sumitur apud Aristophanem.

48 *Falsum mendaci ventre puerperium*] Quia nempe nothus erat, et qua volebat matre minime genitus: unde multas lites coactus est sustinere.

CARMEN LXVIII.

AD MANLIUM.

Quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo,
Conscriptum hoc lacrymis mittis epistolium,

Illud quidem *mihi jucundum est, quandoquidem me tibi putas amicum, quod tu concussus infortunio et iniquo fato scribis ad me literulas fletibus* tuis *exaratas: ut*

'*Ad Manlium*. In scribendo hoc nomine libri Mss. et edd. vett. mirum in modum discrepant; scribitur enim modo *Malius*, modo *Mallius*, modo *Manilius*, modo *Allius;* eadem hujus nominis confusio est in aliis scriptoribus. Vide quos laudat Sant.' *Doer*.—1 *Quid* in quatuor Sant. codd. *Quo* in uno Voss. utrumque improbat Doer.—2 *Conspersum* vult Schrad. improbante

NOTÆ

1 *Quod mihi fortuna*] Manlius, in cujus gratiam Epithalamium superius scripserat Catullus, cum uxorem Juliam fato functam amisisset, ipsum per epistolam rogaverat, ut ad se carmina consolatoria scriberet, et libellos de rebus amatoriis jucundisque, dum junior esset olim compositos, sibi mitteret legendos. Hac ergo Elegia elegantissima et politissima respondet Catullus, seque excusat, quod utrique petitioni facere satis minime possit. Primo namque dicit, se dolore ex fratris morte contracto oppressum, cum ipse consolatione indigeat, alios consolari non posse.

Naufragum ut ejectum spumantibus æquoris undis
  Sublevem, et a mortis limine restituam:
Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
  Desertum in lecto cœlibe perpetitur;
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musæ
  Oblectant, cum mens anxia pervigilat:
Id gratum est mihi, me quoniam tibi ducis amicum,
  Muneraque et Musarum hinc petis et Veneris.
Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Manli,
  Neu me odisse putes hospitis officium:
Accipe, quis merser fortunæ fluctibus ipse,
  Ne amplius a misero dona beata petas.

ego tibi quasi *naufragium passo, spumosisque maris fluctibus jactato succurram, teque e leti faucibus ereptum reficiam; te quem in viduo cubili derelictum sacra Venus non patitur relevari placida quiete; quem neque etiam Musæ recreant jucundis priscorum auctorum libris; cum animus* tuus *mœrens pervigilat; et hac de causa quæris a me Musarum dona et Veneris jocos. Verum, o Manli, ne mala mea tibi sint incognita, et ne existimes me odisse hospitis officium, audi, quibus ego fortunæ adversæ procellis sim oppressus, ut posthac a me infelici non quæras læta* car-

eodem Doer. *Conscriptum lacrimis* in Mur. Græv. et aliis vett.—3 *Naufragi* conj. Heins. ut ad *æquoris* referatur: pro *ut* in quibusdam *et*.—6 In nonnullis edd. vett. *thalamo cœlibe*, improbante Scal.—8 Stat. legebat *cui mens:* in Scal. et ed. anon. *pervigilet*, quod damnat Doer.—9 In omnibus Stat. et triginta Sant. codd. cum edd. pr. *me q. t. dicis*, i. e. 'me declaras, me alloqueris ut tuum amicum in hac epistola.' Lectio nostra debetur Calph. in Vicent. —10 *Muneraque Musarum* in Hamb. et Reg. *Munera Musarumque hinc petis hinc Veneris* in Leid.—11 In nonnullis Stat. codd. *Manlius*.—12 Schrad. tentabat *sospitis officium;* sed vide vs. 68.—13 *Aspice* in quibusdam: *qui* in uno Mediol. *quid* Nan. *quam* laudat Crinitus in Vita Catulli: *verser* in alio Me-

NOTÆ

Deinde testatur se de rebus amatoriis libros Veronæ, quo se ob fratris interitum contulerat, non habere, sed Romæ, ubi habitabat, reliquisse. Denique ob singularem Manlii in se munificentiam, plurimum illi se debere fatetur, eique fausta feliciaque omnia a Diis immortalibus precatur.

2 *Epistolium*] Parvam epistolam, quo fere modo dixit Pacuvius 'prologium.' Est autem epistola media pars dialogi, cui si responsum fuerit conjunctum dialogum faciet integrum.

10 *Muneraque et Musarum et Veneris*] Carmina scilicet consolatoria, et de rebus amatoriis.

12 *Hospitis officium*] Officium nempe quod hospes tuus factus præstare teneor. Namque Manlius Catullum hospitio susceperat.

14 *Dona beata*] Carmina intelligit consolatoria, et amatorios libellos, quos Manlius petierat.

Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
  Jucundum cum ætas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est Dea nescia nostri,
  Quæ dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
  Abstulit. O misero frater ademte mihi,
Tu mea, tu moriens fregisti commoda, frater:
  Tecum una tota est nostra sepulta domus:
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
  Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quojus ego interitu tota de mente fugavi
  Hæc studia, atque omnes delicias animi.
Quare, quod scribis: *Veronæ turpe Catullo
  Esse, quod hic quisquis de meliore nota*

minum *munera. Satis plura cecini* illa *ætate, qua mihi primo toga munda data est, dum lætum ver adolescentiæ vigeret. Non sumus ignoti Divæ* illi, *quæ suavem solicitudinibus temperat amaritudinem. Sed mors fratris mihi omne studium istud dolore ademit:* o carissime *frater, mihi infelici erepte.* O *germane, tu decedens e vita evertisti omnia bona* mea; *tecum simul nostra domus tota est sepulta; tecum pariter omnis lætitia nostra interiit, quam suavis amicitia tua in vita fovebat. Ob cujus mortem ego omni ex animo projeci ista Musarum studia, et universas animi delectationes. Itaque, quod scribis indecorum esse Catullo* tuo *Veronæ commorari, quia hoc in loco quivis nobilioris etiam conditionis* solus *algidum corpus calefacit*

diol. et Bodl.—20 *Abscidit* ex vet. scriptura Scal. quod receperunt Græv. Delph. ed. anon. Bip. alii: sed nostram testantur viginti octo Sant. codd. cum edd. vett. Venett. Brix. Vicent. Rheg. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Stat. et aliis.—23 Hic versus sic extat in Lotich. Ecl. I. 32. *Omnia tecum una fugerunt gaudia nostra.*—27 In uno Voss. *quæ scribis.*—28 In Leid. n. 13,

NOTÆ

15 *Vestis mihi tradita pura est*] Induebantur 'toga pura' viri, qui pro ætate ad negotia civilia et rerum publicarum administrationes idonei existimabantur.

18 *Quæ dulcem curis amaritiem*] Eleganti circumlocutione Deam Venerem significat; nam, ut inquit Plautus, 'Amor est melle et felle fœcundissimus.' Amaritudo autem seu amarities in amore est dulcis ob amantium cupiditatem.

19 *Sed totum hoc studium*] Scribendi nempe res amatorias.

27 *Quod scribis: Veronæ turpe Catullo*] Scripserat Manlius Catullo, turpe hoc ipsi esse Veronæ commorari, cum nobiles omnes et honestæ conditionis viri parum Veronæ sint in amoribus felices, utpote qui a Veronensibus mulieribus non amantur. Sed respondet Catullus se Veronæ deliciarum causa non commorari, sed potius illuc ob fraternam mortem accessisse, et ideo sibi turpe non esse, sed potius dignum commiseratione asserit.

Frigida deserto tepefecit membra cubili:
Id, Manli, non est turpe; magis miserum est.
Ignosces igitur, si, quæ mihi luctus ademit,
Hæc tibi non tribuo munera, cum nequeo.
Nam, quod scriptorum non magna est copia apud me,
Hoc fit, quod Romæ vivimus: illa domus;
Illa mihi sedes, illic mea carpitur ætas:
Huc una ex multis capsula me sequitur.
Quod cum ita sit, nolim statuas, nos mente maligna
Id facere, aut animo non satis ingenuo;
Quod tibi non utriusque petiti copia facta est:
Ultro ego deferrem, copia si qua foret.
Non possum reticere, Deæ, qua Manlius in re
Juverit, aut quantis juverit officiis:

lecto amoribus vacuo; hoc non est indecorum, o *Manli,* sed *potius miserabile est. Condonabis itaque* mihi *si ea tibi non mitto dona quæ mihi dolor et fletus abstulit, quandoquidem non possum. Etenim quod mihi* nunc *non est magna scriptorum copia, istud in causa est, quia Romæ vitam degimus: Roma mihi domicilium,* mihi *Roma habitatio* est, *ibi vita mihi transigitur. In hunc locum,* nempe Veronam, *unica* tantum *e pluribus,* quas habeo, scriptorum *cistula mecum venit. Quæ cum ita sint, nolim existimes me malo animo hoc agere, vel voluntate non satis liberali, quod tibi facultas utriusque tuæ petitionis non est concessa; ultro namque et libenter mitterem tibi* et libros et carmina, *si aliquam* horum *copiam haberem.* O *Divæ, nequeo tacere, quibus in rebus mihi opem tulerit Manlius, vel quam magnis me sit prosecutus beneficiis. At ne tempus obliviosis*

quisque; Mur. dedit *quisquam:* in Exc. Perr. *nota est.*—29 In duobus Stat. codd. *tepefacit;* in Cacc. *tepefactat;* in Maff. l. quoque *tepefactat,* sed supra scriptum *tepefacit;* in alio Stat. *tepefecit:* in Voss. l. opt. *tepefiant* unde Schrad. *tepefiat,* nimirum quoad membra: in aliis *tepefiunt.*—32 Ex *quom nequeo,* quod in cod. quodam et ed. vet. invenerat, fecit Heins. *quoi nequeo,* improbante Doer.—34 In Collationibus et Exc. quibusdam *quum Romæ.*—35 In Ald. Junt. Gryph. aliis *mihi carpitur:* ex edd. vett. et omnibus codd. *mea carpitur* reposuit Stat. eumque secuti Scal. Græv. Delph. Voss. Vulp. et ad unum recentiores.—36 *Huc una e multis* in Ald. Gryph. Mur. Stat. Græv.—37 Ex Venett. Brix. Vicent. Rheg. et omnibus codd. *nos* revocavit Stat. accedente Bip. quod etiam testantur plus quam triginta Sant. codd. *me* exhibent Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Græv. Delph. Scal. et ed. anon.—39 In nonnullis Stat. codd. *potenti;* in aliis cum Venett. et Vicent. *petenti,* quod revocarunt Stat. et ed. anon. *petiti* in Brix. ex conj. Parth. quem secuti sunt Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Scal. Græv. Delph. Voss. Vulp. Bip. alii: *Quod tibi non prius usque petenti* Heins. pro *facta est* ex quibusdam codd. *posta est* dedit Voss. Vide Sant. ad h. l.—40 In codd. et edd. antiquiss. *differrem,* improbante Doer.—41 In Scal. et Marcil. codd. *quam salius in re;*

NOTÆ

36 *Capsula*] Ex multis librorum aut scriptorum capsis, unam tantum, eamque exiguam, secum Veronam convexerat Catullus.

41 *Non possum reticere, Deæ*] Aptissime ad prædicandum Manlium

Ne fugiens sæclis obliviscentibus ætas
   Illius hoc cæca nocte tegat studium.
Sed dicam vobis. Vos porro dicite multis
   Millibus, et facite hæc charta loquatur anus.
* * *
   Notescatque magis mortuus, atque magis:

sæculis fluens opacis tenebris sepeliat ejus in me amorem, hunc *ego vobis prædicabo: at vos*, quæso, *innumeris deinde millibus prædicate, et efficite ut hæc charta olim annosa hunc celebret.* * * * * *Et magis ac magis post mortem*

---

unde Scal. *qua me Allius in re*, improbantibus Marcil. et aliis: edd. antiquiss. et plusquam triginta Sant. codd. quoque exhibent *quam*, quod ille reposuit. Lect. nostram servant ambo Saib. cum Venet. an. 1500. Ald. Junt. Colln. Gryph. Mur. Stat. Græv. Delph. Voss. Vulp. ed. anon. Bip. aliæ.—43 *Nec* in Venett. Marcil. membranis et septemdecim Sant. codd. quod, ex Hand. sententia, restitui debet: *Ne* in Venet. an. 1500. Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. Delph. Voss. Vulp. ed. anon. Bip. aliis.—44 Ita in omnibus codd. Marcil. conj. *nocte teget studium.*—46 In omnibus Stat. et pluribus codd. *hæc certa;* unde ille conj. *cera;* Maff. 1. habet etiam *certa*, sed superscriptum 'vel *charta*:' sed *charta* est in opt. Vall. et confirmatur imitatione Martial. XII. 4. Frut. conj. *Et facite hoc fama loquatur anus.*—47 In Statianis et plerisque codd. antiquiss. hic est lacuna, quæ in Marcil. membranis, Dat. et octodecim aliis codd. ap. Sant. expleta est sic, *Omnibus in triviis vulgetur fabula passim;* in Scal. cod. a m. sec. *Muscosi repetat vada remigiis Acherontis;* in Scal. 1. penes editorem *Millibus et multis fratris hinc fata legantur:* in edd. vett. cum Venet. an. 1500. Ald. Junt. Gryph. Mur. et octo codd. ap. Sant. *Omnibus inque locis celebretur fama sepulti.* In uno cod. Stat. annotatum erat in marg. 'Deficiebat hoc carmen in exemplo: itaque quicumque legitur versus hoc loco, nothus is est.' Hinc lacuna in Stat. Scal. Græv. et quæ deinceps secutæ sunt edd. Nobis probabilius videtur, versum 46. Catullianum non esse, sed centunculum a veteramentario quodam consarcinatum, et ascitum haud dubie ex h. l. Carm. LXXVIII. 10. 'et, qui sis, fama loquetur anus,' utrobique enim legitur *fama;* quo remoto, locus non amplius languet, sed optime cohæret, ita, *Sed dicam vobis. Vos porro dicite multis; Notescatque magis, &c.*—48 *Innotescatque* in Gud. *Omittitque* in Leid. *Clarescatque* Mur.

NOTÆ

Musas invocat Poëta, quippe quarum proprium munus est præstantium virorum famam ab oblivione et injuria mortalitatis asserere. Unde Horat. 'Dignum laude virum Musa vetat mori.' Sic etiam Tibull. 'Quem referent Musæ, vivet, dum robora tellus, Dum Cœlum stellas, dum vehet amnis aquas.'

43 *Sæclis obliviscentibus*] Ne beneficia a Manlio in me profecta ulla unquam ætas possit oblivioni mandare.

46 *Charta loquatur anus*] Annales loqui dixit etiam et Macrob. Saturn. lib. I. 'Sed et multus exercitus, oppidaque hostium, Gallorum, Hispanorum, Afrorum, Maurorum, aliarumque gentium, quas prisci loquuntur Annales.' Item et Virgil. in Ciri: 'Æternum sophiæ conjunctum carmine nomen Nostra tuum senibus loqueretur pagina sæclis.' Dixit Virgilius, 'senibus sæclis,' quomodo dixit Catullus, 'cana sæcula,' ut infra dicet, 'fama loquetur anus,' i. e.

Ne tenuem texens sublimis aranea telam,
Deserto in Manlî nomine opus faciat.
Nam, mihi quam dederit duplex Amathusia curam,
Scitis, et in quo me corruerit genere:
Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
Lymphaque in Œtæis Malia Thermopylis;

per ora hominum feratur, et ne unquam *pendula aranea stamina* sua *subtilia deducens laborem exerceat in nomine Manlii projecto. Vos enim,* o Musæ, *scitis quam mihi solicitudinem fecerit utraque Amathuntia, et quomodo me sibi subjecerit; ita ut tantum inflammarer, quantum Trinacria rupes, et aqua Maliensis in Œtæis*

in aliis codd. *Notescatque.*—49 *Nec* reposuit Sant. ex auctoritate multorum codd. et edd. antiquiss. Doeringio *ne* postulare videtur oratio. Vide ad vs. 43.—50 In omnibus Stat. codd. *In diserto ali omine;* in Scal. cod. *In deserto Ali nomine;* in Marcil. membr. *In deserto aliis nomine;* et sic conj. Statius: Scal. dedit, *In deserto Allii nomine;* Marcil. vult, *In deserto Auli nomine,* quod amplexus est Vulp. Lect. nostram servant Venet. an. 1500. Ald. Junt. Gryph. Mur. Græv. Voss. ed. annon. Bip. aliæ: sed vide Sant.—51 *Amathusia* in Stat. et Scal. codd. et edd. recent. probante Heins. *Amatutia* in Saib. Vall. et Venet. 2. *Amatuntia* in Medic. 1. et edd. antiquiss. *Amathuntia* in Ald. Gryph. Mur. et aliis.—52 In omnibus Stat. Mur. et viginti sex Sant. codd. cum Venett. Brix. Vicent. Rheg. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. aliis *corruerit,* active pro 'prostraverit;' in quodam vet. cod. *exhorruerit,* unde *exercuerit* vult Lambinus; *torruerit* in Palat. m. et Commel. probantibus Stat. Turn. Scal. Vulp. Ed. anon. aliis: Stat. conj. *et in quo mi corruerit;* Markl. *corpuerit* pro 'corripuerit;' Heins. *torruerit cinere;* Schrad. *in qua me torruerit venere,* ingeniose, modo in versu majori *Amathusia* non præcederet, inquit Doer. qui verba sic transponi vult, *Scitis et in me quo corruerit genere.*—54 *Undaque* in uno Vat. pro *Œtæis* varia in variis libb. offeruntur lectionum monstra; vide Sant. Pro *Malia,* quod servant Brix. Mur.

NOTÆ

quæ diu et per multa sæcula durabit.

51 *Duplex Amathusia* [*Amathuntia*] 'Duplex' dicitur Venus, quia dolosa et versuta, ut apud Horat. 'Nec cursus duplicis per mare Ulyssis.' Vel potius 'duplex' dicitur, quia duas Veneres putabant esse Veteres; alteram *οὐρανίαν* seu cœlestem dictam, quæ honestos excitare amores, alteram *πάνδημον,* seu vulgarem, quæ in libidinem impellere putabatur. *Amathuntia* autem dicitur, ut vidimus supra, ab urbe Cypri Amathunte, in qua præcipue colebatur.

53 *Trinacria rupes*] *Trinacria* dicta est, scilicet a tribus summitatibus seu promontoriis, Pachyno, scilicet, Peloro, et Lilybæo: *ἄκρα* enim Græce, Latine *summitas* dicitur: unde in Fastis Ovid. 'Terra tribus scopulis vastum prorumpit in æquor, Trinacria appositi nomen adepta loci.' *Trinacria* autem *rupes* hic est mons Ætna, perpetuo ardens, et perpetuas eructans flammas, de quo Plin. lib. II. cap. 109. et lib. III. cap. 7. Strabo lib. VI. et alii.

54 *In Œtæis Malia Thermopylis*] Œta mons est Thessaliæ, ut jam supra vidimus, qui ad sinum Maliacum vergens ad radices habet vallem ad mare latam non amplius quam sexaginta passus, in qua sunt aquæ calidæ, Herculi quondam consecratæ.

Mœsta neque assiduo tabescere lumina fletu
  Cessarent, tristique imbre madere genæ.
Qualis in aërii pellucens vertice montis
  Rivus muscoso prosilit e lapide:
Qui cum de prona præceps est valle volutus,
  Per medium densi transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore levamen,
  Cum gravis exustos æstus hiulcat agros:
Ac veluti nigro jactatis turbine nautis
  Lenius aspirans aura secunda venit,
Jam prece Pollucis, jam Castoris implorata:
  Tale fuit nobis Manlius auxilium.

Thermopylis, nec cessarent tristes oculi mei *languescere continuis lacrymis, et genæ mœsto fletu semper irrigarentur. Non secus ac fons limpidus in cacumine montis excelsi scaturit e saxo muscoso, qui quando fugiens per vallem declivem defluxit per mediam frequentis plebis viam;* estque *viatori fesso jucundum solatium in æstu, cum nimius calor terram exsiccatam scindit. Et ut ventus secundus mollius spirans post invocatam Pollucis et Castoris opem nautis atra tempestate agitatis*

Græv. Scal. ed. anon. Bip. et Sant. in quibusdam vett. *Manlia*, probante Turnebo; in Stat. et aliis *Mallia;* Jac. Taurellus conj. *Lamia*, a Lamiaco sinu; Voss. *Daulia*, improbante Hemst. ad Lucian. T. I. p. 112. sed Marcil. contendit *Manlie, ἀρχαϊκῶς* pro 'Manli,' esse legendum.—55 *Mæsta nec* in tribus Sant. codd. et ed. Græv.—56 *Cessarent, neque tristi* Græv.—58 In Dat. *a lapide;* sed nemo non præfert *e lapide.*—59 Sant. olim suspicabatur, *de prono præceps est colle.*—61 In Maff. l. suprascriptum 'vel *viatorum;*' in omnibus Stat. codd. *Basso* pro *lasso*, probante Voss. Stat. conj. *Dulce viatorum lasso in sudore levamen.*—63 *Hic veluti nigro* in uno Stat. et omnibus fere Sant. codd. *Hic veluti nigri* in aliis Stat. *Hæc veluti nigro* in tribus Sant. 'sed res ipsa flagitat *Ac,*' inquit Doer.—64 *Leniter* in Ricc. et in Dat. a m. pr.—65 In Stat. codd. *implorata*, quod mutari vult in *implorāte*, i. e. *implorante;* hinc

NOTÆ

Ad has autem fauces extructus est olim murus contra Thessalorum incursiones a Phocensibus, postquam Æolidem incoluerunt. Portæ autem ibidem extructæ sunt, quæ Græce πυλαὶ dicuntur, et ab aquis calidis locus ille dictus est Thermopylæ. De Thermopylis audi Livium de bello Macedonico: 'Extremos, [Thessali,] ad Orientem montes Œtam vocant, quorum quod altissimum est Callidromum appellatur, in cujus valle ad Maliacum sinum vergente iter est non latius quam sexaginta passus. Hæc una militaris via est qua traduci exercitus, si non prohibeantur, possint: ideo Pylæ, et ab aliis, quia calidæ aquæ in ipsis faucibus sunt, Thermopylæ locus appellatur.' Vide etiam Strab. lib. IX. et Herod. lib. VI. *Lympha* porro *Malia* dicitur a loci vicinitate; Thermopylæ enim sunt ad sinum Maliacum.

65 *Jam prece Pollucis, jam Castoris*] Quod nempe in extremo periculo nautæ cum nulla superest spes salu-

Is clausum lato patefecit limite campum,
Isque domum nobis, isque dedit dominam:
Ad quam communes exerceremus amores,
Quo mea se molli candida Diva pede
Intulit, et trito fulgentem in limine plantam
Innixa, arguta constitit in solea:
Conjugis ut quondam flagrans advenit amore,
Protesilaëam Laodamia domum

subvenit, ita mihi fuit Manlius auxilium. Ille agros angustos mihi spatiosis finibus dilatavit; ipse mihi domum, ipse mihi amicam habere dedit, quam communibus studiis coleremus; ipse, inquam, domum dedit, *quam Dea mea placido gressu adiit, et insistens in limine sibi noto collocavit pedes arguto calceo splendentes; sicut olim Laodamia ardens amore sponsi* sui *adiit domum Protesilaëam perperam*

Jam prece Polluces, jam Castoras implorante refinxit Vossius; *Jam face Pollucis, jam Castoris implorata* Anonymus ap. Sant. *Jamque ope* Eldickius: '*implorata* sc. aura secunda, in casu primo. Turbæ, quas in h. l. excitaverunt Interpretes, natæ sunt ex male intellecta voce *implorata*, quam perperam in casu sexto ad *prece* retulerunt. Nec vidit hanc fraudem Santenius.' *Doer.*—67 *Is laxum* ex cod. suo Scal. quem secutus est nemo: nostram lect. testantur Marcil. et alii codd.—69 In Stat. codd. *communes exercemus;* vel, *communes nos exercemus:* nostram lect. exhibet Maff. 1.—72 In Lips. cod. *angusta* pro *arguta:* in omnibus fere codd. cum Venett. Brix. Vicent. et Rheg. *constituit solea*, quod revocarunt Stat. Scal. Delph. Bip. alii, probante Marcil. *constituit in solea* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Græv. Voss. Vulp. ed. anon. et aliquot codd. ap. Sant.—73 In decem codd. ap. Sant. *amorem*, improbante Doer.—75 *Incepta* in Stat. et Scal.

NOTÆ

tis, ad vota confugiunt. Castor autem et Pollux nautis in tempestate apparentes dicuntur esse signa felicia et fausta; sicut Helena dicitur esse navigantibus pessimum signum. Cur autem gemini Castor et Pollux felicem dicantur præbere navigationem docet Diodor. Sicul. lib. v. cap. 2. atque etiam Plin. lib. v. cap. 37.

68 *Isque domum nobis*] Puellam quandam Manlius, quæ ipsi erat in deliciis, tradidit Catullo, simulque dedit ipsi domum in qua habitaret, et agri partem, quæ vicina erat agro Catulli, ea tamen lege, ut et Manlius etiam puella uti posset.

72 *Arguta solea*] Resonanti et crepitanti, vel arcta et brevi.

74 *Protesilaëam Laodamia domum*] Hac comparatione vult amicæ suæ significare magnitudinem amoris, qui tantus in ipsa fuit, quantus in Laodamia, quæ cum Protesilao desponsa esset, amoris impatiens ad ipsum ivit antequam sacra essent Dis facta, unde mulctata est, quia brevi postea Protesilaus cum Trojam adiret, periit. Cum autem Laodamia uxor ejus mortem accepisset, umbram saltem mortui videre optavit, quam complexa statim expiravit. Fuit autem Protesilaus Iphicli filius qui inter duces Græcos ad bellum Trojanum profectus, omnium primus ab Hectore interfectus est.

Inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro
  Hostia cœlestes pacificasset heros.
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
  Quod temere invitis suscipiatur heris.
Quam jejuna pium desideret ara cruorem,
  Docta est amisso Laodamia viro;
Conjugis ante coacta novi dimittere collum,
  Quam veniens una atque altera rursus hyems
Noctibus in longis avidum saturasset amorem,
  Posset ut abrupto vivere conjugio:
Quod scibant Parcæ non longo tempore abesse,
  Si miles muros isset ad Iliacos.

susceptam, cum nondum victima destinata cruore suo *placasset Deos superos.* O *Rhamnusia virgo, nihil tantopere mihi sit cordi quod perperam Dis invitis suscipiatur. Quantum altaria victimis vacua expetant devotum hostiarum sanguinem didicit ademto sibi conjuge* suo *Laodamia, quæ compulsa est prius amplexum novi* sui *sponsi deserere, quam duæ hyemes sequentes per suas longas noctes* ejus *ardentem satiassent amorem, ut* facilius postea *valeret vitam ducere connubio dissoluto: cum maxime non ignorarent Parcæ non diu fore absentem* Protesilaum, *si is Iliaca*

codd. et edd. antiquiss. *Incepta ut*, vel *Incepta et*, vel *Accepta et*, in Sant. codd. *Inceptum* in uno Voss. τὸ *Incepta* Stat. interpr. 'non accepta:' in Delph. *Acceptam:* Eld. conj. *Insessam.* Lect. nostra debetur Turnebo, eamque probat Scal.—76 In omnibus Stat. Scal. et plurimis codd. ut et in Venett. Brix. et Vicent. *cœlestis pacificasset*, quod revocarunt Scal. et qui deinceps secuti sunt editores; in Ald. Gryph. Stat. et nonnullis codd. *conciliasset.*—77 In Exc. Perr. *jam* pro *tam:* in nonnullis codd. *valide* pro *valde.*—78 *Quam temere* Scal. ex cod. suo, quod testantur multi codd. ap. Sant.—79 *Quod* pro *Quam* in pluribus codd. ap. Santonium; in Marcil. membranis, duobus Stat. et a marg. Scal. cod. *deficeret;* in altero Stat. *disgeret;* in Rheg. et uno Voss. *defideret;* in nonnullis *desugeret:* Stat. conj. *defecerit;* Marcil. *defigeret.* Lect. nostram servant edd. vett. Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. Delph. Voss. Vulp. aliæ, cum nonnullis codd. ap. Sant.—81 In Stat. codd. *novit*, vel *vovit*, vel *voluit;* in edd. vett. et tredecim codd. ap. Sant. *novum:* Stat. conj. *novi.*—84 *Posset et* in Dat. *Posset ab innupto* ex uno cod. protulit et probavit Voss.—85 In Venett. Vicent. duobus Stat. et

NOTÆ

75 *Inceptam frustra*] Quia nempe temere Laodamia domum adiit sponsi, antequam sacrum pro conjugii felicitate fieri solitum peractum esset, Dique nondum essent propitiati.

77 *Rhamnusia*] Nemesis, Dea ultrix scelerum et malefactorum.

79 *Jejuna ara*] In qua non fuit mactata victima.

82 *Una atque altera hyems*] Antequam duos annos cum sponso transegisset. Solent enim Poëtæ per hyemes, vel etiam autumnos, aut alias anni tempestates, annos ipsos integros significare.

83 *Noctibus in longis*] Utpote hyemali tempore, quo dies sunt breviores, noctes vero longiores.

85 *Quod scibant Parcæ*] Quia nempe in fatis erat, ut qui primus Græ-

Nam tum Helenæ raptu primores Argivorum
  Cœperat ad sese Troja ciere viros :
Troja nefas, commune sepulcrum Europæ Asiæque,
  Troja virum et virtutum omnium acerba cinis ;
Quæ nempe et nostro letum miserabile fratri
  Attulit : hei misero frater ademte mihi !
Hei misero fratri jucundum lumen ademtum :
  Tecum una tota est nostra sepulta domus :
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
  Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.

mœnia miles adiret. Tunc enim Troja inceperat, rapta Helena, contra seipsam excitare Argivorum Principes ; infanda, inquam, illa *Troja, communis tumulus Europæ et Asiæ, crudele sepulcrum illustrium hominum et virtutum omnium. Quæ nimirum etiam intulit luctuosam fratri meo mortem.* O care *frater, mihi* fratri tuo *heu infelici* duro fato *erepte. Eheu !* O *grata lux* mihi, *fratri* tuo *erepta. Tecum simul omnis nostra domus eversa est ; omnes tecum simul deliciæ nostræ in-*

sexdecim Sant. codd. *abisse :* in altero Stat. *abiisse :* in aliis codd. cum Venet. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. Delph. Voss. Vulp. aliis *abesse :* Sant. putat *adesse*, pro 'adfuturum,' æquo pæne jure legi posse: *non longe tempus abesse* conj. Schrad.—89 *Asiæ Europæque* prætulit Sant. plurimorum codd. auctoritate commotus; et sic est in Scal. 1. et Delph. sed in novem codd. ap. eund. Sant. et omnibus fere edd. antiquiss. est *Europæ Asiæque.*—91 In omnibus Stat. codd. *Quæ veteri id nostro ;* in Scal. cod. *Quæ vetet nostro ;* in Marcil. membranis, *Quæ vectet id nostro :* Passer. conj. *Quæ nuper nostro ;* Stat. *Quæ veteri nostro, &c.* vel *Quæ veteri domino l. m. nostro,* ut Priamus intelligatur; in Scal. 1. *Quæ ve ter nostro ;* in Scal. 2. *Quæ (ve te), nostro ;* improbante Marcil. qui vult *Quæ nunc et nostro* ; et certe in codd. non multum interest inter *vectet* et *nunc ;* Raphel. *Quæ, væ, væ, et nostro,* quod recepit Grævius; Voss. *Quæmet et id nostro ;* quod arripuerunt Vulp. et Ed. anon. *Væ mihi, quæ et,* vel *Quæne etiam id* Heins. cui adhæret Sant. quem vide. Lect. nostram servant Ald. Junt. Gryph. Mur. Delph. et Bip.—94 *Tecum una nostra est tota* in uno cod. Voss. unde ille, *Tecum cum*

NOTÆ

corum in terram Trojanorum descendisset, occideretur ; quod Protesilao contigit. Unde Ovid. 'Hectorea primus fataliter hasta Protesilaë cadis.'

87 *Helenæ raptu*] Raptus Helenæ historia notior est et tritior quam quæ pluribus a nobis referri debeat. Mirum sane est, quod tam perditæ famæ mulier, et infamis adultera, Asiæ atque Europæ exitii pene causa fuerit. Unde Propert. 'Olim mirabar quod tanti ad Pergama belli Europæ atque Asiæ causa puella fuit.'

89 *Commune sepulcrum Europæ Asiæque*] Europæ, propter Græcos ; Asiæ, propter Trojanos, qui in bello Trojano perierunt.

90 *Acerba cinis*] Cinis hic fœminino genere ponitur, ut apud Lucr. lib. IV. 'In membris cinere ut multa latet obrutus ignis.'

Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra,
  Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troja obscœna, Troja infelice sepultum
  Detinet extremo terra aliena solo.
Ad quam tum properans fertur simul undique pubes
  Græca penetrales deseruisse focos:
Ne Paris abducta gavisus libera mœcha
  Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,
  Ereptum est vita dulcius atque anima
Conjugium; tanto te absorbens vortice amoris
  Æstus in abruptum detulerat barathrum;

terierunt, quas suavis amor tuus, dum viveres, fovebat. O frater, *quem modo sepultum ita procul, non inter monumenta nobis cognita, neque juxta consanguineas* propinquorum *reliquias, sed in infami Troja, misera Troja tumulatum tegit extremis in oris regio peregrina. Ad quam festinans juventus Græca patrios lares reliquisse dicitur, ut Paris exultans, rapta* Helena *adultera, vitam securam in tranquillo toro non ageret. Qua tunc* belli Trojani *occasione* evenit, *o formosissima Laodamia, ut* tuum *tibi vita et* anima *ipsa jucundius connubium abruptum sit. Tanto impetu amoris ardor obruens te conjecerat in profundam miseriarum voraginem;*

nostra est tota sepulta domus.—97 *Quæ* in Stat. codd. *Que* in plerisque ap. Sant.—98 *Non* in uno Voss.—99 In quibusdam Sant. codd. *sepulcrum;* Avant. legi jussit *infelice sepulchrum,* quod reposuerunt nonnulli: *sepultum* exhibent omnes Statiani.—100 In Marcil. membranis, omnibus Stat. et pluribus Sant. codd. cum edd. Stat. Scal. Delph. Voss. Vulp. anon. Sant. Bip. aliis, *Detinet extremo,* quod probat Marcil. *externo* conj. Statius: *Detinet a nostro* in Ald. Junt. Gryph. Mur. et Græv.—101 In Ald. Junt. Gryph. Mur. aliis, *cum properans fertur simul undique pubes;* in duobus Stat. codd. *tum properans fertur undique pubes;* in uno, *tum properans ferretur undique pubes:* verbum *simul* ut addititium atque alienum damnant Stat. et Marcil. at multorum codd. auctoritate *simul undique* tuetur Santenius: in Marcil. codd. *tum properans fertur* *undique pubes;* ex quo fecit, *Ad quam tunc fertur propera undique et undique pubes,* addens, 'hæc Valerii manus ipsissima;' Raphel. ex conj. Lipsii, ut putat Sant. dedit, *fertur unde undique pubes,* quod receperunt Græv. Delph. Bip. alii; in ed. anon. *tum properans ferventior undique pubes;* Eld. tentat, *fertur lecta undique pubes.*—102 In Stat. codd. *penetralis* ἀρχαϊκῶς· in nonnullis edd. vett. *deos,* probantibus Voss. et Davis. ad Cic. N. D. II. 27. sed *focos* testantur plurimi codd.—103 *Nec* in tredecim codd. Sant. improbante Doer. *Neu* in Commel. et Baluz. quod ferri potest.—105 *Quod* in omnibus Stat. codd.—108 Heins. conj. *depulerat,* ingeniose, inquit Doer.—109 In plu-

NOTÆ

108 *Barathrum*] Hic ponitur pro voragine: sed proprie locus erat Athenis, in quem scelerati et flagitiosi dejiciebantur, ut apud Lacedæmonios in Ceadan. Barathrum autem ex Festo locus præceps dicitur, unde emergi non possit.

Quale ferunt Graii Pheneum prope Cylleneum
  Siccare emulsa pingue palude solum;
Quod quondam cæsis montis fodisse medullis
  Audit falsiparens Amphitryoniades:
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
  Perculit, imperio deterioris heri:
Pluribus ut cœli tereretur janua Divis,
  Hebe nec longa virginitate foret.

qualis est illa pinguis terra, quam Graii dicunt exhaustis aquis prope Peneum Cyllenæum exsiccari, quam excavare aggressus est olim abscissis visceribus montis Amphytrioniades falsiparens, ea tempestate, qua jussu asperioris domini telis indevitatis confixit Stymphalia portenta, ut porta cœli majori Deorum numero calcaretur,

rimis codd. sine aspiratione *Peneium*, vel *Peneum;* Avant. legi jussit *Pheneum prope Cylleneum;* Parth. *Peneum propter amœnum:* codd. fere omnes habent *Cyllenæum.*—110 *Siccari* in omnibus codd. et edd. *Siccare*, Schraderi emendationem, in textum recepit Doer. pro *pingue* idem Schrad. malebat *putre.*—111 In nonnullis Stat. codd. Leid. et uno Saib. *fudisse.*—112 *Audet* in omnibus fere codd. et edd. vett. quod explicant 'audebat,' 'ausus est;' *ausus* exhibent edd. Gryph. Mur. et aliæ. *Audit*, ex conj. Palmer. in Spicil. p. 716. Anonymi cujusdam in exempl. Gronov. et Santenii, reposuit Doer.—

NOTÆ

109 *Graii Pheneum* [*Peneum*] *prope Cylleneum*] Cum ad Stymphalias aves interficiendas Eurysthei jussu profectus Hercules in Thessaliam venisset, paludem quandam, quæ ex aquis Penei fluminis collectis efficiebatur, siccavit, separatis prius ab invicem Ossa et Olympo montibus, qui antea contigui erant: et cum ita dedisset exitum fluvio in mare, hominibus illius regionis campi ad Peneum feracissimi et pinguissimi copiam fecit. De hoc Diodor. lib. v. Cylleneus porro dicitur Peneus a Cyllene, juxta illud Strabonis lib. VIII. 'In medio Chelonatæ et Cyllenæ spatio Peneus effunditur.' Peneus autem etiam fluvius Arcadiæ, ubi et mons Cyllene.

112 *Falsiparens Amphitryoniades*] Hercules qui falso habebatur Amphitryonis filius, cum revera a Jove esset ex Alcmena progenitus, Ossam ab Olympo separavit, et sic exitum dedit aquis. Unde Lucan. 'Postquam discessit Olympo Herculea gravis Ossa manu, subitæque ruinam Sensit aquæ Nereus.'

113 *Stymphalia monstra*] Stymphalus urbs est Arcadiæ; ubi etiam et palus fuit ejusdem nominis, circa quam Stymphaliæ aves hominibus, brutis animantibus, fructibusque terræ infensissimæ, quas dicitur Hercules jussu Eurysthei aut fugasse æramentorum sonitu, aut juxta Catullum sagittis interfecisse.

114 *Imperio deterioris heri*] Jussu Eurysthei, qui Herculi labores et monstra domanda proponebat, agente Junone, licet fortitudine Herculi longe inferior esset.

115 *Pluribus ut cœli*] Hercules ideo parebat Eurystheo, ut ipse quoque per labores Deus fieret.

116 *Hebe nec longa virginitate*] Hebe, juventutis Dea, filia Junonis, inter Deos relato Herculi, et Junoni reconciliato, nupsit.

Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
Qui tunc indomitam ferre jugum docuit.
Nam neque tam carum confecto ætate parenti
Una caput seri gnata nepotis alit:
Qui, cum divitiis vix tandem inventus avitis
Nomen testatas intulit in tabulas,
Impia derisi gentilis gaudia tollens,
Suscitat a cano vulturium capite.

et ne diutius Hebe virginitatem servaret. At vero tuus profundus erga Protesilaum *amor*, o Laodamia, *fuit ista longe profundior abysso, quæ Divum* Herculem *docuit subire* Eurysthei *imperium. Nec enim ulla unica filia educat patri decrepito tam dilectum caput nepotis tarde geniti, qui cum vix demum succedens opibus avitis scriptus est hæres in testamento testibus obsignato, quique removens iniquam lætitiam propinqui delusi, depellit vulturem ab avo* suo *sene. Neque ulla* columba

---

114 *Pertulit* in plurimis codd.—118 In Scal. et pluribus codd. ap. Sant. *Qui divum domitum*; in Vat. *Qui divum dominæ;* in Rheg. septemdecim codd. Sant. et duobus Stat. *Qui tuum domitum ;* in uno Stat. *Qui tuum dominum;* in altero Sant. *Quique tuum dominum;* in Vicent. Brix. Corv. et Lamb. *Qui divum dominum;* in Bodl. et Hamb. *Qui tum ;* in Commel. et Baluz. *Quique divum;* in Leid. *Quin;* in Ald. *Quo divum dominum;* in Mur. et aliis, *Quod divum dominum ;* in Scal. 1. et 2. Raphel. Græv. Vulp. et edd. anon. *Quod divum domitum ;* explicant nimirum *divum* de Hercule, qui Eurysthei amore irretitus atque ita domitus sit: *Qui te non domitum* exhibent Guar. et Exc. Ruhnk. *Quod domini dominum* in Lat. Lat. *Qui tunc te indomitum* in marg. Dat. *Qui dirum* tentabat Pucc. *Qui tantum indomitam* Stat. *Qui nondum domitam* Frut. *Qui in vita indomitum* Voss. *Qui te adeo dominum* Heins. *Qui invitam, dominam* Anonymus quidam, quem D'Orvillium esse suspicatur Sant. *Qui tauri indomitam* Schrad. *Qui vivam in domini te ire rogum docuit* Eld. pro *docuit* in Mediol. *decuit ;* in Voss. *domuit ;* in Baluz. et Palat. *potuit*. Lect. nostra, jam in Gott. et Bip. exhibita, Corrad. debetur.—119 *Nam nec causa earum confecto ætate* in Maff. l. *cā* in uno Stat. pro *causa*, e quo, inqnit, facile fit verbum alterum *tam ;* in aliis ejusdem *Nam neque tam causa earum:* Marcil. autem ex priscæ scripturæ vestigio dedit, *Nam neque tam sacrum.*—121 *Qui tum* in edd. vett. in omnibus Stat. codd. *Qui cum;* Scal. conj. *Qui quum in*, improbante Doer.—122 Pro *testatas* Schrad. vult *ceratas ;* pro *intulit* Parth. edidit *detulit.*—123 *Irrita derisi* Heins. improbante Doer.—124 In nonnullis Stat. codd. *Subcitata cano voluntarium capiti ;* in aliis ejusdem *Suscitata*

NOTÆ

117 *Sed tuus altus amor*] Rursum ad Laodamiam redit, aitque amorem ipsius erga virum suum, qui ipsam in profundum et abruptum barathrum detruserat, fuisse profundiorem illo paludis ad Peneum barathro, quod Divum, hoc est, Herculem, docuit ferre jugum Eurysthei heri seu domini; qui nempe præcipiebat Herculi ut tot labores aggrederetur.

122 *In tabulas*] Intelligit testamentum in quacumque materia scriptum.

123 *Gentilis*] 'Gentilis' auctore Festo dicitur, qui eodem ex genere natus, et is qui simili nomine appellatur. Vide Cic. in Topic.

124 *Suscitat a cano vulturium capite*] De parvo nepote loquitur, qui avo

Nec tantum niveo gavisa est ulla columbo
  Compar: quæ multo dicitur improbius
Oscula mordenti semper decerpere rostro;
  Quanquam præcipue multivola est mulier.
Sed tu horum magnos vicisti sola furores,
  Ut semel es flavo conciliata viro:
Aut nihil, aut paulo quoi tum concedere digna,
  Lux mea se nostrum contulit in gremium.

conjuncta albo suo *columbo, quæ longe intemperantius fertur carpere basia rostro mordaci, tam delectata est,* quam tu, o Laodamia, *etsi maxime fœmina inconstans est. Equidem tu,* o Laodamia, *longe superasti ingentes omnes, quicunque olim fuerint, amores, ubi primum conjuncta es formoso conjugi tuo* Protesilao; *cui vel minime vel pauxillulum cedere digna amica mea sese in meum sinum conjecit; circa*

---

cano voluntarium capiti; in Maff. l. *Suscitata cano voluntarium capiti:* unde Stat. conj. *Se citat a cano vulturium capite;* vel, *Se citat incano vulturium capiti:* in Marcil. membranis, *Suscitat a caro volturium capiti,* qui versuum seriem sic disposuit, *Nam n. t. sacrum c. æ. parenti, Una c. s. gn. n. alit: Impia d. g. g. tollens, Suscitat et caro v. capiti, Qui tum d. v. t. i. avitis Nomen, &c.* Scal. dedit, *Suscitat ah cano volturium capiti,* improbante Doer. *capiti* ex codd. et edd. pr. revocavit Sant. ut sit antiqua ablativi forma in quam rem laudat ille Sanctii Minerv. I. 2. c. 7. p. 197. et ibi Perizon. n. 4.—125 Pro *ulla* Voss. in libro suo invenerat *vulla,* unde fecit *pulla,* improbante Doer. hanc emend. amplectitur et confirmat Vulp. laudans Ovid. Her. xv. 37. eosque secutus est Ed. anon. —126 In Stat. codd. *qui multo;* in Scal. cod. Maff. l. et aliis, ut legi jussit Avant. *quæ multo:* in edd. vett. *seu quidquid dicitur.*—128 *Quantum* in Venet. an. 1500. Ald. Gryph. et Mur. *Quam quæ* Voss. ex conjectura, accedentibus Markl. et Schrad. sed nostram lect. tuentur Marcil. membr. cum codd. Stat. Scal. et optt. Sant. *vulgivola* conj. Heins.—129 *Sed tu harum* Mur. et Raphel. *Sed tu olim,* jungens *olim magnos* (τοὺς πάλαι μεγάλους), primus ex cod. suo dedit Scal. sed in nullo cod. ap. Sant. comparet hæc lect. immo in plurimis deprehendit ille *horum,* quod dedimus, vel *tuorum,* quod aperte ex *tu* et *horum* confluxit. *tu eorum* in Commel. *Sed tu Chaonios* conj. Eld.—131 In quibusdam *paulum;* in omnibus Sant. et Voss. codd. et nonnullis Stat. *tu* pro *tum,* quod non temere rejiciendum putat Voss. *tum* in uno ap. Stat. *tu* in codd. legi possit *tū* vel *tum:* in Leid. Sant. invenit *nunc:* Stat. conj. *plus.* Hunc versum ita rescribendum putat Doer. *Sic, nihil aut, &c.* vel sequentem corrigi hoc modo, *Lux mea sic nostrum se tulit.*—132 *Cum tulit* emend. Corrad.

NOTÆ

natus in extremo senio, post signatas tabulas, et institutum hæredem aliquem in gentilibus, qui proximus erat, testamentum delet, sicque frustratur gaudium gentilis, qui jam spe devoraverat hæreditatem, et quasi vultur imminebat capiti boni senis, mortemque ejus avide expectabat, expetebatque, ut ipsius frueretur bonis. At nepos natus, ubi tabulis avi nomen intulit, expuncto gentili, suscitat vulturem, et amolitur a capite senis. 'Vulturios' enim et 'corvos' vocabant hæreditatum captatores.

127 *Oscula mordenti*] Nihil tam improbum in rapiendis osculis fingi potest, quam dicuntur ipsi columbi.

Quam circumcursans hinc illinc sæpe Cupido
  Fulgebat crocina candidus in tunica.
Quæ tamen etsi uno non est contenta Catullo,
  Rara verecundæ furta feremus heræ:
Ne nimium simus stultorum more molesti.
  Sæpe etiam Juno, maxima Cœlicolum,
Conjugis in culpa flagravit quotidiana,
  Noscens omnivoli plurima furta Jovis.
Atqui nec Divis homines componier æquum est:
  Ingratum tremuli tolle parentis onus.

quam frequenter huc illuc concursans Cupido splendebat nitens, in veste crocea; quæ quanquam interdum solo suo non est Catullo contenta, attamen moderatæ puellæ rara adulteria tolerabimus, ne simus nimis more stultorum incommodi. Frequenter porro Juno, Dearum potentissima, sciens frequentia conjugis sui Jovis omnia volentis adulteria, ira exarsit super ejus peccatis quotidianis. Sed Deis mortales comparari nefas est; remove igitur istud trepidi patris molestum onus. Neque enim ipsa amica

ut habeat, quo referatur *tum.*—133 *Qua circumcursans* in nonnullis codd. Sant. *circumversans* in quibusdam ejusdem; *huc illuc* in edd. vett. et duodecim Sant. codd. *hinc atque hinc* in Vat. *hic illic* in Leid. lect. nostram servant omnes Stat. codd.—134 In Vat. et Gud. *crocea*, male ex sententia Santenii, cum *crocinus* forma sit rarior.—135 De *tamenetsi* particulis conjunctim scribendis vide quos laudat Sant.—136 *Rara verecunde f. f. heri* profert Guar. *Rata* in Græviana, errore forsan typothetarum.—138. 139 Hos et duos seqq. versus, ut interpolatos, rejecit Hand. *Ipsa etiam* malebat Schrad. vel totum locum ita refingendum putabat, *Passa e. J. m. C. C. in c. flagrantem:* ex uno Corv. Vall. marg., Vicent. et Brix. *flagrabat* recepit Sant. *flagrantem* in Venett. Rheg. et plurimis codd. *flagrante* in Palat. *flagrantis* in Dat. a m. s. lect. nostra, in Ald. 1. primum edita, auctoritate Baluz. confirmatur. 'Aliam difficultatem movet nova metri ratio in voce *quotidiana*, quam præter Catullum nemo veterum secutus est; succurrere quidem plerique student scribendo *cottidiana;* sed haud scio, an hoc modo res satis expedita sit, nam codd. Catulli, teste Santenio, servant *quotidiana:* nisi totus hic locus corruptus sit, equidem in hujus vocis ratione metrica Catullum licentius potius quam recte versatum esse, affirmare malim; difficultatem removere studebant fortiori remedio, quo indigere hic locus videbatur, Eld. et Sant.' *Doer. flagrantem continet iram* proposuit Sant. *flagrante reconciliata* Eld. Stat. codd. habent vel *flagrantem*, vel *fragrantem.*—140 *Omnivoli ignoscens* conj. Heins.—141 *Atque* in nonnullis codd. *Atque nec o divis* in uno Sant. *Atq.* in uno Mediol. *At quia* in altero Dat. cum Gud. et Ricc. *At quæ* in binis Saib. lect. nostram testantur Stad. codd. *componere justum est*, vel *componere fas est* in edd. ante Calpurnium.—142 Hic lacuna est in quibusdam codd. in aliis, ut et in omnibus Sant. et edd. antiquiss. pentameter, quem dedimus, sine litura conspicitur: eum spurium putarunt Mur. et Broukh. *queruli* pro *tremuli* tentabat

NOTÆ

137 *Stultorum more*] Stultum enim multis videtur cruciari ad coërcendam mulieris libidinem; cum nemo ejus furta et fraudes possit deprehendere, aut cohibere. Unde Propert. 'Tu prius et fluctus poteris siccare

Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
  Fragrantem Assyrio venit odore domum:
Sed furtiva dedit mira munuscula nocte,
  Ipsius ex ipso demta viri gremio.
Quare illud satis est, si nobis is datur unus,
  Quem lapide illa diem candidiore notat.
Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
  Pro multis, Manli, redditur officiis:
Ne vestrum scabra tangat robigine nomen
  Hæc atque illa dies, atque alia, atque alia.
Huc addent Divi quam plurima, quæ Themis olim
  Antiquis solita est munera ferre piis.

patria mihi manu ducta adiit domum meam Assyriis odoribus perfusam; verum ab ipso viri sui *surgens amplexu mihi dona* Veneris *clandestina obscura nocte largita est. Itaque illud sufficit, si nobis tribuatur solis illud, propter quod illa signet diem lapillo meliore.* O *Manli, istud tibi munusculum conflatum ex versiculis, quos potui* fingere, a me *tibi exhibetur pro innumeris* tuis erga me *beneficiis. Ut isthæc dies, et altera, atque alia non deleat vestri nominis memoriam squalenti* oblivionis *obscuritate.* Sed præterea *ad hoc Dii adjicient innumera dona, quæ*

Schrad.—143 Voss. cum in Mediol. invenisset *Veta tamen* exsculpsit inde et edidit *Vesta tamen.*—144 *Flagrantem* in quibusdam; *Fragrans* in Commel. et Baluz.—145 In edd. vett. *nigra;* sed omnes Stat. Scal. Marcil. et plurimi Sant. codd. testantur *mira;* Marcil. volebat *rigua;* Heins. *prima;* Schrad. *nivea.*—147. 148 In Corv. ap. Sant. *Q. i. s. est, si n. id d. unis, Quod l. illa dies;* in tribus Stat. codd. etiam, *si n. id d. unis;* in Marcil. membranis, *Q. i. s. est, si n. is d. unis, Quem l. illa dies;* Maff. 1. quoque exhibet, *si n. is d. unis:* Marcil. conj. *si n. id. d. unis, Quum l. illa dies;* Scal. in ed. 1. *si n. is d. unis,* probante Lipsio; in ed. 2. nostram dedit lect. quam Dat. bini Mediol. Palat. Commel. duo Gud. Ricc. Exc. Anonymi et Lips. 1. confirmant: *quis datur unus* legit Dukerus. Vide Sant. ad h. l.—149 In Mur. *quo potui;* in Mediol. *quem.*—150 *Alli* pro *Manli* legit Scal. *Auli* legi jussit Marcil. vide ad vs. 50. —151 *Nec* in quibusdam codd. *nostrum* in Ald. Mur. et plurimis codd.—

NOTÆ

marinos, Altaque mortali deligere astra manu, Quam facere ut nostræ nolint peccare puellæ.'

144 *Fragrantem Assyrio odore*] Amomo, et aliis odoribus, qui plures nascuntur in Syria, quæ et Assyria.

147 *Illud satis est*] Dicit Poëta sibi satis esse, si det ipsi puella illud, quo putet diem felicem, et aliis idem non faciat.

148 *Lapide candidiore*] Alii Thracibus, alii Cretensibus in more positum fuisse dicunt, ut distinctos pro experimento cujuslibet diei calculos in urnam conderent, ac supremo vitæ die separatos dinumerare solerent, ut ita de felicitatis aut miseriæ ratione pronuntiarent. Cupit autem Poëta, ut amica sua eodem ritu felices dies, et sibi fortunatos numeret.

149 *Hoc tibi, quod potui*] Ad Manlium tandem redit, eumque Carmen concludens optimis, quibus potest, votis prosequitur.

153 *Huc addent Divi, quæ Themis*] Ultra hoc Carminum munus quod tibi

Sitis felices et tu simul et tua vita,
Et domus ipsa, in qua lusimus, et domina:
Et qui principio nobis te tradidit, a quo
Sunt primo nobis omnia nata bona:

Themis quondam consuevit priscis hominibus *juste viventibus conferre. Sitis vos beati et fortunati, tu* o Manli, *ac pariter lux tua, atque etiam domus, in qua nos jocati sumus, atque etiam hera.* Sed maxime sit felix, *qui nobis te donavit, et a quo primo nobis omnia commoda provenerunt. At valde præ cæteris aliis sit felix*

155 *Felices satis et* in uno Sant. *tua virtus* in Mediceo quarto.—156 Vox *ipsa* deest in omnibus Stat. et sexdecim Sant. codd. unde Stat. conj. *Atque domus in qua;* in Nan. *ipsi*, ut legebat Octavius Pantagathus; *Et domus, in qua nos lusimus, et domina* correctum erat in Vall. *ipsi in qua lusimus in domina* conj. Schrad. *ipsa* est in multis codd. ap. Sant.—157. 158 In quibusdam Sant. codd. *præcipue*, improbante Doer. pro vulg. *te tradidit* in omnibus Sant. codd. *terram dedit*, quod referunt Interpp. ad vs. 67. *terram dedit, aufert* in Stat. et Scal. codd. Stat. conj. *teneram dedit, ac fert;* vel *teneram dedit, ac fere;* vel *teneram dedit, Afer*, ut sit nomen proprium; Scal. *te trandedit Ufens;* sed *aufert* in triginta Sant. codd. Venett. 1. 2. Rheg. et aliis vett. *atque* conj. Parth. margo Leid. exhibet tres glossas *autore, augure, auspice*, quarum primam cum Voss. arripuit Vulpius; sed Lips. inde volebat *te trandedit auspex;* Wetsten. *terram dedit ubertim A quo sunt primo:* versus minor in omnibus fere codd. incipit *A quo sunt primo;* in duobus Saib. Vall. Med. Venett. 1. 2. et Rheg. *A quo sunt primo jam;* lect. *a quo Sunt primo nobis* sola auctoritate Corv. nititur: *dominam dedit, a quo Sunt primo nobis* in Ald. Gryph. Mur. aliis; *A quo primo sunt* dedit Scal. ex cod. *nota* pro *nata* in Bodl. et nonnullis Stat. *bono* in omnibus Stat. duobus et viginti Sant. codd. Venet. 2. et Rheg. In

NOTÆ

pro tuis in me meritis mitto, etiam opto, ut Dii addant ea omnia quæ Justitia dabat hominibus piis in sæculo aureo, quo omni bonorum genere abundabant. Ad mentem fere Catulli Virg. 'Di tibi si qua pios respectant Numina, si quid Usquam justitiæ est, et mens sibi conscia recti, Præmia digna ferant.' Themis porro ex Hesiodo in Theog. filia fuit Cœli et Terræ, et una de uxoribus Jovis, de qua Justitiam, Bonas leges, et Pacem florentem natas esse dicit. De Themide sic Festus. Themin Deam putabant esse, quæ præciperet hominibus id a Diis petere, et ab hominibus, quod fas esset.

155 *Sitis felices*] Formula precationis notatione digna. Nihil enim frequentius apud Poëtas invenitur, quam illud votum, 'Sis felix.' Virg. Ecl. v. 'Ipsa sonant arbusta, Deus, Deus ille, Menalca, Sis bonus, o felixque tuis.' Et Æn. I. Venerem Æneas ita precatur: 'Sis felix nostrumque leves quæcumque laborem.' Tibull. lib. III. Eleg. ult. 'Sis felix et sint candida fata tua.'

157 *Et qui principio*] Hic Poëta significare videtur eum, a quo fuerit primum Manlio commendatus, et per quem in ejus notitiam venerit, et qui fuerit in causa cur ipsi Manlius tot beneficia contulerit, apud quem etiam se gratum et memorem, ut apud Manlium, præstare velle videtur. Quid sit autem 'tradere' nemo nescit, qui commendatitias literas, maxime lib. XIII. Epist. Cic. legerit.

Et longe ante omnes mihi quæ me carior ipso est,
Lux mea; qua viva vivere dulce mihi est.

mea amica, mea vita, quæ mihi memetipso carior est, et qua sola salva et incolumi vita mihi suavis est.

uno Voss. et Mediol. totus versus abest.—159 *Sed longe* Lat. Lat. pro *ipso* offerunt Dat. et Ricc. *ipse;* tres Saib. Medic. Vall. Corv. et edd. ante Aldum *ipsa.*—160 '*Est* in Dat. et Ricc. deest. Nobis olim totus locus, mirum in modum impeditus, hoc modo expediri fortasse et constitui posse videbatur, si pro *et tu* in vs. 155. *ut tu*, et vs. 157. *Det qui* pro *Et qui* legeretur; ultimum autem distichon antecedenti præponeretur sic, *Sitis felices ut tu, &c. Et domus ipsa, &c. Et longe, &c. Lux mea, &c. Det, qui principio, &c. Sunt primo, &c.* Sed nunc vix dubito, quin totum distichon vs. 157. 158. a sciolo quodam appictum sit.' *Doer.*

CARMEN LXIX.

AD RUFUM.

NOLI admirari, quare tibi fœmina nulla,
Rufe, velit tenerum supposuisse femur:
Non ullam raræ labefactes munere vestis,
Aut pelluciduli deliciis lapidis.

Ne demireris, o Rufe, * * * *aut cur nullam* puellam *corrumpas dono pretiosæ vestis, aut illecebris gemmæ pellucentis. Tibi nocet malus quidam vulgi*

3 In Scal. et nonnullis Stat. codd. *Nos illa raræ;* in aliis Stat. *Nos illa aræ;* in Ald. Mur. Stat. Græv. ed. anon. aliis, *Non, si illam raræ;* in Scal. 1. *Non illam raræ*, quod reposuit Voss. Lect. nostra, quam ex Gryph. 2. revocavit Doer. est ex conj. Avantii. *labefactas* in Brix. improbante Doer.—

NOTÆ

1 *Noli admirari, Rufe*] Hoc Epigrammate exagitat Catullus quendam *Rufum* divitem, et male olentem, qui licet munera donaret mulieribus, ab illis tamen non amabatur: cujus rei causam asserit fuisse teterrimum alarum odorem, quem Græci τράγον, Latini *caprum* aut hircum vocant; cujus odoris fœditate præter ceteros insignis erat ille *Rufus;* unde ipsum hortatur Poëta, ut e duobus alterum faciat, vel quod tetrum illum caprum occidat, malumque hoc pacto suffocet odorem, vel admirari desinat cur non ametur.

2 *Tenerum femur*] Ut cum ipsa coëas, scilicet.

4 *Deliciis lapidis*] Gemmæ namque ad ornatum, ostentationem, et delicias tantum expetuntur.

Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes: neque mirum; nam mala valde est
Bestia, nec quicum bella puella cubet.
Quare aut crudelem nasorum interfice pestem:
Aut admirari desine, cur fugiunt.

sermo, quo dicitur naribus *crudelis hircus tibi stabulari subter axillarum tuarum recessu.* Hircum *istum timent omnes, nec hoc est mirandum. Pessima enim est bellua, neque* ea est *cum qua formosa puella dormire velit. Quamobrem vel occide sævam illam narium pestem, vel cessa demirari quare te omnes refugiunt.*

4 In Stat. libb. *proluciduli.*—10 *Aut te admirári desine cur fugiant* conj. Heins.

NOTÆ

5 *Mala fabula*] 'Fabulam' vocant quicquid est in ore et sermone populi, sive verum, sive falsum sit.

6 *Valle sub alarum trux habitare caper*] Alarum vallem vocat axillarum recessum sub brachiis et humeris. Caper vero odor est hircinus, qui ita dicitur ab hirco seu capro propter ejusdem animalis graveolentiam et fœtorem. De hoc infra etiam Carm. LXXI. 'Si cui, Virro, bono sacer alarum obstitit hircus.' Horat. Epod. XII. 'Namque sagacius unus odoror, Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis.'

8 *Bestia*] Sic etiam Plautus Bacchid. 'Mala tu es bestia.' Pœnul. 'Male ego metuo milvios; mala bestia est, ne forte me auferat pullum tuum.'

9 *Interfice pestem*] Quasi de animali sermo esset, facete de fœtore illo tetro loquitur. Dicit tamen Nonius *interficere* et *occidere* Veteres etiam de inanimatis usurpasse. Virg. 'Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes.'

CARMEN LXX.

DE INCONSTANTIA FŒMINEI AMORIS.

NULLI se dicit mulier mea nubere malle,
Quam mihi; non si se Jupiter ipse petat.

Uxor mea affirmat se nemini potius quam mihi nubere velle; neque etiamsi

NOTÆ

1 *Nulli se dicit*] Mulierum infidelitatem et inconstantiam sub amicæ suæ persona hoc Epigrammate taxare voluit Catullus; significatque muliebribus blanditiis nullam esse adhibendam fidem.

2 *Non si se Jupiter ipse petat*] Sic infra ad Lesbiam Catullus: 'Nec

Dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, et rapida scribere oportet aqua.

Jupiter eam expetat. Hoc *asserit; at quod fœmina dicit ardenti amatori scribendum est in vento et rapidis aquis.*

4 Pro *In vento* legendum censet Burm. II. ad Anthol. Tom. I. p. 541. *In vino*, quam quidem lect. jam a Gifanio in Ind. Lucr. p. 450. propositam confirmare studet loco ex Xenarchi Πεντάθλῳ ap. Athen. X. p. 441. *Ὅρκον δ' ἐγὼ γυναικὸς εἰς οἶνον γράφω·* sed *In vento* rem significantius exprimere videtur.

NOTÆ

præ me velle tenere Jovem.' Ovid. Epist. Phædræ ad Hippol. 'Si mihi concedat Juno fratremque virumque, Hippolytum videor præpositura Jovi.'

4 *In vento, &c.*] Duo lepide conjungit, quæ ea sunt natura, ut in iis nihil possit imprimi; nam et aqua jugiter fluit, et ventus nihil est aliud quam aër fluens. Eodem fere modo de fœminei sexus sublesta fide Propert. 'Quicquid jurarunt ventus et unda rapit.'

CARMEN LXXI.

AD VIRRONEM.

Si quoi, Virro, bono sacer alarum obstitit hircus,
Aut si quem merito tarda podagra secat:

O *Virro, si alicui* unquam *homini execrabilis axillarum caper nocuit, vel si*

1 In Scal. cod. *Si qua, Viro, bono sacrorum obstitit;* et sic in Rheg. Voss. ll. et aliis codd. ap. Ed. Cant. in Mediol. *Si qua viro se obstitit hircus;* unde Voss. primum conj. *Si quoi virosus;* deinde in nostra lect. acquiescit; quam primus edidit Parth. in Brix. quamque receperunt Vulp. Ed. anon. Bip. alii: *Si quoi jure bono* in Ald. Junt. Colin. Stat. Græv. monente Avant. et hanc lect. servant nonnulli codd. teste Stat. *Si cui, virro, homini sacer alarum* in Gryph. et Mur. *Si quoi, Virro, bono ritu, sacer obstitit* Marcil. *Si quoi, Virro, domos sacer alarum obsidet* tentabat Mel. *caper alarum*

NOTÆ

1 *Si quoi, Virro*] Virronem amicum consolatur, quod rivalis ejus, quem Rufum, de quo mox dictum est, fuisse verisimile est, si ad ejus amicam vadat, simul cum ipsa meritas det pœnas; cum hæc ejus tetro hirci fœtore affligatur, ille vera podagra enecetur. *Sacer* hic sumitur, pro 'execrabili,' ut apud Virg. 'Auri sacra fames.'

2 *Tarda podagra*] Quia nimirum homines reddit tardos, inertes, et ad opus imparatos.

Æmulus iste tuus, qui vestrum exercet amorem,
  Mirifice est a te nactus utrumque malum.
Nam quoties futuit, toties ulciscitur ambos:
  Illam affligit odore, ipse perit podagra.

aliquem iners dolor pedum jure torquet; tuus ille rivalis, qui vestras delicias interturbat, mirum in modum per te est utrumque assecutus incommodum. * * *

obstitit Heins.—4 In Maff. 1. *Mirifice est a te*, probante Stat. quod etiam servant Marcil. membr. Venett. Brix. Vicent. Rheg. Ald. Junt. Scal. Græv. Cant. Bip. aliæ. *Mirifice est actu* in Gryph. et Stat. *Mirifico est astu*, *εἰρωνικῶς* dedit Mur. *Mirifice est tactu* conj. Turn. *Mirifice est, ac tu, nactus* edidit Voss. cui adhærent Vulp. et Ed. anon. *Mirifica est arti* vult Marcil.

NOTÆ

6 *Perit podagra*] Quia ex coitu dolor augetur. Est autem podagra dolor et contractio pedum, et in hac dictione syllaba media indifferens est. Ovid. 'Tollere nodosam nescit medicina podagram.' Martial. vero, 'Litigat, et podagra Diodorus, Flacce, laborat.'

CARMEN LXXII.

AD LESBIAM.

DICEBAS quondam, solum te nosse Catullum,
  Lesbia; nec præ me velle tenere Jovem.

Olim asseverabas, o Lesbia, te Catullum tuum *unum cognoscere, et nolle te*

NOTÆ

1 *Dicebas quondam*] Mirum hoc Epigrammate affectum expressit Catullus. Zelotypia enim ductus, quod Lesbia fidem datam non servarat alium amando, dicit se quidem illam magis diligere, sed tamen illi minus bene velle. Unde quid intersit inter 'amare' et 'bene velle' patefacto, cetera perspicua erunt. 'Amare' igitur latius patet quam 'bene velle.' Neque enim si quis amet, continuo illud sequitur, ut etiam bene velit; cum tamen bene velle non queat, nisi qui amet. Ita sæpe tum belluas, tum res inanimas, ut cibum et potum, signa, statuas, tabulasque egregii operis amare dicimur; quibus tamen nemo sanus nos bene velle dixerit. Asserit igitur Poëta se quondam non tantum amavisse Lesbiam, ut vulgus amicam solet, voluptatis nimirum suæ causa; verum etiam ut patres liberos generosve amant, qui non delectatione aliqua aut utilitate suâ eos diligunt, sed totam suam illam benevolentiam in ipsorum commoda et op-

Dilexi tum te, non tantum ut vulgus amicam,
Sed pater ut gnatos diligit et generos.
Nunc te cognovi. Quare, etsi impensius uror,
Multo mi tamen es vilior et levior.
Qui potis est? inquis. Quod amantem injuria talis
Cogit amare magis, sed bene velle minus.

Jovem ipsum *mihi præferre. Amavi te tunc temporis, non modo quantum unusquisque diligit amicam; verum etiam quantum parens amat filios ac generos. Jam* vero *te* tuasque fraudes *novi: unde quanquam vehementius ardeo* tui amore; *nihilominus longe mihi despectior es et indignior. Quomodo* hoc *potest fieri? ais. Quia ejusmodi injuria compellit amatorem plus diligere, at minus bene velle.*

6 In Stat. codd. *Multa ita me nec vilior;* vel, *Multo ita nec me vilior;* in Venet. an. 1493. *Multo ita tu nunc me;* antique autem *me* pro *mihi* positum esse observat Parth. *Multo ita ne mi tu vilior* in Ald. 1. *Multo ita me nec tu vilior* in Ald. 2. Stat. et aliis. Lectio nostra in Scal. Græv. Voss. Vulp. ed. anon. et Bip. jam recepta, Guarino P. debetur.—7 In Maff. 1. *Qui potis est,* ut legi jussit Avant. in aliis Stat. *Qui potis es;* unde ille conj. *Qui pote sic, inquis,* vel *Qui potis hoc;* in nonnullis vett. *Quis potis est:* pro *Quod* Stat. codd. habebant *Quam;* ille conj. *Quæ;* vel *quia,* sic, *Qui potis hoc, inquis, quia amantem.*—8 *Cogat* in Gryph. Mur. Voss. et aliis; sed nostram lect. servant omnes Stat. codd. cum edd. Ald. Stat. Scal. Græv. Vulp. anon. et Bip. In Gryph. 2. cum hoc Carmine conjungitur Carm. LXXXV. *Odi et amo, &c.* Stat. putat, aut simul cum his, aut statim post hos, legendos esse versus Carm. LXXV. 5. *Nunc est mens, &c.* usque ad finem; et deinde illos, *Odi et amo, &c.* In edd. Venett. hoc cum sequenti Carmine conjunctum exhibitum est.

NOTÆ

portunitatem referunt; tum nempe, cum ipsius blanditiis inductus in fraudem, se quoque vicissim ab ea amari crederet. At ex quo eam levem fallacemque cognoverit, dicit se quidem nihilominus eam amare, aliquanto etiam magis; sed tamen deposuisse ex animo veterem illam benevolentiam intimam, qua eam complecti consueverat.

2 *Velle tenere Jovem*] Idem fere supra Carm. LXX. 'Non si se Jupiter ipse petat.'

5 *Etsi impensius uror*] Quamvis majori amore tui accendar, habeo te tamen viliorem et leviorem quam prius, postquam cognovi tuas fallacias et perfidiam.

7 *Quod amantem injuria*] Responsio Catulli est, quia talis injuria, qualem mihi fecisti alium amando, cogit amantem magis amare, sed minus bene velle. 'Amare' et 'bene velle' ideo differre dicunt Philosophi, quia amor perturbatio est; velle autem est voluntatis et rectæ rationis: unde Cic. Tusc. Quæst. IV. 'Voluntas est qua qui desiderat cum recta ratione desiderat.' Et ideo amator, qui sibi alium videt præferri, majore amoris perturbatione afficitur, et acrius incenditur; non vult tamen amicæ bene velle; immo ulcisci desiderat.

CARMEN LXXIII.

IN INGRATUM.

Desine de quoquam quicquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare pium.
Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benigne est:
Immo etiam tædet, tædet obestque magis:
Ut mihi, quem nemo gravius nec acerbius urget
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

Desine cupere cuiquam aliquid bene facere, vel credere quempiam posse fieri beneficii accepti memorem. Omnes homines sunt ingrati. Nihil prodest aliis bene fecisse. Sed contra potius nocet. Idque certo certius constat, mihique maxime, quem nullus acrius neque asperius prosequitur et vexat, quam ille qui nuper me uno et solo amico usus est.

1 Hic incipit tetrastichon *In Rufum*, inquit Avant. *In Alphenum*, inquit Mur. Pro *quidquam*, quod exhibuit unus vet. cod. ap. Stat. in aliis ejusdem leguntur *quisquam* et *quemquam*.—2 Pro *pium*, quod testantur Marcilii membranæ, edd. vett. Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. aliæ habent *tuum*.—3 In omnibus Stat. codd. *est* deerat, ut et in Venett. Gryph. aliis.—4 In omnibus Stat. codd. ut in textu nostro, præterquam in uno, qui exhibuit, *Immo etiam tædet, stat magis atque magis;* in Marcil. membranis, *Imo etiam tædet, stet magisque magisque;* unde conj. *Immo etiam tædet, et magis atque magis;* Gui. *nihil fecisse benigne Prodest: imo etiam tædet obestque magis;* in Bodl. ap. Ed. Cant. *Prodest: sed tædet jam magis atque magis;* Lect. nostram testantur Guarini codd. et alii codd. ap. Ed. Cant. servant etiam Ald. Junt. Mur. Stat. Græv. Voss. Ed. anon. Bip. alii.—5 *Væ mihi* in Vulp. *Ve mihi* Scal. in Marcil. membranis *Ut mehe* ἀρχαϊκῶς pro *me*.

NOTÆ

1 *Desine de quoquam*] Continent hi versus communem querelam de perfidia ingratoque animo eorum, qui se amicos simulant, cum revera non sint. Sed res est ita nunc usitata, et de ea tam frequentes sunt sapientium hominum querelæ, ut neminem Catullo putem dissentire.

3 *Omnia sunt ingrata*] Postquam dehortatus est Poëta seipsum a beneficiis in alios exhibendis, ex nimia iracundia non tantum homines, sed et omnia ingrata esse asserit.

CARMEN LXXIV.

IN GELLIUM.

GELLIUS audierat, patruum objurgare solere,
Si quis delicias diceret, aut faceret.
Hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam
Uxorem, et patruum reddidit Harpocratem.
Quod voluit, fecit: nam, quamvis irrumet ipsum
Nunc patruum, verbum non faciet patruus.

Didicerat Gellius patruum suum consuevisse increpare quemcumque, si loqueretur aut faceret delicias. * * *

3 In codd. et edd. vett. *perdespuit:* cuidam V. D. cujus meminit Stat. debetur lectio nostra, non autem Scaligero, qui omnem ejus laudem sibi arrogat: Livin. conj. *perdesuit.*—6 *Hunc* ex uno cod. protulit et probavit Stat.

NOTÆ

1 *Gellius audierat*] Gellium infandæ libidinis patratorem insectatur. Est autem ille Gellius homo impurissimus, quem Cicero Oratione pro Sextio tam vehementer exagitat, et quem Oratione in Vatinium 'seditiosorum hominum nutriculam' vocat.

2 *Si quis delicias diceret*] 'Delicias facere' Lambino idem est ac 'delicate jocari:' at Muretus putat, 'delicias facere,' interdum esse 'irridere,' ut apud Plautum in Menæchmis. Interdum idem est quod 'facere nequam,' i. e. indulgere libidini, quo sensu hic sumitur a Catullo.

3 *Hoc ne ipsi accideret*] Ne objurgaretur a patruo.

Patrui perdepsuit] Eam nimirum subagitando: 'perdepso' namque verbum in obscœnis est. Alii legunt *perdespuit*, i. e. neglexit, contemsit; sed male.

Ipsam Uxorem] Quam comprimebat scilicet.

4 *Et patruum reddidit Harpocratem*] Fecit ipsum tacere: fuit enim Harpocrates vir Ægyptius, qui digito salutari silentium indicebat in comitatu Isidis, 'quia capitale erat,' ut inquit Beatus Augustinus lib. XVI. de Civit. Dei, 'dicere Isim et Serapim homines fuisse: unde Deus silentii appellatus, quod ab Ægyptiis colitur.' De quo fusius Plut. in oratione de Serapidis Numine, de quo et Ovid. Met. IX. ubi de Isidis comitatu loquitur intellexisse videtur, 'Quique premit vocem digitoque silentia suadet.' Hunc Capitolio prohibitum, meminit Tertullianus in Apologetico.

5 *Quod voluit, fecit*] Id est, Jam in domo patrui omnia quæcumque volebat, faciebat: quasi dicas, Sub hac simulatione habuit rem cum uxore patrui, et ille tacebat.

Nam, quamvis irrumet ipsum] Licet etiam patruum ipsum irrumaret, tamen ille ne verbum quidem diceret: vel sit sensus, Quamvis hoc tempore etiam patruum ipsum irrumet, tamen ille ne verbum quidem facit; et sic erit 'faciet,' tempus pro tempore: nisi legerimus *verbum non facit et patruus.*

CARMEN LXXV.

AD LESBIAM.

NULLA potest mulier tantum se dicere amatam
  Vere, quantum a me, Lesbia, amata, mea, es.
Nulla fides ullo fuit unquam fœdere tanta,
  Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.
Nunc est mens adducta tua, mea Lesbia, culpa,
  Atque ita se officio perdidit ipsa pio:
Ut jam nec bene velle queam tibi, si optima fias,
  Nec desistere amare, omnia si facias.

O *Lesbia mea, nulla fœmina potest asserere se tam vere dilectam fuisse* a quoquam, *quam a me dilecta es. Nullo unquam in fœdere tanta fuit fidelitas, quanta a me tibi servata est in tuo amore. Jam* vero *animus meus huc perfidia tua adductus est*, o *Lesbia mea, et adeo sese confixit sua* erga te *fide integra; ut neque possim nunc tibi bene cupere, quamvis fias optima, neque cessare te diligere, quicquid agas.*

1 'Hos quatuor vers. priores in antiqq. codd. post Carm. LXXXVI. collocatos, huc revocavit Scal. quem, quia egregie illi cum quatuor posterioribus conspirant, plerique recentiorum secuti sunt. Inprimis Vulp. mirifice hoc nomine extollit acumen Scal. et hæc quatuor disticha vel ab ipso Catullo ita conjuncta et composita fuisse, vel certe poëtam, si ab inferis excitetur, hanc industriam Scal. non deprecaturum existimat. Et sane quatuor posteriores recte integri poëmatii ἀποσπασμάτιον haberi poterant.' *Doer.*—4 *Quantum in amore suo* in Stat. et aliis; *Quanta in amore suo* in Gryph. et Mur. *tuo* exhibent omnes Stat. codd.—5 *Huc est mens deducta* in Venett. Gryph. et Mur. Lect. nostram ex cod. suo produxit Scal. eumque secuti Voss. Ed. Cant. Vulp. Gott. et Bip.

NOTÆ

1 *Nulla potest mulier*] Fidem suam prædicat hoc Epigrammate Catullus in Lesbiam, quam in amore minime sibi fuisse fidelem arguit: unde ait non posse se ei bene velle, quamvis non possit eam non amare, quicquid faciat. Fuisse videtur Catullus ex iis, qui, ut semel amoris laqueis irretiti captique sunt, si puellæ suæ alium quoque aliquem placere sentiunt, eo acrius incenduntur: unde cum perditæ mulieres aliquem in amore volunt retinere, rivalem aliquem opponunt. Hac arte usam fuisse Lesbiam hoc loco apertissime indicatur.

CARMEN LXXVI.

AD SE IPSUM.

Si qua recordanti benefacta priora voluptas
  Est homini, cum se cogitat esse pium,
Nec sanctam violasse fidem, nec fœdere in ullo
  Divum ad fallendos numine abusum homines:
Multa parata manent in longa ætate, Catulle,
  Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam quæcumque homines bene quoiquam aut dicere possunt,
  Aut facere, hæc a te dictaque factaque sunt;
Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.
  Quare jam te cur amplius excrucies?
Quin te animo obfirmas, teque istinc usque reducis,
  Et, Dis invitis, desinis esse miser?

Si aliqua voluptas est viro reminiscenti anteactorum benefactorum, quando se reputat esse pium, neque meminit se sacram temerasse fidem, neque ulla in pactione se male usum esse Deorum testimonio ad decipiendos homines; plures tibi, o *Catulle, comparatæ supersunt in longinquum tempus voluptates ex isto ingrato* Lesbiæ *amore. Quicquid enim homines cuiquam aut dicere bene, aut bene facere possunt, hoc et dixisti et fecisti* Lesbiæ tuæ. *Quod totum in animum ingratum male collocatum, perditum est. Quamobrem curnam te nunc amplius torqueas? Quidni potius mentem obduras, et te prorsus ab isto amore* Lesbiæ *retrahis, atque etiam Superis*

11 In omnibus Stat. codd. *Qui tu animo affirmas, atque instinctoque reducis;* in Scal. cod. *Quin tu animo affirmans atque instructoque reducis;* in Marcil. membranis *Quin tu animo affirmas, atque instinctoque reducis:* Stat. conj. *Quin tu animum offirmas atque istinc usque reducis;* Scal. *Quin tu animu'* (pro ani-

NOTÆ

1 *Si qua recordanti*] Perfidum et ingratum Lesbiæ animum videns Poëta, seipsum integritatis suæ conscientia consolatur, deinde hortatur se ad ejus amorem projiciendum ex animo. Cum autem vix hoc humana ope fieri possit, Deos enixe precatur, ut tandem a tetro illo amoris morbo eorum auxilio liberetur.

2 *Esse pium*] Pietas pars est justitiæ, quæ adversus parentes exhibetur.

11 *Teque istinc usque reducis*] Quin te revocas ab amore perfidæ mulieris, quæ tamdiu te tam perfide delusit.

12 *Dis invitis*] Proverbium esse videtur, quo usus Poëta dixit: 'Heu nihil invitis fas quenquam fidere Divis.'

Difficile est longum subito deponere amorem:
  Difficile est: verum hoc qualubet efficias.
Una salus hæc est, hoc est tibi pervincendum.
  Hoc facies, sive id non pote, sive pote.
O Di, si vestrum est misereri, aut si quibus unquam
  Extrema jam ipsa in morte tulistis opem;
Me miserum aspicite, et si vitam puriter egi,
  Eripite hanc pestem perniciemque mihi,
Quæ mihi subrepens imos, ut torpor, in artus,
  Expulit ex omni pectore lætitias.

nolentibus cessas esse infelix? Difficile est et arduum *repente abjicere diuturnum amorem.* Id equidem *arduum est; sed istud quocumque volueris pacto, facias. Unica tibi superest ista salutis via: istud* igitur *est tibi complendum:* atque ita *illud efficies, sive illud possit, sive non possit fieri. O Superi, si vestrum est miserescere, vel si quod ullis unquam hominibus supremum auxilium præbuistis in ipsa morte, oculos in me infelicem convertite, ac si vitam juste et pie duxi, depellite a me istam luem et calamitatem: quæ mihi latenter irrepens in intima membra, quasi torpor, fugavit ex toto animo meo gaudia. Non peto nunc istud, ut Lesbia me* nunc

---

mum) offirmas itaque, instructoque reducis? sed dedit in textu *Quin te;* Marcil. placebat *Quin tu animum obfirmas itaque, in gyrum reducis?* Mel. *Quin tu animum obfirmans instructum atque atque reducis?* h. e. celerrime retrahis; Voss. *Quin tu animum offirmas, atque istinc te reducis?* Guar. et Gryph. exhibent *Quin te animo affirmas, teque instinctuque reducis?* Mur. *Quin te animo affirmas, teque astringisque reducisque.* 'Nostram lect. haud certe incommodam offerunt edd. Raphel. Græv. Cant. Gott. et Bip. nisi quod *offirmas* pro *affirmas* dedimus; et sic in Sil. Ital. XII. 668. pro 'affirmans' cum N. Heinsio legendum videtur 'offirmans.'' *Doer.*—14 In Venett. *verum hoc quod lubet efficies.*—16 *Hoc face sis sive* conj. Scal. *Hoc facito* Voss. et Vulp.—18 In Venet. an. 1500. *ipsam.*—21 In omnibus Stat. et Scal. codd. *Seu mihi subrepens imos ut corpore in artus;* in Voss. vet. l. *Quæ mihi subrepens imos velut anguis in artus,* quod interpolatum putat Doer. Stat. conj. *Hæc mihi subrepens imos in corporis artus;* Mel. *Heu mihi subrepens imos, ut torpor, in artus.* Nostram lect. vett. librorum tam scriptorum quam excusorum auctoritate niti testatur Ed. Cant.—22 *Expulit ex omnis* ἀρχαϊκῶς pro *omnes* conj. Stat. *exsomnis* Passer.

NOTÆ

16 *Sive id non pote, sive pote*] Εἴτε δύνατον, εἴτε ἀδύνατόν ἐστι. Pote enim est id quod fieri potest; non pote, quod fieri non potest. Potis autem et pote in quolibet genere dicitur. Lucret. in communi genere posuit, ut, 'Quis potis est dignum palanti pectore carmen Condere.' In neutro Catullus jam supra: 'Qui potis est? inquis.' Lucret. 'Nec potis est cerni, quod cassum lumine fertur.'

20 *Eripite hanc pestem*] 'Pestem' vocabant Antiqui, quicquid rem aliquam sive animatam sive inanimam pessumdaret, et quasi prosterneret. Sallust. 'Et si pestis certa adesset, mansurum potius,' &c. Virg. vocat pestem navium, ignem, qui naves combureret: 'Servatæ a peste carinæ.'

Non jam illud quæro, contra ut me diligat illa,
  Aut, quod non potis est, esse pudica velit:
Ipse valere opto, et tetrum hunc deponere morbum.
  O Dî, reddite mî hoc pro pietate mea.

ex opposito redamet: vel, quod fieri non potest, ut velit esse casta. ***Ego*** vero *cupio sanus fieri, et tristem hanc deponere pestem. O Superi, hoc mihi concedite pro mea adversus vos religione.*

pro *lætitias* offerunt Voss. ll. *delicias.*—23 In Stat. codd. *contra me ut.*—26 *O Di hoc reddite* Avant.

CARMEN LXXVII.

AD RUFUM.

Rufe, mihi frustra ac nequicquam credite amice;
  Frustra? immo magno cum pretio atque malo:
Siccine subrepsti mi, atque, intestina perurens,
  Mi misero eripuisti omnia nostra bona?
Eripuisti. Heu, heu, nostræ crudele venenum
  Vitæ, heu, heu, nostræ pestis amicitiæ!

O *Rufe, mihi credite incassum et temere amice. Incassum? quinimmo grandi cum impensa ac damno. Itane latenter te in meam familiaritatem insinuasti, atque mihi viscera inflammans rapuisti mihi infelici omnia mea bona? Eheu! o dirum toxicum vitæ nostræ. Eheu! o nostræ amicitiæ pestis.*

1 In Gryph. Scal. et quibusdam vett. *cognite amice;* sed in omnibus Stat. codd. et Ald. 1. *credite* quod jam vindicatum est a Mur. *cognite amico* in Ald. 2. *nec quicquam cognite amice* in aliis.—3 In Scal. cod. *mei....perures* ἀρχαϊκῶς pro *me....perurens (perurẽs):* Voss. tacite h. l. ita constituit, *Siccine subrepsti; meque intestina perurens Mi misero eripuisti; omnia nostra bona Eripuisti.*—4 *Sic misero* Parth. Gryph. Mur.—6 In Voss. ll. et ed. Parth. *pectus amicitiæ*, ut sit vel ironice sumendum, vel 'olim' sive 'quondam' subintelligendum; 'sed quis dubitet de vera lect. *pestis*, cum *venenum* præcesserit.' *Doer.*—Huic Carmini invitis omnibus codd. vv. quatuor postremos sequentis, *Sed nunc id doleo, &c.* conjunxit Scal. approbante Marcil.

NOTÆ

1 *Rufe, mihi frustra*] In hircosum illum Rufum invehitur Poëta, qui se in ipsius familiaritatem latenter insinuarat, ut ipsi puellam eriperet.

4 *Omnia nostra bona*] Amicam nimirum, quæ est omnia amanti. Clamant enim ubique amatores se in amica omnem spem, omnes cogitationes, omne studium, omnem mentem reponere; existimant namque omnia ab ea pendere, et quod vivant, ejusdem muneris esse.

CARMEN LXXVIII.

DE GALLO.

GALLUS habet fratres, quorum est lepidissima conjux
Alterius, lepidus filius alterius.
Gallus homo est bellus: nam dulces jungit amores,
Cum puero ut bello bella puella cubet.
Gallus homo est stultus, nec se videt esse maritum,
Qui patruus patrui monstret adulterium.
Sed nunc id doleo, quod puræ impura puellæ
Suavia conjunxit spurca saliva tua.
Verum id non impune feres: nam te omnia sæcla
Noscent, et, qui sis, fama loquetur anus.

Sunt Gallo germani, quorum unius uxor est pulcherrima, et alterius filius est venustus. Gallus vir formosus est, et benignus, suaves enim conciliat amores. * * * *Gallus est homo fatuus, neque cogitat se esse conjugem, qui patruus ostendat adulterium patrui. Jam vero illud moleste fero, quod immundum et sordidum tuum sputum conspurcavit oscula munda cultæ puellæ. Sed hoc non feres impune: cuncta enim sæcula te cognoscent, et fama longæva et senex vulgabit, qualis tu sis.*

5 Pro *stultus* in ed. Parth. *bellus*, errore forsan typothetarum.—7 In Venet. Brix. Vicent. et aliis edd. vett. *puræ pura*, quod reposuit Scal. Hunc et tres seqq. versus Scal. cum eos dissimilis argumenti esse existimaret, invitis codd. omnibus ab hoc epigrammate luxavit et cum superiore conjunxit. De iisdem, an loco suo positi essent, jam dubitaverat Statius. Hinc facile ab ingenio suo impetrare potuit Corrad. ut eos Carmini XCI. assueret. Sed Vulpius egregie eos cum hoc Carmine cohærere pulchre docuit.—8 *Savia comminxit* in Scal. 1. ex conjectura; 'sed quis verbum inhonestius præferat honestiori? quisve novam Catulli Carminibus obscœnitatem importare sustineat?' *Doer.*

NOTÆ

1 *Gallus habet fratres*] Gallum quendam ut nefarium inter suos libidinis administrum insectatur, qui se bellum putabat hominem esse, dum filium fratris cum uxore alterius fratris amoribus conjungeret; cum tamen revera stultus esset, quia non animadvertebat idem quoque posse sibi evenire.

3 *Homo est bellus*] 'Belli homines' aliquando et sæpius dicuntur, qui aliis libenter obsequuntur, et quos Aristot. de Moribus, lib. III. vocat ἀρέσκους, quique se ad aliorum quasi nutus accommodant, quod quidem est animi pusilli, et abjecti. Unde Martial. 'Bellus homo atque idem magnus vis, Cotta, videri; Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.'

8 *Suavia conjunxit spurca saliva*] Impuri homines, ut Rufus, salivas oris invicem miscere solebant osculantes, rogabantque amicam salivum sibi invicem facerent. Lucret. l. IV. 'Junguntque salivas Oris, et inspirant pressantes dentibus ora.'

10 *Fama loquetur anus*] Ut supra dixit: 'Charta loquetur anus.'

CARMEN LXXIX.

IN LESBIUM.

LESBIUS est pulcher: quidni? quem Lesbia malit,
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
Si tria notorum suavia reppererit.

Gellius est lepidus. Cur non? quem scilicet *Lesbia potius eligat quam te*, o *Catulle, cum omni cognatione tua. At vero nihilominus venundet Catullum cum omni familia sua, si tria* ad summum *invenerit amicorum oscula.*

1 Esse quibusdam in codd. affirmant, *Gellius est pulcher:* in Scal. cod. *Cælius.* Sed omnes codd. Stat. et Voss. nostram tuentur lect. et sic est in edd. Parth. Gryph. Mur. et Cant.—4 In Scal. cod. Venet. Brix. et Vicent. *natorum*, quod Avant. interpr. 'de jure trium natorum,' et Voss. 'de claris et nobilibus Romanis:' Scal. mutavit in *notorum*, subjungens, 'Nota,' ἡ φίλη, vel potius ἡ ἐρωμένη· *notorum* igitur, 'amicorum:' in Ald. Junt. Gryph. Mur. aliis *amatorum:* Heins. legit, *Si tria amatorum savia surpuerit.*

NOTÆ

1 *Lesbius* [*Gellius*] *est pulcher*] Gellium rivalem ab amica sibi prælatum tanquam obscurum, impurum, amicorum inopem, et indignum insectatur.

4 *Si tria notorum suavia*] Si tres possit reperire notos, seu amicos, qui velint ipsum agnoscere, et ut amicum osculari. Significat Gellium etsi pulchrum, ita turpem et impurum haberi, ut omnes eum osculari refugerent.

CARMEN LXXX.

AD GELLIUM.

QUID dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora nive,
Mane domo cum exis, et cum te octava quiete
E molli longo suscitat hora die?

Vis ut dicam, o *Gelli, cur hæc tua rubicunda labra nive hyemali fiant pallidiora, quando mane egrederis ex ædibus tuis, et quando hora octava diebus æstivis te*

4 *Et mollis* e cod. suo dedit Scal. Lect. nostram servant alii codd. cum

Nescio quid certe est. An vere fama susurrat,
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sic certe clamant Virronis rupta miselli
Ilia, et emulso labra notata sero.

excitat e somno placido? Nescio profecto quid hoc est, et utrum verum fama obmurmurans loquatur: * * *

omnibus edd.—5 In cod. Passer. *vera;* unde conj. *verax.*—6 In quibusdam codd. *thensa.*—7 In Scal. cod. *Sed certe clamant;* unde fecit *Sic certe: clamant;* quod reposuerunt Voss. Vulp. Ed. anon. Gott. et Bip. quodque nos etiam dedimus, sublata tantum interpunctione: *Sic certe est* in Ald. Junt. Gryph. Mur. et Stat. *Si certe est* in edd. Parth. et Græv. pro *Virronis* in multis edd. *Victoris,* in nonnullis *Unctoris,* improbante Mur. *Varronis rupta Viselli* ex ingenio dedit Scal.—8 In Stat. codd. *Ille te mulso,* vel *Illa te mulso;* Avant. legi jussit, *Illa te mulso labra notare:* in Venet. an. 1500. Ald. Gryph. Mur. aliis, *Ilia demulso;* Valeriano, sive Faërno debetur lect. nostra; hinc Stat. legendum putavit, *Iliaque et mulso,* vel *Iliaque et multo.*

NOTÆ

6 *Tenta vorare*] Virilia membra. Horat. 'Tentaque rumpit.' Et Diomedes Grammaticus sic inquit, 'Et quia cacophaton videtur Deorum vehiculum tensum dixerunt, non tentum, ne verbum turpe sonaret in Sacris.'

Medii viri] Quia in medio est membrum virile. Martial. 'Lambebat medios improba lingua viros.'

7 *Sic certe*] Primo dubitavit an vera esset, an falsa fama, modo affirmat ita esse, et adducit testimonium Virronis.

Clamant] Cum quodam veluti clamore indicant.

Virronis] *Victoris* alii legunt: quomodocumque sit, est nomen proprium viri illius, cujus Gellius fellator erat.

Rupta Ilia] Latera quæ coitu disrumpuntur. Juvenal. 'Quod lateri parcas.' Est igitur sensus: Miselli Victoris ilia consumpta clamant labra tua esse signata spermate, quod demulsum ex ipso in labris tuis inaruit.

Ilia] Aliqui legunt, *Ilia demulso,* sed cum sensus et ordo illepidus sit, priorem lectionem magis probo.

Emulso sero] Metaphorice spermate, quod emulges ex illius membro.

CARMEN LXXXI.

AD JUVENTIUM.

Nemone in tanto potuit populo esse, Juventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes,

O *Juventi, an nullus esse potuit formosus vir in tanta populi* Romani *multi-*

NOTÆ

1 *Nemone*] Invidia forsan ductus Poëta Juventium adolescentem re-

Præterquam iste tuus moribunda a sede Pisauri
Hospes, inaurata pallidior statua?
Qui tibi nunc cordi est, quem tu præponere nobis
Audes. Ah! nescis, quod facinus facias.

tudine, quem tu amare inchoares, nisi unus iste tuus hospes ex urbe morbosa Pisauro, deaurato pallidior simulacro? Qui modo tibi acceptus est: quem tu non dubitas nobis præferre. Ast ignoras quodnam scelus admittas.

3 Mel. cum pro *a sede* Palat. m. haberent *ad sede* et Commel. *ab sede*, legendum censet *ah! sepe*, explicans de dentibus senio cariosis et cadaverosis; nimis argute, inquit Doer.—5 *Qui tibi nunc cordi, quem* legit Avant.—6 *At nescis* in edd. vett. Ald. Gryph. Mur. Stat. et Græv. *Ah! nescis* tacite recepit Scal. quem secuti sunt Cant. Voss. Vulp. Ed. anon. Gott. Bip. et recentiores.

NOTÆ

prehendit, quod Pisaurensis cujusdam hominis pallidissimi, spretis reliquis omnibus, amore detineretur. Quis autem fuerit ille Juventius dictum est Carmine XLVIII.

3 *A sede Pisauri*] Pisaurus, seu Pisaurum, urbs est Umbriæ maritima, ad flumen ejusdem nominis, ob aëris insalubritatem apud omnes male audiens: unde vocat eam Catullus 'moribundam.'

4 *Inaurata pallidior statua*] Aurum suapte natura pallidum est. Cujus rei causam rogatum aliquando Diogenem respondisse ferunt: Aurum non immerito pallere, cum tam multos undique habeat sibi insidiantes. Porro de pallore auri Catullo familiaris est loquendi modus; ut supra: 'Quantum sæpe magis fulgore expalluit auri!'

CARMEN LXXXII.

AD QUINTIUM.

QUINTI, si tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud, si quid carius est oculis;

O *Quinti, si cupis Catullum oculos* suos *tibi debere, aut quidvis aliud, si aliquid*

1 *Quincti* in quibusdam edd.—3 *Eripere hei noli* Avant. sed *ei* monosylla-

NOTÆ

1 *Quinti, si tibi vis*] Lepide Catullus agit cum Quintio, qui sibi amicam præripere cupiebat. Jocose itaque eum admonet, et lepide, ut ab incepto desistat, si ipse quoque vult amari.

Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis, si quid carius est oculis.

est oculis carius; noli ipsi rapere id quod longe ipsi carius eo quod est oculis carius, si aliquid est oculis carius.

bum est per synæresin.—4 Statio debetur *si quid*, quem præter Voss. et Vulp. neminem secutum esse miratur Doeringius: *seu*, h. l. notans 'vel si,' quod testantur omnes codd. cum Venett. Brix. Vicent. Rheg. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Gryph. Mur. Scal. aliis, revocandum putat Bach ad Tibull. p. 67. Vide Tibull. II. 4. 43. Propert. II. 26. 29. Lachm. ad II. 1. 51. et Pers. Sat. I. 67. Doer. hunc usum τοῦ *seu* non videns, ita scribit, 'si quid jam est multo carius oculis, qui, quæso, adjici potest *seu quid carius est oculis*; ut taceam, particulam *seu* non *quid*, sed *quod* in hoc orationis nexu postulare?'

NOTÆ

3 *Quod carius illi*] Noli eripere illud quod est carius eo quod est oculis ipsis carius, si quid est etiam oculis carius.

CARMEN LXXXIII.

IN MARITUM LESBIÆ.

Lesbia mi, præsente viro, mala plurima dicit:
Hoc illi fatuo maxima lætitia est.
Mule, nihil sentis. Si nostri oblita taceret,
Sana esset: quod nunc gannit et obloquitur,

Lesbia, astante et spectante marito suo, innumera maledicta congerit in me. Istud stulto illi ingens dat gaudium. Nihil sensu percipis, o fatue: si Lesbia *mei immemor de me sileret*, ab amore *bene valeret*: sed *quia jam blaterat et oblatrat*,

3 In quibusdam Stat. codd. *Mulle*; in Pat. et vet. cod. ap. Passer. *Nulle mihi sentis*, i. e. 'meo judicio merus es stupor.'—4 *Samia* vel *Sannia* in Stat.

NOTÆ

1 *Lesbia mi, præsente viro*] Lesbiæ maritum deridet, qui cum ipsam multa de Catullo irato animo dicere videret, gaudio exultabat, ratus ex his maledictis suam sibi postea Lesbiam totam fore, neque amplius Catullo daturam delicias, quem jam tantopere exosum haberet. At Catullus longe aliter rem se habere dicit. Si Lesbia, inquit, mei amorem serio deposuisset tum me ne nominaret quidem; nunc autem cum tam sæpe mihi maledicat, hoc ipso indicat ita se uri, ut tacere non possit. Quod sane de Lesbia hic dicit Poëta, illud absolute de toto ejusmodi mulierum genere potest affirmari.

3 *Mule, nihil sentis*]. Mulus hic su-

Non solum meminit; sed, quæ multo acrior est res,
  Irata est: hoc est, uritur et loquitur.

non modo mei recordatur, verum etiam, quod longe pejus est, irata est, id est, amore mei ardet, et, quod eam deseruerim, *mihi male dicit.*

codd. unde conj. *Sanna,* quod irrisionem significat: *gannit* in Stat. codd. quod reposuerunt Scal. Græv. Voss. Cant. Vulp. Ed. anon. Bip. alii: *garrit* in Brix. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Gryph. et Mur.—6 Heins. conj. *uritur et coquitur,* et sic legit jam Lips. ap. Dous. F. 'sed quis hoc ferat ob versum primum et quartum?' *Doer.*

NOTÆ

mitur pro fatuo: unde mulos omnino ipsos non dubitem fuisse qui hoc loco mulum ut nomen proprium viri acceperunt.

CARMEN LXXXIV.

DE ARRIO.

CHOMMODA dicebat, si quando commoda vellet
  Dicere, et hinsidias Arrius insidias:
Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
  Cum, quantum poterat, dixerat hinsidias.
Credo sic mater, sic Liber avunculus ejus,
  Sic maternus avus dixerit, atque avia.

Arrius pronuntiabat chommoda, si cuperet interdum proferre illud vocabulum, commoda, ac insidias efferebat *ut hinsidias; ac tunc putabat se mirabiliter dixisse, quando totis viribus aspirando pronuntiaverat, hinsidias.* Ut *puto, ita parens ejus, ita Liber ejus avunculus, ita avus maternus, et avia ipsius pronuntiaverit. At post-*

2 In Voss. ll. *Aretius,* unde ille *Ætius* fortasse scribendum putat.—3. 4 Hoc distichon in ed. Parth. post vs. 10. *Cum subito, &c.* transpositum est.—5 In

NOTÆ

1 *Chommoda dicebat*] Arrium quemdam dictionibus quibusdam, quibus opus minime erat, aspirationem addentem carpit: is namque *chommoda, hinsidias, Hionios* fluctus præter usum Grammatices cum aspiratione pronuntiabat. De hoc autem Epigrammate vide Angelum Politianum lib. Miscellan. cap. 19. et Scaligerum de Causis Linguæ Lat. lib. I. cap. 45. Plures inveniuntur olim fuisse apud Romanos nomine Arrii. Quinti Arrii meminit Pædianus argumento Ciceronianæ Declamationis.

5 *Liber avunculus ejus*] Cognomento 'Liberi' dicti sunt apud Romanos, qui exsecto matris utero editi sunt in lucem, si fides adhibeatur Ter-

Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc leniter et leviter.
Nec sibi postilla metuebant talia verba,
Cum subito affertur nuntius horribilis,
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Jam non Ionios esse, sed Hionios.

quam in Syriam missus est a Senatu, *omnibus aures conquieverant, ista eadem audiebant*, non aspere, *sed molliter et sine aspiratione: neque post illud tempus sibi timebant ab ejusmodi vocabulis aspiratis; quando horrendum repente defertur nuntium, Ionium mare a tempore quo Arrius per illud transisset, non amplius dici Ionium, sed Hionium.*

edd. vett. *liber*, litera prima minore: 'eos falli puto, qui *liber* censent nomen esse gentis vel familiæ; significat enim spurium, qui patruum non habuerit liberum, atque ideo nec patrem.' *Passer.* Marcil. conj. *Iber;* Heins. *Cimber.*—6 In Brix. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Græv. aliis, *dixerat;* sed Scal. ex antiqua scriptura reposuit *dixerit*, quod interpr. *εἴπατο ἂν, ἐλέξατο ἄν·* non enim affirmabundus hoc dicit: cf. Propert. I. 20. 4. 'Janus Meleager male in hoc quoque disticho quærit aspirationem, illudque sic legendum opinatur, *Credo sic mather, sic Liber havunculus eii est, Sic mathernus havus dixerit, atque havia.*' Doer.—7 *Hic* in Stat. codd. unde conj. *Hinc.*

NOTÆ

tulliano lib. de Anima. Constat autem gentem fuisse apud Romanos, cujus esset cognomen 'Liberi.'

7 *Hoc misso in Syriam*] Cum Arrius a Senatu vel ab alio esset in Syriam missus requieverant omnibus aures, quæ illa aspiratione amplius non offendebantur.

9 *Postilla*] Postea. Terent. Phorm. 'Neque postilla unquam attigit.' Plaut. Curcul. 'Sed eum, qui mihi vendidit illam, Nunquam postilla vidi.' Veteres autem tribus modis præpositionem 'post' composuerunt, 'postea,' 'postilla,' 'postinde.'

11 *Ionios fluctus*] Mare Ionium illud est quod Græci in Siculum et Creticum dividunt, ut Plin. lib. IV. cap. 2. docet. Servius autem in Æneid. III. dicit Ionium mare dividi in Adriaticum, Achaicum, Epiroticum et Siculum. Hujus Epigrammatis meminit Quintil. Instit. Orat. lib. I.

CARMEN LXXXV.

DE AMORE SUO.

ODI et amo. Quare id faciam, fortasse requiris.
Nescio: sed fieri sentio, et excrucior.

Odio habeo, simulque quandam puellam *diligo. Cur* ego *hoc agam, forsan* a me *quæris. Ignoro; verum* hoc *esse sentio, et torqueor.*

1 Hoc distichon in edd. Guar. Ald. 2. Gryph. 2. et Stat. hic prætermissum, et Carm. LXXII. annexum est: vide ibi Var. Lect. pro *Quare* Stat. legit *qua re* divisum.

NOTÆ

1 *Odi et amo*] Ingenium et mores Lesbiæ dicit se odisse; amare autem formam illius et venustatem. Hoc fere imitatur Martial. 'Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare: Hoc tantum possum dicere, non amo te.'

CARMEN LXXXVI.

DE QUINTIA ET LESBIA.

QUINTIA formosa est multis: mihi candida, longa,
Recta est. Hoc ego: sic singula confiteor.
Totum illud, formosa, nego: nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.

Quintia pluribus videtur pulchra, mihi vero *nitida, procera, recta videtur. Id ego* non inficior. *Ita fateor singula.* At *istud totum, pulchra, inficior. Nullus enim lepos, nulla pulchritudo, nulla est mica salis in tam procero corpore. Lesbia*

1 *Quinctia* ex vett. monumentis reposuit Stat. vide ad Carm. LXXXII.—2 *Recta est: hæc ego sic* in Marcilii membranis et edd. vett. et sic legi jussit Avant. sed Scal. ex antiqua lect. dedit, *Recta est: hoc ego: sic s. confiteor;* quod receperunt Cant. Voss. Vulp. Ed. anon. Bip. alii.

NOTÆ

1 *Quintia formosa est*] Quintiam quandam, etsi satis bene conformato corpore, formosam esse negat; quod insipida sit et insulsa. Lesbiam vero sic Quintiæ comparat, ut non eam tantum ipsi, sed omnibus etiam aliis anteponat.

4 *Nulla est mica salis*] Dicitur in

Lesbia formosa est: quæ cum pulcherrima tota est,
Tum omnibus una omnes surripuit Veneres.

pulchra est; quæ quoniam est tota formosissima, cunctas cunctis mulieribus sola abstulit Veneres.

NOTÆ

infacetos, fatuos, et stupidos: ut enim 'sal' primum, maximeque commune condimentum est, metaphorice etiam de omni vitæ lepore et hilaritate dicitur. Atque etiam hinc 'insulsa' dicitur oratio, quæ nihil habeat leporis, et 'insulsus' homo, qui moribus est inelegantibus. Contra vero 'salsum' dicitur dicterium, quod acrimonia quadam mordeat, et 'sales' vocati festiviter et argute dicta, non sine quadam illecebra mordacitatis. Seneca vero non vult 'sales' nostros esse dentatos.

6 *Omnes surripuit Veneres*] Omnem leporem; cum omnis gratia in unica appareat Lesbia, omnibus ceteris omnino mulieribus omnes surripuit venustates. Sic Fab. Quintil. lib. II. Isocratem omnes dicendi veneres consectatum fuisse dicit.

CARMEN LXXXVII.

Vide Var. Lect. ad Carm. LXXV.

CARMEN LXXXVIII.

IN GELLIUM.

QUID facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
Prurit, et abjectis pervigilat tunicis?
Quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum?
Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?

* * * *O Gelli, quidnam agit ille, qui non permittit patruum suum conjugem esse? Numquid scis, quam magnum crimen committat? Tantum crimen committit,*

NOTÆ

1 *Quid facit is, Gelli*] Interrogans Gellium tanquam de tertia quadam persona, ipsum mordaciter taxat, qui rem cum matre, et cum sorore, et cum patrui uxore habebat.

2 *Prurit*] Coit pruritu stimulatus.

Pervigilat] Non dormit, sed ad coitum vigilat.

Abjectis tunicis] Quasi diceret nudus, ut ad Venerem magis sit idoneus. Alii accipiunt ob membrum extensum levatis vestibus.

3 *Quid facit is*] *Gellium* insectatur prodigiosa admodum libidine

Suscipit, o Gelli, quantum non ultima Tethys,
Non genitor Nympharum abluit Oceanus.
Nam nihil est quicquam sceleris, quo prodeat ultra:
Non si demisso se ipse voret capite.

o Gelli, quantum nec tota Tethyos aqua nec Oceanus Nympharum pater possit eluere. Non enim aliud crimen est, quod istud superet. * * *

5 *Tethis* in nonnullis; in Græv. *Thetis* contra metri rationem.—6 *Nec genitor* in Stat. codd. sed gravius repetitur *Non:* pro *abluit* in Ald. Junt. Gryph. Mur. Græv. aliis, *abluat;* sed illud ex veteri scriptura defendunt Scal. et Voss. utrumque recte dici putat Doer.—7 In Scal. Voss. et Bip. *quod prodeat*, sed *quo* est in edd. Parth. Gryph. Mur. Cant. Græv. Vulp. anon. et Gott.

NOTÆ

infamem, utpote qui matrem, sororem, patrui uxorem, patruumque ipsum, aliasque cognatas puellas, unus contaminaret.

5 *Non ultima Tethys*] Tam infandum et execrabile scelus est, ut omnibus omnino aquis Oceani non possit ablui. Putabant enim Veteres crimina marinis aquis expiari: quod etiam indicat Cic. Orat. pro Sext. Roscio. Euripides: Θάλασσα κλύζει πάντα τῶν ἀνθρώπων κακά: *Mortalium mala omnia abluit mare.*

8 *Non si demisso*] Non etiam si seipsum fellaret.

Demisso capite] Ut ad fellandum, aut ad se necandum, quod maximum est scelus seipsum occidere. Unde Virg. 'Vitamque perosi Projecere animas.' De his autem qui seipsos interimunt, vide Macrob. lib. I. de Somnio Scipionis, Augustinum, lib. I. de Civitate Dei, et Josephum, lib. III. de Bello Judaico. Melius tamen de fellatione intelligitur.

CARMEN LXXXIX.

DE GELLIO.

GELLIUS est tenuis: quidni? quoi tam bona mater
Tamque valens vivat, tamque venusta soror,

Gellius est macer: cur non? cur ille cessaret esse macilentus et tenuis, cui scilicet adeo benigna parens est, et adeo robusta, et lepida soror, atque adeo humanus

NOTÆ

1 *Gellius est tenuis*] Hujus Epigrammatis argumentum ex superiori manifestum est. Dicit enim Poëta mirandum non esse, si Gellius exili, et attenuato sit corpore, qui ex immodico Veneris usu maciem non contrahere non possit.

Tamque bonus patruus, tamque omnia plena puellis
Cognatis: quare is desinat esse macer?
Qui ut nihil attingat, nisi quod fas tangere non est,
Quantumvis quare sit macer, invenies.

et liberalis patruus, cui cuncta denique adeo sunt repleta fœminis propinquis? Qui quia nihil tangit, nisi id quod ipsi contingere non licet; inde tibi satis superque compertum erit, cur sit macilentus.

5 Scal. legi jussit *attingit*, quod reposuerunt Voss. Cant. Ed. anon. Gott. et Bip.

CARMEN XC.

IN GELLIUM.

NASCATUR Magus ex Gellî matrisque nefando
Conjugio, et discat Persicum aruspicium.
Nam Magus ex matre et gnato gignatur oportet,
Si vera est Persarum impia religio,

Magus oriatur ex Gellii ejusque matris incestuoso connubio, et Persicam aruspicinam ediscat. Nam oportet ut magus e matre et filio nascatur, si vera est nefanda

1 Hoc Carm. conjunctim cum superiore legitur in Brix. Gryph. et aliis; sed sponte apparet, separatim illud a Poëta in Gellium compositum esse.—3 In Gryph. Græv. ed. anon. aliis *nascatur oportet*.

NOTÆ

1 *Nascatur Magus*] Hoc quoque Epigrammate, quod quibusdam in libris cum superiore connexum legitur, detestatur nefariam Gellii cum matre et sorore libidinem; dicitque ex eorum concubitu magum aliquem nasci oportere; si Persarum religio vera sit; qui ejusmodi corporum commistiones licitas esse putant; adeoque bonum magum non posse existere, nisi quem a filio compressa ediderit mater. Magi Persarum lingua hi sunt, quos Græci Philosophos, Galli Druidas, Ægyptii Prophetas, nos Sapientes appellamus.

2 *Persicum aruspicium*] Aruspicium dicitur extorum inspectio: unde aruspex ex hara et specio. Declarat quomodo nascatur magus apud Persas, et quodnam sit ejus officium, scilicet omento et carmine Numina placare.

Gnatus ut accepto veneretur carmine Divos,
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

religio Persarum; ut in lucem editus grato carmine Deos veneretur omentum obesum igne liquefaciens.

NOTÆ

6 *Omentum in flamma*] Ritus erat et consuetudo Veterum in sacrificiis, ut quas hostiæ partes adolerent, eas omento et adipe operirent, ut facilius arderent, pinguedine ignem alente.

CARMEN XCI.

IN GELLIUM.

Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum
In misero hoc nostro, hoc perdito amore fore;
Quod te cognossem bene, constantemve putarem,
Aut posse a turpi mentem inhibere probro:

O *Gelli, non propterea confidebam te mihi futurum esse fidelem in isto nostro infelici et calamitoso* Lesbiæ *amore; quod te probe novissem, et te crederem esse constantem, vel te posse animum cohibere ab infami* patrando *facinore: verum quia*

2 *In misero hoc nostro perdito* in Ald. Junt. Gryph. Mur. Scal. Græv. *hoc perdito* in antiquioribus, quod revocarunt Stat. Voss. Vulp. Ed. anon. Bip. alii.—3. 4 *Qui te cognossem* in cod. Scal. *Quod te non noscem* Avant. *Quin te* Mur. *constanterque putarem Haud posse a turpi* legi jussit Avant. et sic est in plurimis libris tam scriptis quam impressis; sed multo aptior et orationi convenientior Doeringio visa est lectio nostra, quam servant Gryph. 2. Vulp.

NOTÆ

1 *Non ideo, Gelli*] Præclari hujus Epigrammatis, et mirabili quadam ad odium concitandum arte facti sensus hic est: Non ideo, inquit, sperabam, o Gelli, te mihi in misero hoc meo in Lesbiam amore fidum futurum, quia te constantem esse putarem; sed potius quia illam puellam, cujus amor me consumebat, neque matrem tibi esse, neque sororem videbam; quia cum in matrem et sororem libidine tua abutereris, in alias vero temperantem te fortasse crediderim, nihil a te mihi metuendum esse arbitrabar; et licet me magno tecum amicitiæ usu conjunctum cogitarem, non tamen id sufficere putavi, ut inde tibi satis magnam faciendæ mihi injuriæ causam esse duceres, qui nullum in te nisi palmarium scelus susciperes. At tu, ne ullam aliquando scelerate agendi occasionem prætermisisse videreris, nostram ipsam amicitiam idoneam satis ad scelus tibi causam putasti; utpote cui summum sit semper gaudium in quacumque culpa plena sceleris.

Sed quod nec matrem, nec germanam esse videbam
  Hanc tibi, quojus me magnus edebat amor.
Et quamvis tecum multo conjungerer usu;
  Non satis id causæ credideram esse tibi.
Tu satis id duxti: tantum tibi gaudium in omni
  Culpa est, in quacumque est aliquid sceleris.

sciebam tibi non esse matrem, neque sororem istam puellam, *cujus ingens urebat me amor, et quanquam longa tecum eram versatus consuetudine, non tamen putaveram hoc tibi sufficere, ut scelus etiam in me admitteres. Sed tu hoc sufficere existimasti, tanta tibi voluptas est in quocumque delicto est aliquid flagitii.*

ed. anon. et nonnulli codd. ap. Stat.—5 *Sed neque quod* in Brix. Græv. Voss. ed. anon. aliis; 'sed multo concinniorem orationem reddit nostra lect. a Guar. prolata, et a Statio aliisque probata.' *Doer.*—9 *Tu satis induxti* in Brix. et omnibus fere Stat. codd.—10 *Culpa esse* legi jussit Avant.

NOTÆ

6 *Edebat amor*] Virg. qui passim Catullum imitatur, ait; 'Hic quos durus amor crudeli tabe peredit.' Et alibi: 'Est mollis flamma medullas.'

CARMEN XCII.

DE LESBIA.

Lesbia mi dicit semper male, nec tacet unquam
  De me: Lesbia me, dispeream, nisi amat.

Lesbia jugiter mihi obtrectat, neque usquam silet de me. At peream, si Lesbia

2 In Venet. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Græv. aliis, *dispeream, me nisi Lesbia amat;* sed nostram lect. testantur omnes Stat. et Scal. codd. 'mutatus ille in edd. vett. verborum ordo haud dubie profectus est ab

NOTÆ

1 *Lesbia mi dicit*] Est ejusdem pæne argumenti hoc Epigramma cum illo superiore num. LXXXIII. 'Lesbia mi præsente viro.' Hic porro Catullus iram et convicia in muliere signum amoris esse docet, quod per seipsum verum esse confirmat. Quanquam enim ipse de Lesbia assidue male dicit, et ipsam perpetuo videtur execrari; vehementer tamen illam deperit. Sic etiam licet Catullo maledicat Lesbia, plurimum tamen illum diligit. Idem, quod Catullus, asserit Propert. 'Nimirum veri dantur mihi

Quo signo? quasi non totidem mox deprecor illi
Assidue: verum dispeream, nisi amo.

me non diligit. Quonam istud tu nosti *indicio?* inquis: *quasi vero non semper eadem maledicta in ipsam regero: nihilominus tamen peream, si* ipsam *non amo.*

aliquo, qui vellet numerorum rhythmo consulere.' *Doer.*—3 *Cui ego, quasi eadem* in codd. et edd. Parth. et Ald. *Quo signo? quasi eadem* in Gryph. et Mur. *Quo signo? eadem totidem* in aliis ap. Mur. *Quo signo qua sin totidem* in cod. Gellii ap. Stat. in alio cod. Gellii ap. Scal. *Quo signo? quasi non totidem;* quod reposuerunt Vulp. et recentiores: Stat. conj. *Quo signo, quasi enim totidem:* Voss. ex Mediol. profert, *Quo signo? quia sunt totidem mea,* (scil. maledicta), *deprecor illam Assidue: verum, &c.* Passer. *Assidue* refert ad *amo:* Vulp. legit *deprecer* 'nescio unde, sed fortasse rectius,' inquit Doer.

NOTÆ

signa caloris; Nam sine amore gravi fœmina nulla dolet.'

3 *Deprecor*] Aulus Gellius lib. VI. cap. 12. verbum illud, *deprecor,* interpretatur, 'detestari,' 'despuere,' et 'execrari:' quod quidem non probatur. Dicit enim Catullus se quoque vicissim Lesbiæ male dicere, et tamen illius amore flagrare.

CARMEN XCIII.

IN CÆSAREM.

NIL nimium studeo, Cæsar, tibi velle placere,
Nec scire, utrum sis albus, an ater homo.

O *Cæsar, non curo tibi nimis placere velle, neque nosse an tu vir sis candidus an niger.*

2 *Nec si orem, utrum sis salvus an alter homo* in Brix. *Nec si ore* in Voss. ll. antiq. unde conj. *Nescio ore utrum, &c.* sed Voss. legit, *Nescio utrum sis, &c.* in Rheg. *Ne si orem;* in marg. cod. Heins. ap. Ed. Cant. *Nec curo utrum,* et sic placet Bondano Var. Lect. p. 126. *Nec scio te* e Commel. probat Mel. 'Conjungitur hoc distichon cum sequenti in Brix. et Gryph. probante Scal. sed non video, quomodo inter se conciliari queat insignis sententiarum dissimilitudo.' *Doer.*

NOTÆ

1 *Nil nimium studeo*] Cæsarem in mares ita pronum, ut sola allocutione exarderet, carpit, cui se nolle placere affirmat.

2 *Albus, an ater homo*] Mirum sibi Cæsaris contemtum his verbis esse significat Poëta. Hunc porro locum Quintil. lib. II. laudat his verbis:

NOTÆ

'Negat,' inquit, 'se magni facere aliquis Poëtarum, utrum Cæsar sit albus an ater homo.' Proverbialiter autem hoc dictum est etiam a Cic. Philip. II. 'Et quidem,' inquit, 'vide quam te amarit is, qui albus aterne fueris ignorans fratris filium præteriit.' Sic etiam Plaut. Pseud. 'Quem ego hominem nullius coloris novi.' Phædr. in Fab. 'Unde illa scivit nigra an alba nascerer?' D. Hieronymus lib. contra Helvid. 'Quare balbutis et erubescis? Albus, ut aiunt, aterne sis, nescio.'

CARMEN XCIV.

IN MENTULAM.

MENTULA mœchatur: mœchatur mentula certe.
Hoc est, quod dicunt: Ipsa olera olla legit.

2 '*Ipsa olere olla facit* dedit ex aliis, ut ait, exemplaribus Voss. sed cum nemo alius hanc lect. commemoraverit, finxisse eam virum doctum doctrinæ ostentandæ causa, facile tibi persuadeas; nam translatum ille putat ab ollis Græcorum, quæ in Anthesteriis circumducebantur, in quas comportabantur omnis generis olera, quæ tamen nemo degustaret; ut breviter dicam, Vossius Catullum existimat Mamurram sub obscœna imagine comparasse ollæ, quæ solo sacra faciat olere!' *Doer.*

NOTÆ

1 *Mentula mœchatur*] Hoc est, per se sperma effundit, et iisdem verbis id ita esse affirmat.

2 *Hoc est, quod dicunt*] Id est, quod est in communi proverbio.

Ipsa olera olla legit] Id est, sine ope aliena 'olla legit olera;' quia 'olera' conveniunt 'ollæ.' Proverbium est contra eos, qui ad scelus aliquod inclinati sunt, ita ut non possint facere quin peccent. Ideo hoc loco Poëta contra Julium Cæsarem proverbio usus videtur, quia ita fuit ad libidinem in masculos proclivis, ut per se sola allocutione semen effunderet. Simile quidam cum hoc proverbio habent id quod hodie quoque vulgo a nostris dicitur, 'per se messem colligit.'

CARMEN XCV.

DE SMYRNA CINNÆ POETÆ.

SMYRNA mei Cinnæ nonam post denique messem,
Quam cœpta est, nonamque edita post hyemem:
Millia cum interea quingenta Hortensius uno
* * *
Smyrna cavas Atacis penitus mittetur ad undas,
Smyrnam incana diu sæcula pervoluent.
At Volusî annales * * *
Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.

Smyrna tandem sodalis *mei Cinnæ emissa est in lucem post novem æstates, et post novem hyemes, quam inchoata est, dum interim Hortensius uno* consistens in pede ructat *quingenta millia* carminum. *At Smyrna penetrabit usque ad aquas profundas Atracis fluvii. Tempora perpetua Smyrnam* Cinnæ *volutabunt. Sed Volusii Annales* intra urbem ipsam Paduam peribunt, *et frequenter præbebunt*

1 '*Zmyrna* rectius ex mente Vossii, ad librorum vetustatem, nummos, et inscriptiones provocantis, scribitur; Græci tamen scribunt Σμύρνην. Vide Verheyk ad Ant. Lib. p. 299.' *Doer.*—2 In nonnullis vett. *hiemen.*—3 In Brix. *Villa cum.*—4 Hunc versum, qui in omnibus codd. deest, supplevit Parth. ita, *In pede stans fixo carmina ructat hians;* alius ap. Mur. sic, *Accipit autumno versuum ab Antimacho.*—5 *Smyrna cavas Atracis* in vulgg. sed, ut observat Heins. nec fluvius est 'Atrax,' nec prima syll. in *Atracis* corripitur: Livin. defendit *Atacis,* probante Doer. in aliis ap. Mur. *Athesis: Smyrna albas Atacis* in vet. cod. Heins. ap. Ed. Cant. *Zmyrna cavas harathri* in Voss. ll. vett. unde ille reponit * * * *cavas barathri;* nam, ut addit, non tantum quartus hujus Carminis versiculus deëst, sed etiam initium quinti, quem, ut ei succurrerent librarii aut intempestivi correctores, e sequenti versu supplere conati sunt.—6 *Smyrna incana diu sæcula pervoluit* in plerisque Stat. codd. in aliis ejusdem codd. *Smyrnam cana diu sæcula pervoluēt,* i. e. *pervoluent,* quod ille probat, laudans Martial. lib. IX. Epigr. 80. 2.—7 'Hujus quoque versus

NOTÆ

1 *Smyrna mei Cinnæ*] Cinnæ Poëma, quod per totos novem annos elaboraverat, et 'Smyrnam' inscripserat, Catullus commendat, Annalibusque Hortensii et Volusii longe anteponit. Hunc vero Cinnam in tumultu illo, quem contra Cæsaris interfectores concitaverat Antonius, occisum fuisse plures existimant.

2 *Nonamque post hyemem*] Id est, novem post annos. Sicut est Horatii præceptum, 'Nonumque prematur in annum.' Quintil. etiam 'Cinnæ Smyrnam' novem annis compositam fuisse testatur. Poëtæ enim vulgo anni tempestates, ut ver, hyemem, messem ponunt pro annis integris: ut videre est hoc loco.

5 *Atacis* [*Atracis*] *mittatur ad undas*] Atrax oppidum est et fluvius Thessaliæ; de quo Plin. lib. IV. cap. 2. et 8.

6 *Incana sæcula*] Annosa et valde cana.

8 *Scombris dabunt tunicas*] Involucra et tegumenta; sic et Martial.

Parva mei mihi sunt cordi monumenta * * *
At populus tumido gaudeat Antimacho.

latas vestes scombris. Pauca scripta mei Cinnæ *mihi placent. Turba vero delectetur,* quantum voluerit, *inflato Antimacho.*

reliqua pars in veteribus libris desideratur.' *Mur.* alii legunt, *At Volusi annales Paduam morientur ad ipsam;* in Stat. codd. quoque *Paduam,* at pro eo fuit aliud, quod scribæ ita corruperunt, ut conjecturam facere vanum sit; in Scal. cod. *paduam portentur ad ipsam;* unde ille *apuam porgentur ad ipsam,* ob similitudinem inter *t, c,* et *g* in codd. antiquis; τὸ *apuam* interpr. pisciculum, quem muria conditum chartis ineptis amicire solebant: in Brix. et aliis, *Patavi morientur ad urbem,* quod reciperet Mur. si vett. codd. testimonio niteretur; *Capuam morientur ad ipsam* conj. Passer. *Aduam morientur ad ipsum* Voss. probante Heins. *Aduam* enim scribit fluvium esse Galliæ Cisalpinæ, qui ex Alpibus in lacum Larium se exonerat: *Gadium portentur ad ipsam* Corrad.—9 In codd. Stat. *sint* pro *sunt:* in omnibus Mur. Voss. et ejusdem Stat. codd. hujus versus abest verbum ultimum; codd. Petri Victorii et Scal. exhibent *monumenta laboris,* quod reposuerunt Scal. Ed. anon. Delph. Bip. alii: ex VV. DD. conjecturis, *sodalis,* et *poëtæ,* et *tribuni,* vox *sodalis* arridet Mureto et Doer.

NOTÆ

'Scombris tunicas dabis molestas.' Hoc autem exitium carminibus suis minantur omnes fere Poëtæ: Persius; 'Nec scombros metuentia carmina, nec thus.'

10 *Gaudeat Antimacho*] Antimachus Grammaticus fuit et Poëta Colophonius, ut testatur Suidas, cujus etiam meminit Quintil. Instit. Orat. lib. x. Hunc etiam Horatius in Art. Poët. notavit; qui cum bellum Thebanum exorsus esset viginti et quatuor volumina confecit, antequam Duces Thebas duceret. 'Tumidus' porro vel ob stylum, vel ob operis magnitudinem dicitur Catullo, qui videtur Volusium 'Antimachi' nomine appellare ob garrulitatis similitudinem: ut ob poëmatis similitudinem se Romanum vocavit Callimachum.

CARMEN XCVI.

AD CALVUM DE QUINTILIA.

Si quicquam mutis gratum acceptumque sepulcris
Accidere a nostro, Calve, dolore potest,

O *Calve, si aliquid ex mœrore nostro potest evenire jucundum vel suave silentibus*

NOTÆ

1 *Si quicquam*] Calvi Poëtæ officium pietatemque in deploranda Quintiliæ puellæ, quam vivam amaverat, præmatura morte, commendat; ait-

Quo desiderio veteres renovamus amores,
Atque olim amissas flemus amicitias;
Certe non tanto mors immatura dolori est
Quintiliæ, quantum gaudet amore tuo.

mortuorum Manibus, dum votis pristinas integramus amicitias, amoresque quondam depositos lugemus; profecto Quintilia non tam dolet præmaturum obitum suum *quam lætatur tuo in se ardore.*

3 *Quom* vel *Cum* in Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Græv. aliis; sed lect. nostram ex codd. et edd. antiquiss. dedit Scal.—4 *Atque olim missas* in Brix. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Stat. Scal. Delph. Græv. Bip. aliis; sed lect. nostram reposuit Voss. e codd. suis et aliquot Statianis: Vossium secuti sunt Vulp. et Ed. anon.

NOTÆ

que, quod si ex dolore nostro, seu ex iis quæ hic geruntur, mortuis gratum aliquid potest accidere, non tantum Quintilia doluit de præmatura morte, et acerbo interitu suo, quantum læ-tata est, quod tam impense a Calvo amaretur, qui dolorem etiam suum Elegiis testatus est. Hac ipsa de re Propert. lib. II. Eleg. ultima: 'Hoc etiam docti confessa est pagina Calvi, Cum caneret miseræ funera Quintiliæ.' *Muta* porro *sepulcra* sumit hic Catullus κατὰ συνεκδοχὴν pro mortuis silentibus, seu pro silentio mortuorum, sicut infra Carm. CI. 'Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.'

5 *Mors immatura*] *Immatura mors* et acerba dicitur, quæ ante diem fati, vel naturæ advenerit. Tribus enim ex Servio vita continetur humana: natura scilicet, fato, fortuna. Naturæ ultra centum et viginti solstitiales annos concessum nihil est. Fato vero nonaginta anni, hoc est, tres Saturni cursus dantur; nisi forte stellarum aliarum benignitas Saturni superet cursum. Unde illud Horatii: 'Te Jovis impio Tutela Saturno refulgens Eripuit, volucrisque fati Tardavit alas.' Ad fortunam seu casum omnia pertinent, quæ extrinsecus sunt, ad ruinam, incendia, naufragia, venena, &c.

CARMEN XCVII.

IN ÆMILIUM.

Non, ita me Di ament, quicquam referre putavi,
Utrumne os an culum olfacerem Æmilio.

Non existimavi aliquid interesse, sic me Superi juvent, an os an nates odorarer

1 In *Di ament* vocalis non eliditur, sed correpta legitur.—2 *Utrum os an*

NOTÆ

1 *Non, ita me Di ament*] Æmilium rivalem, quem in amore suo satis feli-

Nil immundius hoc, nihiloque immundius illud.
Verum etiam culus mundior et melior:
Nam sine dentibus est. Hoc dentes sesquipedales,
Gingivas vero ploxemi habet veteris:
Præterea rictum, qualem diffissus in æstu
Meientis mulæ cunnus habere solet.
Hic futuit multas, et se facit esse venustum;
Et non pistrino traditur atque asino?

Æmilio; nihil enim est sordidius aut spurcius utrisque Æmilii partibus. Immo vero anus ejus est purior, et tersior; caret enim dentibus. Os autem ejus habet dentes unius pedis cum dimidio, et annosæ capsæ gingivas. * * *

in omnibus Stat. codd. ut syll. *um* non elidatur, quod frequens est ap. Catull. *Utrumne os an* legit Guar. P. quod veram esse vett. codd. scripturam testatus est Muretus: Avant. legi jussit, *Utrum os an culum ipse olfacerem.*—3 In Stat. codd. *Nihilo mundius hoc nobisque immūdius illud;* vel, *Mundius hæc nihil est, nobisque immundius illud;* unde Stat. *Nihilo mundius hoc nobis quam,* ut *Nihilo* vox sit dissyllaba: in Venett. Brix. Vicent. et Rheg. *Mundius hoc nihil est, nobisque immundius illud* probante Statio; in Palat. p. *Nihil mundius hoc, nobisque immundius illud;* in Commel. *illoc* pro *illud;* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Stat. Henr. Græv. et Vulp. *Nil immundius hoc, nihil est immundius illo;* sed Vulp. vult, *Nil immundius hoc, nihil ore immundius: illo Verum etiam culus mundior et melior.* Nostram lect. ex codd. commendat Scal. quem secuti sunt Voss. Cant. Ed. anon. Corrad. Gott. et Bip.—5 *Hic dentes* ex codd. suis probat Stat.—6 Avant. legi jussit, *ploximi;* alii legunt *ploxeni,* vel *ploxini,* quod rectius scribi ostendit Voss.—7 In Venett. Brix. Vicent. et omnibus codd. *qualem defessus in æstum,* improbante Doer. *qualem defessus in æstu* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Henr. et Græv. Lect.

NOTÆ

cem videbat, zelotypia ductus Poëta exagitat, ejusque oris fœditatem et graveolentiam insectatur.

6 *Ploxemi veteris*] Quintil. Instit. Orat. lib. I. vocabulum hoc a Catullo circa Padum dicit inventum; quia scilicet Catullus ipse de regione esset Transpadana Veronensi: sed tamen quid significet, non aperit. Festus autem ait 'ploxemum' veterem esse capsulam; ei ita Æmilii gingivas comparabit Catullus capsæ veteri a tineis corrosæ et exesæ.

7 *Præterea rictum*] Rictus est cum os apertum tenemus, vel propter risum, vel aliam ob causam. Horat. 'Ergo non satis est risu diducere rictum.' Rictus, inquit, Æmilii videtur mulæ cunnus inversus, quando mingit.

Qualem] Scilicet rictum.

8 *Meientis*] Id est, mingentis in æstu, quia tunc laxior solet esse.

9 *Hic*] Scilicet Æmilius.

Futuit multas] Scilicet mulieres.

Et se facit esse venustum] Id est, jactat se esse pulchrum: ex eo quod cum multis rem habeat, postea ex indignatione infert.

10 *Et non pistrino traditur*] Quasi diceret, dignior esset qui asinum incitaret ad versandam pistrini rotam. Interrogative autem hoc proferri debet, et sermo ipse habet mixtam reprehensionem.

Quem si qua attingit, non illam posse putemus
  Ægroti culum lingere carnificis?

nostra, jam Vossio et Doer. probata, debetur Statio.—12 *Agroti*, vel *Argoti* conj. Stat.

NOTÆ

11 *Quem si qua attingit*] Non modo Æmilium lacerat, sed etiam mulieres illas, quæ sui Æmilio copiam faciebant; adeo ut illas dicat etiam 'posse lingere culum carnificis ægroti,' quæ possunt Æmilium osculari.

12 *Carnificis*] Carnifices enim solent odio haberi. Sed ad majorem illarum detestationem 'ægroti' addidit. Nam ægroti semper immundiores esse solent, et maxime quia pharmaca sumere coguntur, quibus inquinatior redditur culus.

CARMEN XCVIII.

AD VETTIUM.

In te, si in quenquam, dici pote, putide Vetti,
  Id quod verbosis dicitur et fatuis:
Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis
  Culos et crepidas lingere carbatinas.

O *Vecti fœtide, si quid contra te proferri potest; illud maxime quod dicitur loquacibus et stultis. Tu possis lambere illa tua lingua podices, et calceos rusticorum*

1 *In te, si in quenquam* legi jussit Avant. *In te si quicquam* Scal. Dous. P. alii; et sic est in Venett. Brix. et Vicent. *Victi* in iisdem edd. quod reposuit Scal. *Vecti* in Ald. Junt. Gryph. Mur. Henr. Græv. Bip. aliis: *Vetti* ex antiquo marmore omnino scribendum esse ostendit Statius, eumque secuti sunt Voss. Cant. Vulp. Ed. anon. et Gott.—4 In Brix. *carpotinas;* in Gryph. *carpatinas;* in Mur. ex codd. fide, *trepidas lingere cercolipas*, i. e. obscœnas viri-

NOTÆ

1 *In te, si in quenquam*] Vettium hominem putidum et maledicum graviter insectatur, cujus linguam mordacem dignam esse dicit, quæ crepidas, et alia fœda et putida lambat, eumque admonet, si familiares suos omnes interficere velit, ut garrulitatem continuet. Simile aliquid est apud Terentium in Heautont. 'In me quidvis harum rerum convenit Quæ dicta sunt in stultum.'

4 *Crepidas carbatinas*] Alii legunt, *carpatinas;* Suidas scribit *carbasinas*. Porro 'carbatinæ' sunt rusticum

Si nos omnino vis omnes perdere, Vetti,
  Dicas: omnino, quod cupis, efficies.

stercore fœdatos, si tibi inde aliqua *contingat utilitas. Si vero nos omnes cupis profligare, loquere,* o *Vecti, et prorsus consequeris id, quod vis.*

les partes, ficto ex 'cauda' et 'pinguedine' vocabulo; *trepidas* explicatur e Pers. vi. 72. Lectio nostra debetur Politiano.—6 *Hiscas* ex codd. suis dedit Voss. quod reposuit Ed. anon. probantibus Hand. Broukh. in Anecdotis, laudante Cic. Phil. ii. 43. et Bach ad Tibull. p. 122. *Dicas* in Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Scal. Græv. Delph. Bip. aliis, præeunte Avantio; *Discas* in Brix.

NOTÆ

calceamentum a Caribus populis inventum, ut Pollux et Suidas affirmant. Aristoteles vero de Animal. lib. ii. ait 'cabatinis' camelos calceari. 'Carbatinæ' autem et 'crepidæ' sunt duo nomina substantiva quæ sine copula per appositionem ideo ponuntur a Catullo, quia rustici immunda et fœda semper habent calceamenta, cum in stabulis versentur.

6 *Dicas; quod cupis efficies*] Hic jocus est Epigrammatis et venustas. Si nos, inquit, omnes vis perdere, nullo negotio potes efficere. Loquere tantum, et si semel sermonem tuum audiamus, assequeris et efficies quod cupis. Tanta est enim oris tui fœdissimi spurcitia et turpitudo, ut simul atque loqui cœperis, nos omnes audientes contagione perdas et inficias.

CARMEN XCIX.

AD JUVENTIUM.

Surripui tibi, dum ludis, mellite Juventi,
  Suaviolum dulci dulcius ambrosia.

O *suavissime Juventi, dum oblectareris suffuratus sum tibi osculum suavius*

NOTÆ

1 *Surripui tibi*] Venustissimo hoc Epigrammate et lepidissimo Juventium, de quo jam sæpius supra, lenire conatur Catullus, qui cum ipsi suaviolum seu osculum surripuisset, vehementer fuerat iratus; unde Poëta apud ipsum se excusans promittit in posterum se nunquam ejusmodi peccati genus peccaturum.

2 *Dulcius ambrosia*] 'Nectare' et 'ambrosia' vesci Deos auctor est Homerus, quem reliqui secuti sunt Poëtæ. Utrum vero sit cibus, an potus, incertum est. Alcman Lyricus et Sappho 'ambrosiam' potum, 'nectar' cibum affirmant. Notan-

Verum id non impune tuli; namque amplius horam
  Suffixum in summa me memini esse cruce;
Dum tibi me purgo, nec possum fletibus ullis
  Tantillum vestræ demere sævitiæ.
Nam simul id factum est, multis diluta labella
  Guttis abstersisti omnibus articulis:
Ne quicquam nostro contractum ex ore maneret,
  Tanquam commminctæ spurca saliva lupæ.
Præterea infesto miserum me tradere amori
  Non cessasti, omnique excruciare modo:
Ut mi ex ambrosio mutatum jam foret illud
  Suaviolum tristi tristius helleboro.
Quam quoniam pœnam misero proponis amori,
  Non unquam posthac basia surripiam.

ambrosio nectare; sed hoc non sine pœna feci. Recordor enim me fuisse affixum altissimo patibulo plusquam per horam; cum apud te me excuso, nec valeo quibuscumque lacrymis vestræ duritiæ tantulum eximere. Ubi primum enim id evenit, digitis omnibus detersisti labra tua multa aqua abluta; ne aliquid superesset inductum ex ore meo, quasi sordidum esset sputum alicujus meretricis putidæ. Insuper non destitisti infelicem me dedere infenso amori, et quacumque ratione me torquere; ita ut basiolum istud conversum ex nectare mihi esset amarius veratro tristi. Quandoquidem autem constituis ejusmodi infelici meo ardori supplicium, nusquam in posterum oscula tibi suffurabor.

8 In Venett. Brix. Vicent. et nonnullis codd. *Abstersi guttis;* in Ald. Junt. Gryph. Henr. aliis, præeunte Avant. *Abstersti guttis;* Mur. ex vett. libb. dedit *Guttis abstersisti*, probante Statio; Voss. *Guttis abstersti.*—10 In Stat. codd. *comminctæ* et *conjunctæ*, prius Scaligero, posterius Statio placet; *commixtæ* in Brix. Ald. Gryph. aliis; *commistæ* in Mur. quod legi jussit Avant. *Tanquam committe spurca saliva guttæ* in Mediol. unde Voss. *commictæ s. s. gulæ;* sed τὸ *committe* legi possit in codd. *commīcte*, i. e. *comminctæ.*—13 In Venett. Brix. Vicent. Ald. Junt. Gryph. Henr. Scal. Græv. Cant. Bip. aliis, *ambrosia:* lect. nostram servant Stat. et Voss. codd. cum edd. Mur. et anon.—16 *Nunquam jam posthac* in Brix. Ald. Junt. Gryph. Mur. Stat. Græv. aliis; *jam* abest a priscis libris ap. Scal. qui legi jussit, *Non unquam posthac.*

NOTÆ

dum autem his etiam nominibus quicquid est gratum jucundumque significari.

10 *Spurca saliva lupæ*] Lupa sumitur hic ut et sæpius pro muliere perdita seu meretrice, ob similitudinem odoris, ut ait Serv. in Æn. III.

12 *Omnique excruciare modo*] Nullum modum prætermisisti ad me excruciandum, in vindictam osculi per vim rapti, ut illud mihi prius ambrosia dulcius, fieret helleboro amarius.

CARMEN C.

DE CŒLIO ET QUINTIO.

Cœlius Aufilenum, et Quintius Aufilenam,
Flos Veronensium depereunt juvenum;
Hic fratrem, ille sororem. Hoc est, quod dicitur, illud
Fraternum vere dulce sodalitium.
Quoi faveam potius? Cœli, tibi: nam tua nobis
Perspecta exigit hoc unica amicitia,
Cum vesana meas torreret flamma medullas.
Sis felix, Cœli, sis in amore potens.

Cœlius Aufilenum, ac Quintius Aufilenam perdite amant, ambo *decus Veronensis juventutis. Iste* quidem deperit *fratrem, ille* vero *germanam: ita est societas quæ vere jucunda dicitur. Cuinam amborum faveam? Tibi,* o *Cœli, tuus enim solus amor in me mihi compertus plane fuit, cum ignis insanus medullas meas exureret.* O *Cœli, sis bene fortunatus, et fias in amore voti compos.*

1 *Cœlius* et *Cœlius* promiscue in vett. monumentis teste Stat. et sic promiscue quoque exhibetur hoc nomen in edd. *Gellius* in Voss. ll. *Aufidenam* legendum putavit Stat. reclamante Voss.—2 In voce *Veronensium* Synizesis eadem est, quæ in 'confinia mensium' ap. Ovid. Fast. v. 187.—5. 6 Lectio vulg. est, *nam tua nobis Perspecta exigitur;* 'parum, opinor, Latine: *Perfecta est igitur,* vel *Perfecta, atque exigitur* in codd. Stat. *jam tua nobis Perfecta est igitur* in Voss. ll. qui *jam igitur* pro 'jam tum' explicat. Equidem jam olim pro *exigitur* legendum esse suspicabar *exigit hoc,* quam quidem lect. cum sponte illa se commendet facilitate sua, et, ut nunc video, a Mur. jam exhibita sit, non dubitavi in textum recipere.' *Doer.*

NOTÆ

1 *Cœlius Aufilenum*] Cœlium et Quintium Veronenses, quorum alter Aufilenum, alter Aufileni sororem deperibat, celebrat Catullus, eorumque recenset amores; maxime vero Cœlio optat in amore felicitatem.

4 *Fraternum sodalitium*] Proverbialiter dici solet ad indicandam intimam amicorum familiaritatem, est inter eos sodalitium fraternum: hoc est, sunt quasi duo fratres. Ideo Poëta jocatur, quia cum frater amet fratrem, alter vero sororem, videntur fraternæ voluntatis habere revera similitudinem, et merito de ipsis Proverbium potest usurpari.

6 *Exigit hoc unica amicitia*] Nam tua constans et firma amicitia mihi cognita, cum insano amore arderem, a me nunc exigit, seu a me nunc in hoc exigitur, ut tibi, o Cœli, faveam, potius quam Quintio.

CARMEN CI.

INFERIÆ AD FRATRIS TUMULUM.

MULTAS per gentes, et multa per æquora vectus
Adveni has miseras, frater, ad inferias,
Ut te postremo donarem munere mortis,
Et mutum nequicquam alloquerer cinerem:

O *Germane* carissime, ego *delatus per varias nationes et longa per maria accessi ad istas* tuas *infortunatas Inferias, quo tibi supremos funeris honores darem, ac frustra verbis compellarem reliquias* tuas *mutas; quoniam mihi temetipsum fatum*

2 *Advenio* in Venett. Brix. Vicent. Rheg. aliis, cum codd. omnibus; *Adveni* debetur Statio, quod reposuerunt Vulp. et Doer. quia ad normam loquendi vix recte dicitur 'advenio, ut te donarem;' nisi quis dicat, quod Cortius ad Sallust. Cat. c. 44. et Ruhnk. ad Vell. Paterc. I. 9. 1. p. 32. monent, non esse omnia, præcipue ap. poëtas, ad leges grammaticas revocanda.—4 In Maff. l. altero Pat. et Voss. ll. *mutam;* et sic supra Carm. LXVIII. 90. 'acerba cinis.'

NOTÆ

1 *Multas per gentes*] Amissum fratrem, ac in Trojano littore extinctum, ut supra vidimus, cum ad ejus sepulcrum longa navigatione pervenisset, Epigrammate præsenti deflet Catullus, ejusque Manibus solvit Inferias, ac ultimum valere dicit.

2 *Adveni* [*Advenio*] *Adveni*, reor esse legendum: concinnior enim sensus est; *Adveni, ut donarem*, quam *advenio, ut donarem.*

Inferias] Inferiæ Sacra sunt mortuorum, quæ Umbris et Inferis solvuntur, quæque in exequiis ad honorem vita functorum celebrantur. Hæc autem sacrificia constabant liquoribus præcipue ac victimis. Liquores erant, aqua, lac, vinum, sanguis, et unguentum. Quæ Inferis libabatur aqua, 'Arferia,' seu 'Arferial' dicebatur, teste Festo, qui etiam 'vinum' his in Sacris usurpari solitum 'merum' fuisse refert. Lactis et sanguinis meminit Virg. Æneid. III. 'Inferimus tepido spumantia cymbia lacte, Sanguinis et sacri pateras,' &c. Unguentorum meminit Propert. lib. III. Eleg. 14. 'Afferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum Ornabit custos ad mea busta sedens.' Vide etiam Ausonium Epitaph. Carm. XXXVI.

3 *Ut te postremo donarem munere*] Dicit 'postremum munus' Poëta noster exequias, quas Virgil. Æn. XI. lib. vocat, 'suprema munera.' 'Egregias animas, quæ sanguine nobis Hanc patriam peperere suo, decorate supremis Muneribus.' Quod sane potest recte quoque dici de monumentis et sepulcris. In Hispania enim Citeriore ejusmodi extat monumentum:

C. JUL. FABIAN.
ANN. XIX.
FABIA. PAULA.
AMITA.
MUNUS.
SUPREMUM.

4 *Et mutum alloquerer cinerem*] Al-

Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum:
Heu miser indigne frater ademte mihi.
Nunc tamen interea prisco quæ more parentum
Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe, fraterno multum manantia fletu:
Atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

eripuit: o infelix germane mihi immerito erepte. Verumtamen nunc suscipe dona ubertim fraternis lacrymis stillantia, quæ antiquo majorum nostrorum *ritu instituta sunt ad lugubres inferias* celebrandas; *et in æternum salve, frater, et vale.*

—5 In omnibus Stat. Voss. et Marcil. codd. *te abstulit*, hiante syllaba: Marcil. conj. *ted' abstulit.*—6 *Hei! misero indigne frater adempte mihi!* Voss. Vulp. Ed. anon. alii; vide Eleg. ad Manl. vs. 92. sed *miser* constanter tuentur libb. vett.—7 Mediol. exhibet *Hæc tu interea;* in Venett. Brix. et Vicent. *Hæc tamen interea:* in Marcil. membranis, *Nunc tamen interea hæc prisco de more p. T. sunt tristi muneri ad inferias Accipe, &c.* unde conj. *Hæc tamen interea, prisco de m. p. T. nunc tristes munera ad inferias Accipe, &c.* pro *inferias* in nonnullis edd. vett. *exsequias.*—10 In Ald. Junt. Gryph. Mur. Scal. Voss. Vulp. Delph. ed. anon. Bip. aliis, *ave;* in Stat. et Græv. *have;* 'antiqui libri et lapides sistunt hanc vocem in hac formula aspirantem.' *Doer.*

NOTÆ

locutiones hujusmodi vocantur ab Euripide προσφθέγματα in Troad. Magnum enim apud Veteres solatium videbatur appellare sæpius nomina non responsura. Tibull. lib. II. Eleg. 8. 'Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo, Et mea cum muto fata querar cinere.'

10 *Ave atque vale*] Mortuis in tumulo compositis, Veteres solebant inclamare, 'Salve, et vale;' vel etiam illud 'vale' ter repetere. Virg. Æn. XI. 'Salve æternum mihi maxime Palla, Æternumque vale.' In quem locum Servius ait: 'Varro in libris Logistoricis dicit, ideo mortuis salve et vale dici, non quod aut valere, aut salvi esse possint, sed quod ab his recedimus eos nusquam visuri. Hinc ortum est, ut etiam maledicti significationem interdum vale obtineat, ut Terentius; valeant qui inter nos dissidium volunt; hoc est, ita a nobis recedant, ut nunquam ad nostrum revertantur aspectum. Ergo cum mortuo vale dicitur, non etymologia consideranda est, sed consuetudo, quod nullis vale dicimus, nisi a quibus recedimus.' Solebant autem ad postremum 'vale,' plerumque subjungere hæc verba: NOS TE ORDINE, QUO NATURA PERMISERIT, SEQUEMUR. Ita vetus Inscriptio:

VALE. ET. SALVE. ANIMA. O. OPPIÆ.
FELICISS. NOS. EO. ORDINE. QUO.
NATURA. PERMISERIT. TE. SEQUEMUR.
VALE. MATER. DULCISSIMA.

CARMEN CII.

AD CORNELIUM.

Si quicquam tacito commissum est fido ab amico,
Quojus sit penitus nota fides animi;
Me unum esse invenies illorum jure sacratum,
Corneli, et factum me esse puta Harpocratem.

Si quid unquam *ab amico fideli creditum est* alteri amico *tacenti* arcana sibi commissa, *cujus fidelitas animi sit plane cognita: O Corneli, me etiam reperies istorum religione esse consecratum, atque existima me esse factum Harpocratem.*

1 In Brix. Stat. codd. et Marcil. membranis *Si quicquam tacito;* Stat. conj. *Si quoiquam tacitum,* nempe ἀπόῤῥητον, arcanum, tacendum; vel, *Si quidquid taciti;* Marcil. *Si quicquam tacito, commissum est sub fide amico;* alii ap. Marcil. *Si quicquam taciti,* quod vult quoque Heinsius: in pluribus edd. vett. *tacite.*—3 *Meque esse invenies* in Venet. Brix. Vicent. Rheg. cod. Scal. Marcil. membranis, et nonnullis Statii; quod reposuit Scal. et probavit Marcil. qui interpr. *que* per 'quoque:' *Atque esse juvenes* in aliis Stat. codd. Stat. conj. *Me, quem ipse adjures;* vel, *Aut quem ipse adjures;* vel, *Me, quem ipse invenias. Illo cum jure sacratum, Corneli:* Voss. *Me æque invenies,* improbante Doër. secutus tamen illum est Vulp. *Me quoque,* ut hiatus relinquatur, vel *Me certe* mallet Doer. *Illo tibi jure sacratum* in codd. Italicis Heins. 'manet tamen, quamcumque lectionem sequaris, dura et inconcinna in hoc disticho oratio; sequi enim debebat 'et putabis;' interim dedimus lect. quam edd. Mur. Gryph. Henr. et aliæ exhibent.' *Doer.*—4 In quibusdam Voss. codd. deest *esse,* cui nec hiatus nec correpta ultima in *puta* displicet.

NOTÆ

1 *Si quicquam tacito*] Cornelio fidem suam spondet, invictamque adeo taciturnitatem, ut nunquam arcana sibi commissa sit revelaturus.

3 *Jure sacratum*] Id est, quasi Sacramento Religionis adactum. Verbo mystico Catullus utitur, quia agitur de silentio, quod mysteriorum est proprium. Sic primis Ecclesiæ sæculis inter Christianos ii dicebantur 'Sacrati,' seu 'Initiati' et Signati,' quibus Crucis signaculum Chrismate fuerat in fronte prænotatum.

4 *Harpocratem*] Apud Ægyptios Harpocrates Deus silentii habebatur; cujus simulacrum in Templis Isidis et Serapidis erat, quod digito labiis impresso videbatur admonere silentium esse servandum. Huic Deo mense Mesori, hoc est, Augusto, legumina offerebant. De hoc porro silentii symbolo jam supra Catullus: 'Et patruum reddidit Harpocratem.'

CARMEN CIII.

AD SILONEM.

Aut, sodes, mihi redde decem sestertia, Silo,
  Deinde esto quamvis sævus et indomitus:
Aut, si te nummi delectant, desine, quæso,
  Leno esse, atque idem sævus et indomitus.

O *Silo, vel restitue mihi, quæso, decem sestertia, et postea sis ferus et implacabilis quantum volueris; vel si te nummi oblectant, cessa, oro, esse leno, atque etiam minax et ferox.*

1 Pro *decem* in uno Stat. cod. *tuo*, unde Faërn. fecit *duo:* in nonnullis Voss. codd. *Syllo* vel *Sillo*.—3 *At, si te nummi* in Pat. *nimium* pro *nummi* in nonnullis Stat. codd.

NOTÆ

1 *Aut, sodes, Silo*] Monet Catullus Silonem, cui decem sestertia mutuo dederat, ut sibi mutuatam pecuniam reddat, ac postea quantum voluerit ferocius nummos reposcenti interminetur; aut si reddere nolit, desinat saltem lenocinium facere, ferocire et interminari. Silones porro, Nonio Marcello teste, a superciliis prominentibus ita dicti fuere. Plures autem leguntur familiæ hujusce cognominis apud Romanos fuisse, maxime vero in gente Sergia, Antonia, Propedia, &c. *Sodes*, pro 'si audes,' alii volunt esse verbum, ut Priscianus; adverbium alii exhortationem rogationemve denotans arbitrantur.

CARMEN CIV.

AD QUENDAM DE LESBIA.

Credis, me potuisse meæ maledicere vitæ,
  Ambobus mihi quæ carior est oculis?

Putasne me valuisse maledicere amicæ meæ, quæ mihi longe carior est geminis

1 Pro *maledicere* Scal. conj. *valedicere*, improbante Marcil.—4 In Stat. et

NOTÆ

1. *Credis, me potuisse maledicere*] Æmulus Catulli quidam cum Tappone famam vulgaverat in populum, Lesbiam inter et ipsum discordias agi-

Nec potui; nec, si possem, tam perdite amarem:
  Sed tu cum Tappone omnia monstra facis.

ocellis? Non equidem *valui* hoc facere; *neque, si* quid ejusmodi *valerem*, eam *tantopere deperirem. At tu cum Tappone omnia facis monstra.*

Scal. cod.: *cum tappone;* unde Scal. lect. nostram defendit: mentionem 'Valerii Tapponis' facit Liv. XXXVII. 46. §. 11. ubi vide Drakenb. in Zanc. et Maff. l. *cum tapone;* in Pat. *cum tripone;* unde Stat. conj. *Sed tu cum turpi ore:* in nonnullis Voss. ll. *Sed tu cuncta pone;* in aliis ejusdem, *Sed tuta pone;* unde conj. *Sed tua, Coponi, omina* (vel *crimina*) *nostra facis:* Vossium secutus est Vulpius: in Brix. Vicent. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Henr. Græv. aliis, *Sed tu cum caupone,* hoc sensu, ut, quisquis ille fuerit, sæpius in caupona versatus, cum ipso caupone perpotasse, et monstrosa cum illo mendacia finxisse et sparsisse videatur; alii vero legunt, *Sed dum cuncta probas.*

NOTÆ

tari, eumque Lesbiæ 'maledixisse,' seu, ut alii legunt, [*valedicere*] 'vale dixisse,' alioque amorem transtulisse; quod verum esse negat noster Catullus.

4 *Cum Tappone omnia monstra facis*] Tappones seu Tappi familiæ fuerunt cognomines Romæ in gente Valeria, et in gente Villia. T. Livius lib. XXV. et XXIX. et XXXV. Alii Codices habent, *cum Caupone;* alii vero legunt; *Sed dum cuncta probas omnia monstra facis.* 'Monstra' autem 'facere' hic nihil est aliud, quam incredibilia quæque et turpia confingere, et nimia loquacitate prodigiosa et portentosa commenta narrare, quod Græci τερατοδεύειν, seu τερατολογεῖν dicunt.

CARMEN CV.

IN MENTULAM.

MENTULA conatur Pimplæum scandere montem:
  Musæ furcillis præcipitem ejiciunt.

Mentula nititur ascendere Pimplæum montem, sed *Musæ deorsum furcis eum agunt præcipitem.*

1 Avant. legit *pipleum scandere;* in Voss. ll. *scindere* in signif. nescio qua obscœna.

NOTÆ

1 *Mentula Pimplæum*] Ineptum hominem et indoctum, quem alii Formianum illum, de quo jam sæpius, alii alium hoc nomine in contemtum ita appellatum intelligunt, versus facere tentantem, et Poëticæ facultatis laudes affectantem irridet Catullus, utpote quem rejiciant Musæ, tanquam sit genio sinistro, et pingui Minerva, hoc est, ingenio crasso et ad versus componendos minime idoneo. Mons autem Pimplæus locus est He-

NOTÆ

liconi vicinus, 'Pimpla' dictus, et Musis a Thracibus, qui Bœotiam incoluerunt, consecratus. Sunt qui hoc Epigrammate volunt confiteri Poëtam obscœna se scribere voluisse, sed a Musis, quominus id faceret, fuisse se prohibitum.

2 *Furcillis*] A 'furca' ducitur 'furcilla.' Alii vero a vocabulo, 'far,' et verbo 'cillere,' quod est movere, 'furcillas' quasi 'farcillas' dici volunt. Sunt enim 'furcillæ' instrumenta, quibus frumenta ad ventum a rusticis jaciuntur, sic dicta, quod his frumenta cillent.

CARMEN CVI.

DE PUERO ET PRÆCONE.

CUM puero bello præconem qui videt esse,
Quid credat, nisi se vendere discupere?

Quicumque cernit præconem jugiter *versari cum pulchro adolescente, quid putet, nisi* ipsum *vehementer exoptare se vendere?*

1 Ita hunc versum legi jussit Avantius: *puero Obelio* in omnibus Stat. codd. *qui videt ipse* in Maff. l. probante Voss. *qui videt ipsum* dedit Vulp. 'qua mutatione omnis, quam sibi pepererunt Interpp. sublata est difficultas.' *Doer.* Sed *esse* testantur omnes alii codd. et edd. vett.

NOTÆ

1 *Cum puero bello præconem, &c.*] Cum præcones vendendis in auctione rebus adhiberi maxime solerent apud Romanos, Poëta formosum quendam puerum a præconis consuetudine revocare cupiens, ait, homines, qui tam frequenter eum cum præcone videant, nihil aliud posse cogitare, quam ipsum velle pudicitiam suam ei, qui pluris eam licetur, addicere.

2 *Vendere discupere*] Mangones Romæ quondam pueros exsectos et in Venerem fractos vendere erant soliti. Martial. lib. I. Epigr. 59. 'Millia pro puero centum me mango poposcit.' *Discupere*, valde cupere; sicut 'dispudet' pro valde pudet.

CARMEN CVII.

AD LESBIAM.

Si quicquam cupido optantique obtigit unquam, et
Insperanti, hoc est gratum animo proprie:
Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro,
Quod te restituis, Lesbia, mi cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te
Nobis. O lucem candidiore nota!

Si quid aliquando cuipiam *non expectanti, cupienti* tamen *et desideranti contigit, illud est animo vere jucundum: quamobrem istud est mihi jucundum*, atque ipso *etiam auro carius, o Lesbia, quod te mi valde exoptanti reconcilias. Ipsa te reconcilias et reddis mihi discupienti, nec* id *expectanti. O diem meliore calculo* notandam!

1 *Si quicquid* in Stat. codd. *Si quicquam cupido optantique obtigit unquam Insperanti* in Venett. Brix. Vicent. Rheg. aliis; in Ald. Scal. 1. et ed. anon. *cupidoque, optantique obtigit unquam Insperanti;* in Pat. *obtulit unquam*, probante Statio; in Voss. ll. optt. *contigit;* Avant. legi jussit, *cupido optantique et contigit unquam Insperanti:* Voss. vult *cupide*, improbante Doer. post *unquam* deest *et* in pluribus edd. Marcil. denique conj. *Si quicquam cupido mi optantique obtigit unquam, et Insperanti.* Lect. nostra, Vulpio jam probata, extat in Gryph.—2 *Insperati* emend. Heins. 'et sane, nisi *et* post *unquam* ponitur, necessaria est hæc emendatio.' *Doer.*—3 'Durius, quam Catullianæ conveniat elegantiæ, *nobis quoque:* legendum forte, *nobisque hoc carius:* tametsi *cupido optantique* ἐνικῶς ante dixerit.' *Stat.* *Quare hoc est gratum nobis, quin carius auro;* vel, *Quare hoc est gratum nobis quoque, carior auro*, ut *carior* referatur ad *Lesbia* in versu minori, legeret Doer. laudans Tibull. I. 8. 31. Marcil. conj. *contra quoque carius auro.*—6 In Stat. et Scal. codd. et Marcil. membr. *Nobis o luce;* in aliis Stat. *Nobis, lucem:* in Brix. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Gryph. Mur. aliis, *O mihi cara magis candidiore nota;* quod Marullo debetur, ut putat Scal. Marcil. legit, *Restituis cupido atque insperanti: ipsa refers te*

NOTÆ

1 *Si quicquam*] Jactatis ultro citroque jurgiis discordiæ Lesbiam inter et Catullum intercesserant; hoc autem Epigrammate gratulatur sibi Catullus de reconciliato sibi Lesbiæ animo; idque eo sibi jucundius esse ait, quo minus speraverat fore; quo tandem facto negat esse quenquam inter homines, qui sit seipso felicior.

3 *Carius auro*] Hoc quasi Proverbio dicebant, quod sibi gratissimum carissimumque esse significabant. Tibull. lib. I. Eleg. 9. 'Carior est auro juvenis, cui lævia fulgent Ora, nec amplexus aspera barba terit.'

5 *Insperanti refers te Nobis*] Ut præsente nobis, et absente nobis apud Comicos. Tibull. lib. III. Eleg. 6. 'Perfida, nec merito nobis inimica merenti; Perfida, sed quamvis perfida, cara tamen.'

6 *O lucem candidiore nota*] Sicut dicitur, 'vir magno ingenio;' vel sic, 'O lucem candidiore nota dignam,' vel 'signandam.' Quod præ nimio affectu Poëta perficere non potuit,

Quis me uno vivit felicior, aut magis hac quid
Optandum vita, dicere quis poterit?

quis me uno beatior vitam ducit? Quis est qui valebit dicere, quis vivit felicior quam ego solus, vel quis est me fortunatior in vita?

Nobis: o lucem, &c.—7. 8 In Marcil. et nonnullis Stat. codd. *aut magis me est Optandus vita;* in aliis Stat. *mage me est Optandus vita;* unde Stat. conj. *aut magi' mi esse Optandum in vita, dicere quid poterit,* improbante Marcilio, qui vult, *Quis me uno vivit felicior? Aut magi' me esse Optandum vitam dicere quis poterit?* in Scal. cod. Venett. Brix. Vicent. Rheg. Venet. an. 1500. Ald. Scal. Græv. Voss. Delph. Vulp. Bip. aliis, *aut magis est me Optandus vita, dicere quis poterit?* improbante Doer. cui indigna plane Catullo videtur hæc Latinitas: Dousa P. emend. *aut magis ista hac Optandam vitam dicere quis poterit?* nec male, inquit Doer. hinc Ed. Cant. *aut mage nostra hac Optandam vitam ducere quis poterit?* probante eodem Doer. Ed. anon. *aut magis hac mi Optandam vita dicere quis poterit?* alii *aut magis est mi Optandum in vita.* Lect. nostram, ex Gryph. et Mur. transcriptam, probavit Doer.

NOTÆ

alludit ad Cretensium mores, qui dies felices et lætos albis lapillis seu calculis, nigris vero tristes et infelices notabant. Cujus ritus meminit Plin. lib. VII. cap. 40. Horat. lib. I. Od. 36. 'Cressa ne careat pulchra dies nota.' Persius Sat. II. 'Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo, Qui tibi labentes apponit candidus annos.' Quod etiam est imitatus Martial. 'Hanc lucem lactea gemma notet.'

8 *Optandum* [*Optandus*] *vita*] Alii legunt, *Aut magis est mi optandum in vita.* Nostra porro lectio Hellenismus est, quomodo dicitur, 'beatus vita, potens divitiis,' μακάριος τοῦ βιοῦ. Sic in Culice. 'Quis magis optato queat esse beatior ævo?'

CARMEN CVIII.

IN COMINIUM.

Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat:

O *Comini, si tua alba senecta turpibus flagitiis contaminata judicio plebis,* cui

1 In Scal. et nonnullis Stat. codd. *Sic homini populari arbitrio;* in aliis Stat.

NOTÆ

1 *Si, Comini, &c.*] In Cominium hominem maledicum et flagitiosum invehitur, qui si judicio populi, cui propter maledicentiam invisus est,

Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exsecta avido sit data vulturio:
Effossos oculos voret atro gutture corvus,
Intestina canes, cetera membra lupi.

tantopere invisa est, *pereat; non sane ambigo, quin lingua* tua *omnibus bonis infensa abscissa tradatur vulturi famelico,* quin *corvus tibi erutos oculos nigris faucibus devoret, viscera* tua *canes* diripiant, *reliquos artus tuos lupi* discerpant.

Sic herum; Avant. legi jussit, *Si, Comini, arbitrio populi,* quod reposuerunt Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Henr. Græv. alii; hinc Voss. *Si, Comini, arbitrio populari cana senectus,* quod in vett. codd. se invenisse testatus est. Lect. nostra est ex conj. Statii, post Avantii emendationem.—4 *Lingua exserta* in codd. Stat. et libris vett. Vossii.—5 In Pat. *gurgite,* probante Vulp. —6 In Voss. ll. *extera membra.*

NOTÆ

intereat; ait fore ut a feris et volucribus dilanietur et absumatur. Fuit autem Cominius rabula quidam de foro, et bonis omnibus invisus accusator, cujus et Tullius Cicero et Asconius Orat. pro Cornelio, et pro Cluentio meminerunt.

4 *Sit data vulturio*] Avis est rapacissima, quæ cadaveribus pascitur. De qua Plin. x. cap. 6.

5 *Voret atro gutture corvus, &c.*] Simile est apud Horat. lib. Epod. v. vs. 99. 'Post insepulta membra different lupi, Et Exquilinæ alites.' Simile etiam Ovid. in Ibin. 'Sive peregrinæ carpent mea membra volucres, Sive meo tingent sanguine rostra lupi, Unguibus et rostro tardus trahet ilia vultur, Et scindent avidi perfida corda canes.'

CARMEN CIX.

AD LESBIAM.

JUCUNDUM, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos, perpetuumque fore.

O *mea lux, mihi promittis amorem istum nostrum suavem* semper *inter nos et*

NOTÆ

1 *Jucundum, mea vita*] Lesbia cum in gratiam rediisset cum Catullo, pollicebatur amorem inter ipsos jucundum jam et perpetuum futurum: unde Poëta Deos orat, faciant, ut Lesbia sincere et sine fictione promittat, et hanc amoris conjunctionem firmam et illæsam ambo per totam vitam suam possint prorogare.

Di magni, facite, ut vere promittere possit;
Atque id sincere dicat et ex animo:
Ut liceat nobis tota producere vita
Æternum hoc sanctæ fœdus amicitiæ.

perennem futurum. O *Divi magni, efficite, ut sincere valeat polliceri, et* ut *illud veraciter dicat, et sincera mente; ut nos possimus mutuam sacri istius amoris concordiam per omne vitæ* nostræ *spatium protendere.*

5. 6 In Brix. Ald. Junt. Gryph. Mur. Henr. Voss. Græv. aliis, *tota perducere vita Alternum;* sed nostram lect. testantur omnes Stat. codd. probante Livin.

NOTÆ

6 *Æternum* [*Alternum*] *hoc sanctæ*] Alii legunt, *Æternum,* nos *Alternum,* id est, 'mutuum,' proponimus. Ut Poëta noster jam supra dixit: 'Mutuis animis amant, amantur.' Horat. II. Od. 12. 'Me voluit dicere lucidum Fulgentes oculos et bene mutuis Fidum pectus amoribus.' Idem Epod. XV. 'Dum pecori lupus, &c. Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos, Fore hunc amorem mutuum.'

CARMEN CX.

AD AUFILENAM.

Aufilena, bonæ semper laudantur amicæ:
Accipiunt pretium, quæ facere instituunt.
Tu quod promisti mihi, quod mentita, inimica es,
Quod nec das, et fers sæpe, facis facinus.

O *Aufilena, amicæ fidæ jugiter prædicantur; quæ* nempe *volunt* vere *præstare id, cujus pretium recipiant. Tu vero invisa mihi es, quia non fecisti* id *quod mihi promisisti; frequenter* autem *scelus* idem *admittis, quia non præbes* id, *cujus sæpe*

3 In codd. vett. Passer. *mihi et quod;* unde ille legit et interpungit, *Tu quod promisti, mi et quod.*—4 *Quod nec das, nec fers* vitiose in Stat. et Scal.

NOTÆ

1 *Aufilena*] Fraudis et perfidiæ arguit Aufilenam prostratæ penitusque perditæ pudicitiæ mulierem, quæ id, quod ipsi pretio accepto fuerat pollicita, non præstiterat, sed promissa fefellerat.

3 *Quod promisti*] Pro 'promisisti,' ut 'promisse,' pro 'promisisse.'

Aut facere ingenuæ est, aut non promisse pudicæ,
Aufilena, fuit. Sed data corripere
Fraudando, efficitur plus quam meretricis avaræ,
Quæ sese toto corpore prostituit.

pretium accipis. At vero, o Aufilena, vel decet ingenuam mulierem adimplere quod promisit, *vel probam et castam decuit non fuisse pollicitam. Verum in iis quæ dantur corradendo et promissa fallendo, plus mali admittitur, quam scorti rapacis* intersit, *quod sese toto prostituit corpore.*

codd. Lectio nostra debetur Guarino.—5 Proposuit Avant. *aut non promissa pudicæ Aufilena fuit Sedaba corripere.*—7 *Fraudando effecit* in Scal. et nonnullis Stat. codd. unde Scal. *effexit;* in aliis Stat. codd. *efficit*, itaque legendum putavit *efficitur;* syllaba enim finalis *ter*, vel *tur*, sæpius in codd. simplici *t* cum apice representatur: in Voss. ll. *effexit*, unde ille reposuit *effexti;* in Marcil. membranis in litura *officit*, ex quo faceret *officium;* Tollius ad Auson. p. 270. conj. *Fraudando, est facinus:* sed Stat. emend. confirmat Brix. quam sequuntur Ald. Junt. Gryph. Mur. Henr. Græv. Cant. Vulp. aliæ.

CARMEN CXI.

AD AUFILENAM.

Aufilena, viro contentas vivere solo,
Nuptarum laus e laudibus eximiis.
Sed quoivis quamvis potius succumbere fas est,
Quam matrem fratres efficere ex patruo.

O *Aufilena, inter præcipuas laudes nuptarum* mulierum *summa gloria est* eas *vitam degere contentas uno* suo *marito.* At *cuilibet* homini non propinquo *potius convenit te prostituere, quantum volueris, quam matrem generare fratres ex patruo,* ut tu facis.

1 In Brix. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Stat. Henr. Græv. aliis, *contentam;* in Rheg. et Scal. cod. *contenta est;* et hinc lect. nostram exsculpsit Scal.—2 *Nuptarum laus est laudibus eximiis* in Brix. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. et Stat. codd. unde Stat. conj. *Nuptarum est laus e laudibus eximiis;* Mur. tacite recepit, *Nuptarum una est e laudibus eximiis:* lect. nostra, quam omnes nunc servant recentiores, debetur Scaligero.—3 In Voss. ll. *Sed cuivis potius;* unde Voss. *Sed cuivis cuivis potius,* probante Vulp.

NOTÆ

1 *Aufilena*] Eandem insectatur Aufilenam, ejusque carpit incestos concubitus, quia se patruo prostituerat, ex eoque filios genuerat.

4 *Fratres*] Patrueles enim 'fratres' vocantur patruorum filii: unde iidem Aufilenæ et filii et 'fratres patrueles' erant. Ajax Achillem ex patruo natum vocat 'fratrem,' apud Ovid. Met. XIII. 'Frater erat, fraterna peto.'

CARMEN CXII.

IN NASONEM.

MULTUS homo es, Naso; nam tecum multus homo est, qui
Descendit: Naso, multus es et pathicus.

O *Naso, an multus homo est* ille, *qui descendit? multus enim homo esse tibi videris. O Naso, multus homo es, et cinædus.*

1 *M. h. es Naso: nec tecum m. homoque Descendit Naso, &c.* in Mel. codd. *M. h. (es, Naso, nam tecum m. homo) est que Descendit? Naso, &c.* in Scal. cod. *M. h. est, Naso, neque secum m. h. qui Descendit* Voss. *M. h. est, Naso (nam tecum m. h. es) qui Descendit?* Vulp. *M. h. es, Naso, nec tecum m. homo: est qui Te ascendit: Naso, &c.* conj. Mel. *M. h. es, Naso num tecum m. h. est, qui Descendit?* vult Salmas. *M. h. es, Naso, neque tecum m. homo, sed Descendis, Naso, &c.* in Brix. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Stat. Henr. Græv. aliis; *M. h. es, Naso; nam tecum m. h. es qui Descendis: Naso, m. es, at pathicus* in ed. anon. Nos dedimus lect. Scal. mutata tantum cum Daciero interpunctione; et sic exhibitum jam est hoc Carm. in Gott. et Bip.

NOTÆ

1 *Multus homo es*] Mirum est quantum hoc obscurissimum Epigramma Catulli torserit Interpretes, qui varias, ut huic lumen afferrent, commenti sunt expositiones. Duas nobis referre sufficiet; quam voluerit Lector eliget, si quid melius non habuerit. Vocabulum itaque *multus*, vel hic absolute dicitur de eo, qui in unaquaque re multus est; ita ut pro severo tetricoque et moroso, odioso et importuno, quem Græci φορτικὸν dicunt, sumatur; ut apud Nonium Afranius ait: 'Multa es ac molesta multum.' Sicque hoc Epigramma hunc reddet sensum: Multus es, Naso, et molestus et morosus et arrogans. An vero tibi videtur multus homo esse, qui descendit et pathicus est? Mirum enim est, ut homo cinædus, et qui omnia omnibus obsequitur, idem quoque arrogans sit, superbus, asper, ac difficilis. Alii volunt, ut *multus homo*, hic idem sit qui et vir est et muliebria patitur. Ita enim et vir et fœmina quasi simul est, atque adeo certe *multus homo*. Aliis *multus homo* est quasi procerus et magnæ staturæ, qui tamen descendat et inclinetur ad libidinem, unde et pathicus dicitur, juxta illud Juvenal. Sat. x. vs. 224. 'Quot discipulos inclinet Hamillus.'

CARMEN CXIII.

AD CINNAM.

CONSULE Pompeio primum duo, Cinna, solebant
Mœchi: illo facto Consule nunc iterum,
Manserunt duo: sed creverunt millia in unum
Singula: fœcundum semen adulterio.

O *Cinna, Pompeio primum* creato *Consule, duo* tantum *adulteri consueverant* esse Romæ; *at* ipso *jam rursus facto Consule, remanserunt* adhuc tantum *duo: sed* postea *in quemlibet amborum singula millia succreverunt;* adeo *ferax est semen adulterorum.*

1 In Stat. et Scal. codd. *solebant;* in Brix. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Stat. Henr. Græv. et aliis, *sedebant;* et sic legendum putavit Doer. vel locum ita rescribendum esse, *C. P. p. d. C. solebant Mœchari; at facto C. n. i. Manserunt duo.*—2 In Stat. codd. *Mecilia facto;* in cod. Scal. *Mœch' ill' a;* unde ille, *Mœchi, illi, ah facto;* in Voss. ll. optt. *Cæcilio facto; Mœchalia, at facto* in Brix. *Mœchilia, facto* in Ald. Junt. Gryph. Mur. Henr. *Mœchilli, facto* in Græv. ex conj. Turnebi: *Mœchulei* vult Passer. Lect. nostra debetur Statio.—4 *Singulum* in Pat. et Scal. cod. quod probat Scal. et allatis quibusdam exemplis docet, mediam vocalem recte in hac voce prisco more extrudi posse; sed *Singula* testantur Marcil. membranæ: *in unum* interpr. *εἰς ἕνα ἕκαστον.*

NOTÆ

1 *Consule Pompeio*] Ad Cinnam Catullus inscribit hoc Epigramma de mirando Romæ mœchorum incremento; invehiturque in illa corrupta tempora, quibus innumera patrabantur adulteria, quorum raritatem ad secundum Pompeii Consulatum fuisse significat cum duo tantum essent alieni lecti Romæ tunc temporis insessores, qui postea in immensam istius infamiæ segetem, qua Catulli ætate Roma flagrabat, succreverunt.

2 *Mœchi*] Mirum certe est quantum hic correctorum vulgus debacchatum sit; alii enim legunt, *mœchilia;* alii, *mœcharia;* alii *mœchilli;* aliud alii quod piget referre, sicut et illud quod hallucinantur in postremum versus præcedentis vocabulum, ubi legunt *sudabant,* cum legendum sit *solebant,* more Veterum, qui in iis in quibus volebant verbum reticere, solo verbo, 'solere,' utebantur: ut supra Catullus: 'Solet hæc imaginosum.' Et Plautus: 'Quæ nos prædicant cum viris suis solere.'

3 *Millia in unum Singula*] Nonnulli legunt *Singulum,* mediam exterendo syllabam, non *Singula,* ut Plautus in Clitellaria. 'At at singulum video vestigium.' Varro: 'Hoc erat incommodi, quod nesciebamus semel unum singulum esse.' Nos lectionem communem non mutamus, qua significantur, qui duo tantum erant adulteri, in totidem postea millia succrevisse, et sic de duobus facta fuisse duo millia.

4 *Fœcundum semen*] Nonnullis hoc Epigrammate Cæsar et Mamurra notari videntur, tanquam mœchorum seu adulterorum primipili, quorum semen Catullus exclamat mirum in modum esse prolificum.

CARMEN CXIV.

IN MENTULAM.

FORMIANO saltu non falso Mentula dives
Fertur; qui quot res in se habet egregias!
Aucupia omne genus, pisces, prata, arva ferasque.
Nequicquam: fructus sumtibus exsuperat.
Quare concedo sit dives, dum omnia desint. 5
Saltum laudemus, dum modo ipse egeat.

O *Mamurra Formianum prædium* tuum *vere dicitur opulentum, quod in se tam multa bona continet, avium* nempe *venationes cujuscumque speciei, pisces, vireta, campos, ac belluas feroces. Sed frustra* saltus tuus hæc habet: longe enim *proventus* illius *impensis* tuis *superas. Quamobrem consentio facile* ut *sit opulentum* Formianum tuum; *dummodo* tibi *cuncta deficiant: prædicemus prædium* tuum; *dummodo tu nihil habeas.*

1 In Stat. codd. *Firmanus salcus;* et *Firmanus salius,* quod habent etiam Brix. et cod. Scal. *Firmanus saltus* legi jussit Avant. quem sequitur Bip. *Formianus saltus* Scal. quod reposuit Vulp. improbante Doeringio, ob Scaligeri audaciam in vs. 4. et 6. *Firmano saltu* in Ald. Junt. Mur. Stat. Voss. Græv. Cant. et ed. anon. Lect. nostram ex Mur. codd. reposuit Doer. *Formiano* per synæresin est vox trisyllaba.—2 In Venett. Brix. Vicent. Rheg. Venet. an. 1500. Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. aliis, *qui tot;* in omnibus Stat. codd. *qui quot;* in Scal. cod. *quæ quot:* '*quot* melius sane admirationi inservit.' *Doer.*—3 In Stat. codd. sic distinctum, *Aucupia, omne genus piscis;* in Brix. Gryph. Mur. Henr. aliis, *Aucupium omne genus, piscis.*—4 *Ne quidquam fructus* in Stat. codd. *Nec quicquam fructus s. exuperat* in Gryph. Stat. aliis; *Nequicquam; f. s. exuperas* Scal. *exuperet* Voss.—6 *Saltum laudemus, dum tamen ipse egeas* legi jussit Avant. *dum tamen ipse egeat* in Ald. Junt. Gryph. Mur. ed. anon. Bip. aliis; in Brix. et Stat. et Scal. codd. *dum modo ipse egeat;* Scal. legit, *dum modo ipse egeas;* quod recepit Delph.

NOTÆ

1 *Formiano saltu* [*Formianus saltus*] In Mamurram Formiis in Campania natum, qui Catullo ob insignem libidinem Mentula dicitur, hoc Epigramma vibratur, quod magnos proventus prædii, quod habet pulcherrimum, formosissimum, et locupletissimum, immensis suis sumtibus, et insanis profusionibus, ita longe superet, ut in tot tantisque divitiis, perpetuo tamen omnibus indigeat. Nonnulli porro legunt, *Firmano saltu;* alii *Firmani saltus,* alii *Firmanus saltus;* nos vero genuinam lectionem retinuisse nemo non videt, qui jam supra sæpius Mamurram *Formianum* et Mentulam a Catullo dictum meminerit.

6 *Saltum laudemus*] Lepide irridet Mamurræ insaniam, qui, locupletissimis prædii fructuosissimi proventibus libidine absumtis, nihil habeat, sed semper rebus omnibus indigeat.

CARMEN CXV.

IN MENTULAM.

Mentula habet instar triginta jugera prati,
Quadraginta arvi: cetera sunt maria.
Cur non divitiis Crœsum superare potis sit,
Uno qui in saltu tot bona possideat;
Prata, arva, ingentes sylvas, saltusque, paludesque,
Usque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum?

Mentula possidet triginta jugera prati satis magna, quadraginta agri culti, reliqua sunt æquora. Quidni possit is vincere Crœsum opibus, qui tantas divitias habeat unico in prædio? In quo prata, agri culti, grandia nemora, prædia, et lacus palustres usque ad Hyperboreos populos *et ad mare Oceanum. Omnia ista* quidem *magna*

Conjunctim hoc Carm. cum antecedenti exhibetur in Brix. et Gryph.—1 Pro *instar,* quod testantur omnes Stat. codd. in Mur. *noster;* Passer. conj. *nostra;* Stat. *justi;* Scal. *justa,* pro *juxta,* quod interpr. ἐγγύς.—2 In Zanc. *extera sunt maria.*—4 In Brix. Zanc. et nonnullis Stat. codd. *tot modo;* in Pat. et aliis Stat. *tot moda,* quod recepit Ed. Bip. in Scal. cod. *totmoda,* una voce, quod reposuerunt Vulp. et ed. anon. Vulpius tanquam compendio ab antiquis Latinis pronunciatum explicat pro 'tot commoda:' lect. nostra, in Ald. Junt. Colin. Gryph. Mur. Henr. Græv. Cant. aliis jam recepta, Avantio debetur.—6 In Pat. *et mare Oceanum,* recte ex judicio Vulpii.—7. 8 In Stat.

NOTÆ

1 *Mentula habet instar* [*justa*] Nonnulli legunt *instar,* ut sit sensus, Mentula instar prati habet triginta jugera, et instar arvi quadraginta jugera, reliqua Mentulæ spatia sunt maria. Hoc etiam porro Carmine Catullus Mamurram exagitat, negatque eum fieri pluris ob divitias debere, cum hominis nomine indignus nihil habeat, præter obscœnæ partis magnitudinem enormem, quod in aliquo numero haberi possit.

3 *Divitiis Crœsum*] Crœsus Rex fuit Lydorum, cujus opes et divitiæ tantæ dicuntur fuisse, ut tanquam mortalium ditissimus apud omnes celebretur. Ipsius Historiam vide apud Herodotum.

6 *Hyperboreos*] Scythiæ ultimæ populi sunt ad Aquilonem in littore Oceani Septemtrionalis positi. Straboni lib. I. Hyperborei sunt 'qui maxime sunt omnium Septemtrionales.' De his Plin. N. H. lib. IV. 'Pone eos montes ultraque Aquilonem, gens felix, (si credimus,) quos Hyperboreos appellavere, annoso degit ævo, fabulosis celebrata miraculis.... Regio aprica, felici temperie, omni afflatu noxio carens: domus iis nemora lucique, et Deorum cultus viritim gregatimque, discordia ignota, et ægritudo omnis.' Vide etiam de his Melam.

Omnia magna hæc sunt: tamen ipse est maximus ultor,
Non homo, sed vere Mentula magna minax.

sunt, attamen ipse longe est maximus ultor, non ille homo minitabundus, sed illa certe grandis ipsius mentula.

codd. *O. m. h. sunt, t. ipse si maximus ultor, N. h. s. vero m. m. minax,* quod probat Stat. mutato τῷ *si* in *hic;* in Brix. *O. m. h. sunt: tamen ipse est maximus ultor, N. h. s. vere m. m. minax;* et sic in Scal. cod. nisi quod pro *vere* exhibet *vero;* hinc Scal. *ipse est maximu' lustro, Non h. sed vere m. m. minax,* probante Vulpio, ut *lustro* sit, 'qui sectatur meretrices in lustris prostantes:' *maximus horum....nimis* legi jussit Avant. *tamen ut sint maxima, et ultra, N. homo, sed vere m. m. nimis* in Ald. Junt. Gryph. Mur. Henr. aliis: *maximus, ultro* Voss. et ed. anon.

NOTÆ

7 *Maximus ultor*] Nonnulli legunt, *ultro,* alii *ultra.* Nos lectionem antiquam retinemus, ut sensus sit: Ipse qui tot opes suas jactat, gravissimus ultor illatarum sibi injuriarum, non est homo, sed vero minax et enormis est mentula. Virg. Æn. VIII. Herculem 'maximum ultorem' etiam dicit: 'Nam maximus ultor Tergemini nec Geryonis, spoliisque superbus Alcides aderat.'

CARMEN CXVI.

AD GELLIUM.

SÆPE tibi studioso animo venanda requirens
Carmina uti possem mittere Battiadæ,

Ego *frequenter inquiro,* o *Gelli, quomodo possim ad te mittere versus Battiadæ*

1 In Venett. Brix. Vicent. Stat. codd. melioribus *venante requires;* in Venet. an. 1500. et Gryph. *venante requiris;* in Scal. cod. *veniam dare quæres;*

NOTÆ

1 *Sæpe tibi*] Ultimum hoc Epigramma scribit Catullus ad Gellium, quem supra tanquam perditæ libidinis taxaverat, quique propter impositas sibi Catulli versibus notas, cœperat ipse quoque vicissim Catullum quacumque ratione poterat lædere: quam Catullus ut a se molestiam depelleret, sæpe cogitasse se dicit quædam carmina, quæ ex Callimacho verterat, ut ipsius animum mitigaret, ad eum mittere; quem laborem cum sibi frustra sumptum nunc videat, intelligatque nullis blanditiis Gellium posse leniri, ipsum irridens ait, quod ejus tela hujus sint generis, quæ facile possint solo amictu

Quis te lenirem nobis, neu conarere
 Infestum telis icere, musca, caput:
Hunc video mihi nunc frustra sumtum esse laborem,
 Gelli, nec nostras hinc valuisse preces.
Contra nos tela ista tua evitamus amictu:
 At fixus nostris tu dabi' supplicium.

diligenti cura investigandos, quibus te mihi placarem, efficeremque *ut* tanquam *musca non attentares aculeis mihi caput tibi invisum ferire; modo cognosco* tandem *istum mihi laborem incassum fuisse susceptum, neque circa hoc aliquid valuisse mea vota. Ego* igitur solis *vestibus declinabo istas tuas sagittas; tu vero meis* telis *confixus meritam* temeritatis *lues pœnam.*

unde ille *venanda requirens.*—3 *Qui te lenirem* in Stat. codd. melioribus; *Quæ te lenirent* in Brix. *Queis te lenirem, nobis neu, &c.* in Ald. Junt. Gryph. Mur. et recentioribus, nisi quod recte post *lenirem* sublata est interpunctio, præeunte Scaligero.—4 In Stat. codd. melioribus, *Telis infesta mic teremusque caput;* hinc ille, *Telis infestans mi icere musca caput;* in Scal. cod. *Telis infestum iicere;* unde refinxit, *Telis infesto mi icere, musca, caput,* quod reposuerunt Delph. Ed. anon. Bip. alii; *mittere musca caput* legi jussit Avantius; *Tela infesta meum mittere in usque caput* defendit Mur. *Telis infestans icere mi usque caput* in Græv. *Telis infestum mittere musque caput* in Marcilii membranis; unde conj. *Telis infestum icere mi usque caput,* et *infestum* interpr. 'infestatum:' *Infesta in nostrum mittere tela caput* ex vet. cod. profert Voss. 'et sane, nisi turbatus verborum ordo aperte correctoris manum proderet, lubenter in hac lect. acquiesceremus.' *Doer. Infestum telis icere mi usque caput* ex codd. legi jussit Heins. Lect. nostram servant Brix. Gryph. aliæ.—6 In Venet. an. 1500. Mur. et Græv. *huc valuisse;* in Gryph. et recentioribus *hinc valuisse;* Bondanus in Var. lect. p. 124. conj. *nostras evaluisse;* Doer. *hoc,* vel *id valuisse.*—7 *Quare nos tela* tacite recepit Mur. *evitabimus amica* ex melioribus codd. affert Voss. unde tentat *evitabimus hamis.* —8 *Adfixus,* vel *Affixus,* in edd. vett. *At fixus* in codd. Scal. et Voss. alii legunt, *Affixusque dabis tu mihi supplicium.*

NOTÆ

vitari; at illa, quibus ipse Gellium fixit, eam vim habere dicit, ut apud omnem posteritatem nefarias Gellii libidines propalatura sint, unde temeritatis suæ, quod Catullum voluerit lædere, pœnas gravissimas sit daturus.

2 *Carmina Battiadæ*] Incertum eane Carmina sint, quæ de Coma Berenices e Callimacho transtulit Catullus, an alia Gellio instanter petenti mittere instituerit. Unde porro Callimachus dicatur 'Battiades' a 'Batto' parente jam supra diximus abunde.

7 *Contra nos tela ista tua*] Jocose Gellium deridendo asserit Poëta, quod tela, quæ se missurum minabatur, amictu solo evitabit, veste nempe caput obtegendo, quod levioris sint momenti.

8 *Tu dabi'*] Abjicitur *s,* in fine dictionis, *dabis,* in scansione, quod a Priscis fieri consuevisse multis patet exemplis. Q. Catullus apud Gellium: 'Ibimus quæsitum: verum ipsi ne teneamur Formido: quid ago? dat Venus consilium.' Idem apud Lucr. 'Cum nihil omnino fieret ex omnibus rebus.' Sed nonnulli hanc elisionem evitare volentes, sic extremum hunc Catulli versum legere maluerunt: *Affixusque dabis tu mihi supplicium.*

PERVIGILIUM

VENERIS,

EX RECENSIONE JO. CHRIST. WERNSDORF.

CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
Ver novum, ver jam canorum, ver renatus orbis est.

Titulum præfert Salm. cod. *Pervigilium Veneris, Trochaico metro: sunt vero versus XXII.* librarii errore pro *XCII.* ut putat Riv. Aliter inscribitur, *Ver;* vel *De Vere;* vel *Carmen de Vere.*—1 Hunc versum post quartum collocavit Riv. pro *amet* in principio et in fine versus *amat* reposuit Sanad. subjungens, 'sic lego: nec sane *amet* cum *cavete*, vs. 34. convenire potest.' Sanad. porro multa alia in hoc Carmine audacter mutavit, versus alios transposuit, alios rescindit plane, quasi ab aliena manu assutos, singulos autem divisit in duos.—2 In Pith. cod. *ver natus orbis est;* unde ille, *ver juventus o. est;* vel, *ver renatus o. est*, probante Lips. vel, *vere natus o. est*, quod etiam placuit Lipsio: in Salm. cod. *vere natus orvis est*, ἀρχαϊκῶς scriptum pro *orbis est;* vel, *vere natus aovis est:* unde scriptum fuisse putavit, *vere natus jovis est:*

NOTÆ

2 *Ver novum*] Hoc Poëmatium, quod nonnulli *De Vere* inscribunt, sive Catulli, sive cujuscumque alterius sit, merito Pithœus Medicorum pueris ac manibus commendavit, cum valde corruptum ac multis partibus mutilum, vulneribusque hactenus immedicabilibus laborare visum sit viris eruditis. Illius autem cicatrices paulo coaluisse, benignamque Æsculapii opem sensisse, eruditus lector hic animadvertet.

Ver renatus [*vere natus*] *orbis est*] Orbem natum fuisse vere existimat. Quod etiam affirmat Virg. Georg. II. 336. 'Non alios prima crescentis origine mundi Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem, Crediderim: Ver illud erat, ver magnus agebat Orbis, et hybernis parcebant flatibus Euri.' Panegyristes ad Maximian. 'O felix beatumque ver novo partu! O tempus, quo merito omnia nata esse credantur!' Celebris est porro quæstio tum apud Philosophos, tum Theologos, utrum vere an autumno mundus fuerit conditus, aliis in hanc, aliis in illam sententiam abeuntibus.

Vere concordant amores, vere nubunt alites,
Et nemus comam resolvit de maritis imbribus.
Cras amorum copulatrix inter umbras arborum
Implicat casas virentes de flagello myrteo.
Cras Dione jura dicit fulta sublimi throno.
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
Tunc cruore de superno, spumeo Pontus globo,
Cœrulas inter catervas, inter et bipedes equos,
Fecit undantem Dionen de maritis imbribus.
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floribus.

Scriv. conj. *ver renatus annus est.*—3 In Pith. cod. *nubent;* Lips. conj. *nubunt*, quod firmat cod. Salm. *pubent*, i. e. vernant, legit Pontanus.—4 Riv. malit *zonam resolvit;* pro *de* Sanad. legit *E*, contra codd. fidem.—5 In Pith. cod. *amorem*, quod ille in *amorum* mutavit.—6 *Implicat gazas* in Pith. et Salm. codd. *casas* reposuit Pith. (approbantibus Lips. et Salm.) laudans ex Tibullo, 'Ludit, et ex virgis extruit arte casas.' Pro *de flagello* Sanad. legit *E flagello*.—7 Riv. conj. *dicet*, ut infra vs. 50. sed codd. exhibent *dicit:* Casaub. ad Sueton. lib. II. p. 145. Lips. alii, invitis codd. legerent *toro* pro *throno*, quod improbant Pith. et Riv.—9 In Pith. cod. *Tuno quiuore desuper huc spumeo pont' de glouo;* unde conj. *Tunc liquore de superno, spumeo ponti e globo;* idem Pith. hanc etiam dedit emend. *Juno rore de supernis*, teste Lipsio, qui legit, *Tunc cruore de superno ac spumeo ponti e globo;* hinc Riv. *Tunc Jovis viro superno, ac, &c.* et, *Tunc calore de superno, ac sp. ponti globo:* in Salm. cod. *Tunc cruore de superbo spumeo pontus globo*, qui pro *superbo* reposuit *superno;* Scriv. tentavit, *Tum cruore de superno spumeum ponti globum.*—11 *Fecit undantem Dione* in Pith. cod. approbantibus Scriv. et Riv. sed pro *Fecit* Scriv. conj. *Excit;* pro *Dione* Lips. legi jussit *Dionem;* in Salm. cod. *Dionen:* pro *de maritis* Riv. præferret, *de marinis;* Sanad. legit, *In marinis fluctibus.*—13 In Pith. cod.

NOTÆ

5 *Amorum copulatrix*] Venus mater Amorum circumfusa umbræ nebula oberrare solet; veloque suo favet furtis amantium, pavidosque tegit amatores.

6 *De flagello*] Sic de flagellis Isidorus lib. XVII. cap. 105. 'Summitates vitium ac fruticum flagella nuncupantur, eo quod flatu agitentur.'

7 *Dione*] Mater est Veneris; sed hic pro Venere ipsa sumitur.

9 *Spumeo Pontus globo*] Venus ex mari concepta dicitur; quod ex humida natura consurgit coëundi aviditas.

10 *Bipedes equos*] 'Bipedes' dicuntur equi Neptuni, qui posterioribus pedibus carent, priores tantum habentes, quibus pontum legunt et natant.

11 *De maritis imbribus*] Maritos imbres eleganter appellat spumam et sanguinem.

13 *Purpurantem pingit annum*] Ver mundi dicitur 'pictor,' quia gemmulis, colorumque ac florum varietate

Ipsa surgentes papillas de Favonî spiritu
Urget in notos penates. Ipsa roris lucidi,
Noctis aura quem relinquit, spargit humentes aquas.
Lacrymæ micant trementes de caduco pondere:
Gutta præceps orbe parvo sustinet casus suos:
Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.

---

gemmas; unde ille conj. *gemmās,* i. e. *gemmans,* quod Buchnero et Rivino arridet; Lips. *gemmeis,* probantibus Weitz. et Scriv. in Salm. cod. *gemmis.* Ante hunc versum versus 23. 24. posuit Riv. et post eundem inseruit intercalarem, *Cras amet, &c.* Vide ad vs. 23. 24.—14 In Pith. cod. *Ipsa surgentes papillas de Fuboni paritu Urguet in totos pentes;* in Salm. cod. *Ipsa surgentes p. de Favoni spiritu Urguet in notos penates:* Pith. conj. *Ipsa turgentes p. de Favoni spiritu Urguet in toros stupentes,* probante Lips. qui pro *stupentes* malit *tepentes;* Salm. *toros parentes;* Scriverii amicus quidam, *Urget in nodos tenaces;* unde Scriv. ipse, *Urget in nudos penates;* Weitz. *Unguet in toros tepentes;* Riv. *Ipsa surgentes p. de F. sp. Turget in toros tepentes;* et postea, *Ipsa surgentes favillas de F. sp. Urguet in focos tepentes;* vel, *Ipsa turgentes p. de F. sp. Mulget in fœtus latentes; ipsa roris lactei, &c.* Sanad. denique, *Ipsa turgentes p. de F. sp. Mulget in toros tepentes.*—16 Lips. legeret *quom reliquit;* Wouwerius ad Apul. *quum reliquit,* probante Scriverio; *quem reliquit* Rivinus, qui post hunc versum intercalarem inseruit.—17 Hic et quatuor sequentes versus exulant in ed. Sanad. de quibus hæc notat: 'Interpolatio inutilis, intricata, nihil sequentibus constans, infelicissime audax, et jam dicta vel dicenda inepte iterans.' In Pith. cod. *Et me canat lacryme trementes detadum pondere;* Lips. emend. *Et micant,* et sic erat in Salm. cod. qui legendum putavit *Emicant;* in ejusdem cod. *de caduco;* Lernutius conj. *decadivo,* una voce; Weitz. *decidivo;* Riv. *de rosarum pondere;* vel, *vitium de vulnere;* vel, *deque tectum pondere:* Lectio nostra debetur Scriverio, improbante Rivino.—18 Riv. post hunc versum posuit vs. 58. cum intercalari, sed ibid. pro *ducat* legit *ducit.*—19 *In pudorem* in Pith. cod. *In pudore* in Salm. cod. qui legit

NOTÆ

multiplici tellurem illustrat, ac decorat.

14 *Surgentes papillas*] Hic 'papillæ' sunt rosarum alabastri, ac prima germina, seu rosarum calyces nondum dehiscentes, et patentes, convolutis foliorum panniculis conniventes. De his rosarum 'papillis' Plin. lib. XXII. cap. 4. 'Rosa nascitur et germinat granoso cortice, quo intumescente et in virides alabastros fastigiato paulatim rubescens dehiscit ac sese pandit, in calycis medio sui complexa luteos apices.' 'Alabastros' hos Plinianos noster Auctor designat per *surgentes papillas,* hoc est, nascentes, germinantes, crescentes. De his etiam B. Hieronymus Epist. 26. ad Pammachium. 'Quis,' inquit, 'parturientem rosam, et papillatum corymbum, antequam in calathum fundatur orbis, et tota rubentium foliorum pandatur ambitio, immature demessum æquis oculis marcescere videat?' Quem Plinius 'alabastrum' dicit, 'papillatum corymbum' Vir sanctus appellat.

15 *Urget*] Propellit, effundit in folia. Hoc Maro 'trudere' dixit Georg. II. 'Sed trudit gemmas, et frondes explicat omnes.'

17 *Lacrymæ micant*] Eleganti tralatione 'roris guttas' vocat 'lacrymas.'

Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus,
Mane virgines papillas solvit humenti peplo.
Ipsa jussit, mane ut udæ virgines nubant Rosæ.
Facta Cypris de cruore, deque Amoris osculis,
Deque gemmis, deque flammis, deque solis purpuris,
Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea,
Unico marita nodo non pudebit solvere.

CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.

Ipsa nymphas Diva luco jussit ire myrteo.
It puer comes puellis. Nec tamen credi potest,

Hinc pudorem: pro *prodiderunt* Pith. conj. *prodierunt;* hinc Scriv. *In pudorem floris Ennæ prodierunt.*—20 In Pith. cod. *Umor:* integer versus ap. Afrum Mythol. ita legitur, *Humor algens, quem serenis astra sudant noctibus;* unde Riv. *Humor algens, q. s. a. plorant.*—21 In Pith. cod. *virgineas papilla s. umenti;* Pith. Lips. Dous. legunt, *virgines papillas s. humenti,* et sic erat in cod. Salm. pro *humenti* Riv. exoptaret *uvido,* vel *uventi,* vel *udanti.* Et hic etiam intercalarem inseruit.—22 *Ipiussit mane tuæ* in Pith. cod. unde emend. *Ipsa jussit;* in Salm. cod. *Ipsa jussit manet tute;* Lect. nostra debetur Dousæ. —23 *Fusta prius de cruore, deque amoris oculis* in Pith. cod. *Fusæ* (vel *Fuscæ*) *aprino de cruore* emend. Lips. improbante Scriv. qui ex lect. cod. Salm. *Facta prius,* dedit *Facta Cypris de cruore* in casu gignendi; quod Rivino etiam arridet, sed tamen in casu recto; Riv. *Fusa* quoque legendum putavit: *deque amoris osculis* in Salm. cod. ut conj. Pithœus; *deque Amoris offulis;* vel, *deque amaris poculis;* vel, *de marisque poculis* tentabat Rivinus; *Fusæ aprugno de cruore, Atque Amoris osculis* in ed. Sanad. Vide ad vs. 13.—24 Hunc et duos sequentes versus rejecit Sanad.—25 Long. *igneum;* sed codd. testantur *ignea.* —26 *Unica marito nodo non pudent* in cod. Pith. qui conj. *Unico marite nodo non pudebit;* Dous. *mariti-nodo,* ut sit ὑφέν. *Unica marita nodo* in cod. Salm. unde scribendum putavit, *Unico, marita, nodo:* pro *pudebit* Long. *pudebunt.*—28 *Ipsa Nimfas Diva loco* in Pith. cod. *Ipsa nymfas Diva luco* in cod. Salm. *lucos jussit ire myrteos* in ed. Sanad. Lect. nostra debetur Pithœo.—29 *Et puer* in

NOTÆ

21 *Humenti peplo*] Lutatius ad Statii Theb. lib. x. 'Peplum,' ait, 'est vestis candida, aureis clavis picta, sine manicis, quod simulacris fiebat. Sed peplum primum ab Atheniensibus est institutum, quod matronæ suis manibus faciebant,' &c.

23 *Facta Cypris de cruore*] Hic *Cypris* genitivus est, neque vult hoc loco *Cyprin* seu Venerem ortam ex sanguine rosæ, sed rosam ex Veneris cruore ortam seu purpuratam.

Deque amoris osculis] Nonnulli legunt, *deque Adonis osculis.*

25 *Cras ruborem*] De rosis quæ præcedunt omnia sunt intelligenda, quas Venus e virginibus maritas fieri voluisse dicit; hoc est, ex clausis et tectis, ut erant in calycibus suis, aperiri et expandi: *Cras,* inquit, o rosa marita, quæ antea virgo fueras, non pudebit te *ruborem,* qui veste ignea calycis tectus latitabat, unico nodo solvere, et in apertum pandere.

Esse Amorem feriatum, si sagittas vexerit.
Ite nymphæ; posuit arma: feriatus est Amor.
Jussus est inermis ire, nudus ire jussus est;
Neu quid arcu, neu sagitta, neu quid igne læderet.
Sed tamen, nymphæ, cavete, quod Cupido pulcher est:
Totus est in armis idem, quando nudus est Amor.
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
Compari Venus pudore mittit ad te virgines:
Una res est, quam rogamus: Cede Virgo Delia;
Ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus.
Ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret.
Ipsa vellet ut venires, si deceret virginem:
Jam tribus choros videres feriantes noctibus,
Congreges inter catervas, ire per saltus tuos;
Floreas inter coronas, myrteas inter casas.
Nec Ceres, nec Bacchus absunt; nec poëtarum Deus.



Pith. cod. *It* conj. Pith. et sic erat in cod. Salm.—30 Meursii in ora libri *texerit* pro *vexerit.*—31 *Ite Nimfæ* in cod. Pith. *Ite nymfæ* in cod. Salm. *ponit arma* Sanad. Post hunc versum Riv. intercalarem posuit.—32 In Pith. cod. *durus ire;* in cod. Salm. *nudos ire;* Pith. conj. *nudus*, probantibus Lips. et Salm. Scal. edidit *purus.*—34 *Sed t. cavete Nimfæ, q. C. pulcer est* in cod. Pith. *Sed t. nymfæ, cavete* in Salm. cod. Salm. distinguit *Sed t. N. cavete; quod C. pulcher est, Totus, &c.*—35 *Totus est inermis idem* in Pith. et Salm. codd. unde Pith. fecit *in armis;* Scriv. conj. *armatus*, quod reposuit Sanad. vel, *Neutiquam est inermis idem;* vel, *Est in armis totus idem*, quod nec Salmasio nec Sanad. displicet; Riv. denique, *Totus haud inermis idem.*—37 *Conpari* Scriv.—39 *A ferinis* Sanad.—40 Hic versus abest a cod. Pith. at in Salm. cod. ita legitur, *Ipsa vellit erogare si, &c.* qui correxit ut in textu nostro: eum rejecit Riv.—41 Post hunc versum intercalarem inseruit Riv.—42 In cod. Pith. *feriatis*, unde ille *feriatos*, melius facturus si legerit *feriātis*, i. e. *feriantis ἀρχαϊκῶς* pro *feriantes*, ut legit Scriv.—43 Riv. in notis laudat, *ire per lucos.*—44 Post hunc intercalarem inseruit idem Riv.—45 Quatuor elegantes trochaicos, quos, præter Lipsium, Barth. Lib. LV. c. 5. ejusdem Auctoris Pervigilii esse credidit, statim præcedaneo huic ita subjungendos putat Riv. *Nec Ceres, nec Bacchus absunt, nec poëtarum Deus: Hic Apollo, deinde Liber hic videtur ignifer; Ambo sunt flammis creati, prosatique ex ignibus: Ambo de comis calorem, vite, radio conserunt: Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.*—

NOTÆ

43 *Congreges*] Contribulis, gentilis, et congrex, -gis, idem sunt.

44 *Nec Ceres, nec Bacchus*] Hieronym. adversus Jovinian. lib. II. 'Esus carnium,' inquit, 'et potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est.' Unde et Comicus: 'Sine Cerere et Baccho friget Venus.'

De tenente tota nox est perviglanda canticis.
Regnet in sylvis Dione: tu recede Delia.
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
Jussit Hyblæis tribunal stare Diva floribus.
Præses ipsa jura dicet, assidebunt Gratiæ.
Hybla totos funde flores, quotquot annus attulit,
Hybla florum super ut exstet, quantus Ennæ campus est.
Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium,
Quæque sylvas, quæque lucos, quæque fontes incolunt:

46 *Detinent* in cod. Pith. unde Lips. *Detument;* in cod. Salm. *De tinente*, unde lect. nostram eruit; *Decimunt*, vel *Tintinant* Riv. *Te sinente, tota* Mon. et Sanad. *pervigila canticis* in cod. Pith. unde *pervigil a canticis* Lips. *perviglanda canticis* in vet. cod. Weitz. *perviclanda canticis* in cod. Salm. *pervigilata cantibus* Riv. *Pervigilanda cantibus* Sanad.—49 *Hiblæis* in cod. Pith. Post hunc versum posuit Riv. vs. 51. et 52. et post eos intercalarem. Idem alibi locum ita constituit, *Jussit Hyblæis, &c. Præses ipsa, &c. Et recentibus, &c. Hybla totos, &c. Hybla florum, &c.*—50 In codd. *Præceps*, vel *Præsens i. j. dicit, adsederunt*. Lectio nostra Scal. et Dousæ debetur.—51 In Pith. cod. *quidquid annis adtulit;* unde conj. *annus*, vel *Ennas:* in Salm. cod. *fundet quidquid annus adtulit, ubi τὸ flores* exulat. Mox in cod. Pith. *Hibla florum rumperest equant' ethne cāp⁹*, et in Salm. cod. *Hibla florum superestem quantus Etnæ campus est;* Pith. conj. *rumpe vestes quantus Ætnæ campus est;* vel, *rumpe restes quantus Ennæ campus est;* Plin. enim 'allii restes' dixit: *rumpe vestes quantus Ennæ campus est* Lips. et Weitz. Lipsius etiam proposuit *prome vestem*, laudans Matth. XXI. 8. Ὁ δὲ πλεῖστος ὄχλος, κ. τ. λ. *sparge vestem quantus Ennæ campus est* Salmasius: Scriv. uti novus Alexander, nodum hunc Gordium, trajectis ita hemistichiis, solvi posse autumavit, *H. t. f. f. quantus Ennæ campus est, H. f. subde messem, quotquot annus adtulit;* hinc Sanad. *Quantus Ætnæ campus est: Hybla f. rumpe vestem, Quotquot annus parturit:* Riv. denique, *quotquot Ennas adtulit: Hybla odorum rumpe messem, quantus Ætnæ;* vel in priore versu, *quicquid Enisis tulit.*—53 *Et puellæ fontium* Sanad.—54 *Quæque prata* conj. idem Sanad. Scriv. et Riv. legunt *quæque fontes incolunt.*—

NOTÆ

46 *Perviglanda*] Pro *pervigilanda*.

50 *Assidebunt Gratiæ*] Scribit Phornutus Venerem adsidentes sibi semper habere Gratias, et Suadelam et Mercurium. Apud Apuleium lib. II. VI. et X. Venus Gratiarum Choro stipatur, totoque Cupidinum populo comitatur.

51 *Hybla totos funde flores*] Hybla, seu Hyble, Siciliæ mons est, thymo florumque copia abundans.

Ennæ Campus] Ille Ennæ campus est in Siciliæ umbilico positus, in quo Proserpinam a Plutone raptam fuisse fabulantur.

53 *Ruris hic erunt puellæ*] Nympharum alias crediderunt antiqui terrestres, alias cœlestes, alias fluviales, alias marinas, alias stagnorum, alias agrorum præsides. Quæ sylvis præerant 'Dryades,' et 'Hamadryades,' quæ montibus 'Oreades,' vel 'Orestiades,' quæ pascuis et floribus 'Napææ,' quæ stagnis, et fluviis 'Naiades,' quæ mari 'Nereides,' dicebantur.

Jussit omnes assidere pueri Mater alitis.
Jussit et nudo puellas nil Amori credere.
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
Et recentibus virentes ducat umbras floribus.
Cras erit quo primus Æther copulavit nuptias.
Ut pater totis crearet vernus annum nubibus,
In sinum maritus imber fluxit almæ conjugis;
Unde fœtus mixtus omnes aleret magno corpore.
Ipsa venas atque mentem permeante spiritu
Intus occultis gubernat procreatrix viribus,
Perque cœlum, perque terras, perque pontum subditum
Pervium sui tenorem seminali tramite
Imbuit, jussitque mundum nosse nascendi vias.
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
Ipsa Trojanos nepotes in Latinos transtulit,
Ipsa Laurentem puellam conjugem nato dedit;
Moxque Marti de sacello dat pudicam virginem;

55 In cod. Pith. *alitas*, qui correxit *alitis*; et ita legitur in cod. Salm.—56 In cod. Pith. *nullo*; in cod. Salm. *nudo*, ut conj. Pith.—58 In cod. Pith. *Et rigentibus vergentis*; in cod. Salm. *Et rigentibus virentes*: Pith. correxit *recentibus virentes*, probante Salm. *Cras rigentibus vigentes* Sanad. *Ducet* in ed. Sanad. Vide ad vers. 49.—59 *Cras erit qui* in cod. Pith. qui conj. *Cras erit quo*; Sanad. dedit *Fertiles qui primus*; alii *Cras is et qui*.—60 *Ut pat^{9} totis crearet vernis* in cod. Pith. qui conj. *Ut pater roris crearet vernus*; in Salm. cod. *Ut pater totum creavit vernis*; unde conj. *Et pater totis creavit vernus*; Long. *Ut pater totum crearet vernis*.—61 In cod. Pith. *fluctus alma et conjugis*; Pith. conj. *fluxit almæ conjugis*; et sic erat in cod. Salm. *fluxus* Lips. *missus almæ conjugis* Long.—62 *Ut fletus immixtus omnis aleret* in cod. Pith. unde fecit, *Ut setus immistus omnes aleret*: in cod. Salm. *Unde fletus mixtus omnis aleret*; hinc ille, *Unde fœtus mixtus omnes aleret*; Long. *Aleret ut fetus omnes immistus magno*. Post hunc versum Riv. inseruit intercalarem.—63 *Ipsa vernas* in cod. Pith. unde ille *Ipsa venas*: Salm. legit *permeantis spiritus*; Scriv. *Ipsa venas æque amantum permeante spiritu*; Long. *permeavit*.—64 Salm. legit *procreatis*.—65. 66 Scriv. legit et distinguit, *perque pontum subditum. Pervia, in sui tenorem, seminali*.—69 In cod. Pith. *in Latino*: pro *nepotes* Riv. et Sanad. *penates*.

NOTÆ

70 *Laurentem puellam*] Laviniam scilicet, filiam Regis Latini, qui Laurenti regnavit.

71 *Moxque Marti*] Iliam seu Rheam Sylviam Vestalem dicunt illam virginem, ex qua Mars genuit Remum et Romulum.

Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias;
Unde Ramnes et Quirites, proque prole posterum
Romuli, Patrem crearet et nepotem Cæsarem.
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
Rura fœcundat voluptas, rura Venerem sentiunt.
Ipse Amor puer Dionæ rure natus dicitur.
Hunc ager, cum parturiret ipsa, suscepit sinu;
Ipsa florum delicatis educavit osculis.
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
Ecce, jam super genistas explicant tauri latus!
Quisque tutus, quo tenetur, conjugali fœdere.
Subter umbras cum maritis, ecce, balantum greges.
Et canoras non tacere Diva jussit alites.
Jam loquaces ore rauco stagna cycni perstrepunt:
Adsonat Terei puella subter umbram populi;
Ut putes motus amoris ore dici musico,
Et neges queri sororem de marito barbaro.



—71 Riv. post hunc versum posuit intercalarem.—72 *Romulæas* legit Pith. *dat pudicam virginem, Romulumque: cum Sabinis ipsa fecit nuptias* correxit Scriv. —73 *Unde Rames et Quirites* in cod. Pith. qui correxit *Ramnes:* in cod. Salm. *Unde samnes et quirites;* ex quo fecit, *Unde sanguis et Quirites perque prolem posteram;* sed codd. Pith. et Salm. in lect. *proque prole posterum* consentiunt: *Proque prole postera* Sanad.—74 In codd. *Romoli matrem, &c.* Lipsius vult *Romuli patrem;* Salm. *perque prolem posteram Romuli, Mater creavit;* Sanad. *postera Romuli, Patres creavit, Et nepotes Cæsares.*—76 *Rura fecundat Dione* Sanad. in notis: *Venerem rura sentiunt* Scriv. *Rura Amorem sentiunt* Riv.—77 *Diones* Sanad.—78 *Hunc ager, cum parturisset ipsa,* Lipsius; *Hunc ager cum parturiret, ipsa* in vulgg.—79 *Ipse* in Sanad. ut ad *ager* referatur.—81 In Pith. cod. *explicat aonii latus, Quisque tuus quo tenetur;* Pith. proposuit, *Quisque cœtus continetur conjugali fœdere. Ecce, jam super genistas explicant tauri latus. Subter umbras, &c.* Idem pro *aonii* dedit etiam *aëdon;* Lips. correxit, *explicant agni latus,* improbante Salm. qui in cod. suo invenit *taonii,* unde fecit *taori,* i. e. *tauri;* literæ enim N et R sæpe permutantur: Scriverii amicus quidam conj. *explicant vaccæ latus;* Barth. et Taubman. legunt *Aoni.* Mox in Salm. cod. *Quisque tutus, quo tenetur;* unde Scriv. *Quisque et udus;* Long. *tuus est quo tenetur.*—83 Long. *umbra.* Hunc versum post vs. 81. posuit Sanad. et Riv. post vs. 83. intercalarem inseruit: ceterum idem Riv. hic etiam subjungi et connecti putavit triga illa trochaicorum, ab Hieronymo Groslotio Dousæ communicatorum; *Ecce passeres salaces, ecce rauci turtures Hac super virente myrto nos amoris admonent. Cum puellis dulce inire vesti-contubernium.*—86 *Adsonant aërei puellæ subter* in cod. Pith. unde ille *Adsonant Terei puellæ;* in Salm. cod. *Adsonat Terei puella;* Sanad. dedit *Adsonat Terei puella Inter.*—87 *Ut putas* in cod. Pith. *putes* Pith. Lips. Salm. Riv. et Sanad.—88 *Et neges*

Illa cantat: nos tacemus. Quando ver venit meum?
Quando faciam ut chelidon, ut tacere desinam?
Perdidi Musam tacendo: nec me Phœbus respicit.
Sic Amyclas, cum tacerent, perdidit silentium.
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.



queri sororis, vel *Et neges queri sorori* Riv. *negat* Long. Post hunc versum intercalarem posuit Riv.—89 *Illa cantat, nos tacemus* Pith. *Illa cantat: nos tacemus* Salm. *Illa cantat, nec tacemus; Meque Phœbus respicit* Sanad.—90 *Quando faciam ut celidon, ut taceret desinam* in cod. Pith. unde ille, *Quando fiet muta chelidon;* in cod. Salm. *Quando fiam ut celidon;* ex quo fecit, *Quando ego fiam ut chelidon;* hinc Long. *Quando ego faciam ut Chelidon;* Weitz. *Quando fiet muta chelidon, et tacere desinam?* Riv. *Quando faciam par, aëdon, ut;* vel, *Quando fiet muta aëdon;* vel, *Quando fies muta, Aëdon: ut tacente te canam?* vel denique, *Quando facio mutum, Aëdon: ut tacente te canam?* Sanad. *Quando feci quod Chelidon. Ni tacere desinam, Perderem Musam tacendo, Quando ver venit novum.*—91 Riv. malit, *nec me Apollo respicit.*—92 Erasmus hunc versum citat ita, *Sic Amyclas dum tacebant*, probante Riv. qui ultimum versum sic legi jussit, *Caste amet, qui nondum amavit; quique amavit, caste amet.*

NOTÆ

91 *Amyclas perdidit silentium*] Amyclæ civitas dicitur fuisse in Italia inter Caietam ac Terracinam, a Laconibus condita; cujus cum cives ex Pythagoræ præcepto ab esu carnium et animalium cæde abstinerent, serpentesque ex vicinis paludibus natas occidere nefas putarent, ab iisdem dicuntur interemti. Alii vero volunt 'Amyclas tacendo periisse,' quia cum sæpius aliquando hostium adventus falso nuntiaretur, legibus cautum est, ne quis hanc famam spargeret; unde postea ex improviso captæ sunt ab hostibus Amyclæ; unde natum est proverbium, 'Amyclas tacendo periisse.'

VINDICIÆ CIRIS CATULLIANÆ.

CUM hæ paginæ vacuæ occurrerent, visus sum mihi non ingratum Lectori facturus, si hic apponerem Raphaëlis Eglini Iconii Tigurini VINDICIAS CIRIS CATULLIANÆ adversus JOSEPHUM SCALIGERUM, qui Cirin hanc edidit in Appendice P. Virgilii Maronis, Virgilioque ascribit. Rationes Scaligeri, quoniam in omnium manibus versantur ejus Notæ, hic addere supersedebo. Pergam itaque ad Eglinum, qui non ita obvius: cujus sunt hæc verba:

Miraberis, sat scio, Nobilissime et Consultissime Goldaste, perpaucorum carminum delectu me Poëtam venustissimum delumbasse. Verum en tibi vicissim accessionem ad eundem haud exiguam, quam tui facio judicii: Cirim Virgilio attributam (at quo vindice? Josepho Scaligero,

Primorum Principe,) assero Catullo. Neque adduci possum, ut non idem voluisse, valuisse, credam Scaligerum. Sed si id faceret, parentis de eodem judicium elevaret. Itaque maluit Virgilio, cui parens aras statuit. Verum non ideo de ponte dejiciendus Catullus, præsertim civis civi, in cujus imitatione vel ipse Maro palmarium quæsivit, reperit. Age igitur, age ad calculos sedeamus; summam rationem ejus subducamus. 'Hujus politissimi Poëmatis auctorem esse Virgilium, vel una,' inquit, 'ratio vicerit, versus hic crebro repetiti, qui passim in Æneide et in Georgicis atque Bucolicis leguntur.' At enim et in Virgilianis leguntur ex ipso Catullo identidem depromti, quorum partim meminit Macrobius. Illud certe e 'Coma Berenices' planissime expressum Æn. VI. 'Invitus, Regina, tuo de littore cessi.' Pro quo Catullus multo ante, 'Invitus, Regina, tuo de vertice cessi.'

Jam si ratio valet, contra Scaligerum valet, verba, versus, lemmata subinde in Ciri agnoscentem eadem, quæ in Argonauticis Catullianis, sive Nuptiis Pelei atque Ariadnæ leguntur. Quidni igitur ad Catullum Cirim referas? Sed addit Scaliger: 'Quod si propterea Virgilii non est, ut dicebat amicus noster, qui putabat Virgilium pleraque ex hoc Poëmate desumsisse, et suis operibus inseruisse; at fidem,' inquit, 'fecerit unus versiculus: Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error! Negari enim non potest,' inquit, 'quin eum ex Theocrito verterit Maro, qui omnium Romanorum primus Theocritum Latine expressit. Consequens ergo, ut illius versiculi auctor secundum alios quoque versus vindicias postulet.' Hactenus Scaliger: sed consequenti nullo. Verterit enim primus Romanorum Maro Theocritum integrum, aut maxima ex parte; ideone consequitur, unum atque alterum, adeoque hunc ipsum versiculum, quem Ciris præfert, primum vertisse? Aut nemone ante Virgilium prorsus Theocritum ulla ex parte adiit? Non sinit Catullus. Quippe ex Syracusanarum Dialogo Venerem Golgicolam cum Theocrito vocat. Id quod Bembus haud scio an observans Græca sic expressit: 'Quæ Golgum Regina colis Venus Idaliumque.' Pro quo Catullus, 'Quæ sanctum Idalium, quæque Golgon.'

Quid vero, quod Plin. Nat. Hist. lib. XXVIII. scribens, 'Hinc,' inquit, 'Theocriti apud Græcos, Catulli apud nos, proximeque Virgilii incantamentorum amatoria imitatio?' An cui dubium, si Plinio credimus, Catullum, qui et Græcos studiosissime coluit, et nomen docti haud scio aliundene aptus, Theocritum non solum ante Virgilium, et quidem in similis argumenti imitatione, adiisse, sed Maroni ad Theocritum in pharmaceutriis exprimendum viam præivisse, facem prætulisse? Hinc illa versuum crebra in Æneide, in Georgicis, in Bucolicis, adeoque hujus ipsius versiculi, 'Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error,' repetitio, nempe ex Ciri Catulliana desumtorum.

Quæ enim alia ante Maronem incantamentorum amatoria imitatio Catulli, nisi hæc in Ciri? Proinde hujus et reliquorum versuum germanus auctor Catullus secundum Cirim vindicias postulat. Vis vi Maroni ereptam? Scyllam Nisi jam in Sileno agnovit Virgilius. Quomodo igitur in Ciri demum confictæ post Bucolica novus auctor, ut illa jactatur, potest haberi? Prætereo cetera, ne in speciem quidem probabilia, nempe Maronem in Ciri Musas conquiescere voluisse, ut Philosophiæ primum initiaretur scilicet, qui tamen Æneida emendaturus secessit; languorem vero nactus, eam absolvere non potuit. Apage hos languores, ac vide sis Catullum, qui ab omni cura post fratris obitum se vindicare volens, in horta-

iis Philosophiæ conquiescere, et reliquum vitæ, deposito in Ciri Poëseos studio, cui diu multumque vacarit, exigendum statuit; quippe secutus magni docta dicta Scironis. Quod Epigrammatum purum putum Catulli est, ut et alia e Catalectis et Appendice Virgiliana. Ut ne sim longior, conferantur inter se Ciris et Pelei Nuptiæ; ovum ovo non tam simile, atque hæc duo inter se Poëmata: nec diffitente Scaligero. Consequens igitur, ut ambo sint Catulli, quandoquidem neutrum Virgilii. Tanto igitur in illustriori sita loco Poëtæ Veronensis laus, quanto cultius esse testatur Scaliger Poëmatium, prorsus ut Latinorum nulli neque nitore neque elegantia cedat. Valeat igitur, valeat hinc judicium Scaligerorum patris, infra Martialem Catullum perverse dejicientis. Quantumlibet enim salsus, tersus, argutus Martialis, tamen infra Catullum ipsomet jactante Hispano: 'Nec multos mihi præferas Poëtas, uno sed tibi sim minor Catullo.' Quid igitur statuendum? Quod tota olim Latinitas, cujus testes versiculi: 'Tantum parva suo debet Verona Catullo, Quantum magna suo Mantua Virgilio.'

Hæc ad te, Nobilissime simul et Doctissime Goldaste, ut Veronensem nobis Poëtam a Principibus Veronensibus durius habitum meo postulatu secundum libertatem vindices. Vale, et quoniam amas, fave. Ex patria urbe, Helvetiæ, luce v. Id. Julii M. IↃC. III.

NOTÆ VARIORUM

IN

C. VALERII CATULLI OPERA.

EX EDITIONE J. G. GRÆVII,

TRAJECTI AD RHEN. 8vo. 1680.

NOTÆ VARIORUM

IN

C. VALERII CATULLI OPERA.

CARMEN I.

C. VALERII] In manuscripto jurisconsultissimi viri Jac. Cujacii non Caius, sed Quintus prænomen exaratum est. Idque videtur confirmari Carm. in Januam, illo versiculo, 'Verum isti populi nænia, Quinte, facit.' Quare, qui illi Caio prænomen faciunt, possunt, hac auctoritate permoti, sententiam suam mutare. Porro liber ille, quo usi sumus, cujusque jam mentionem fecimus, longe alios hujus poëtæ manuscriptos bonitate superat, quum tamen omnes ex uno exemplari descripti fuerint. Id exemplar ab homine Veronensi, quisquis ille fuit, in Galliis repertum, omnes illos codices ejus poëtæ, qui in Italia extant, propagavit. Et quum multi extiterint, quorum pars vitam poëtæ collegerint, pars in eum Commentaria ediderint; miror a nemine illorum memoriæ proditum, quando, et a quo, et ubi hic liber repertus in manus nostras pervenerit. Solus Volaterranus, quod sciam, memoria avorum suorum e situ erutum scribit. Sed in Galliis se eum reperisse ille ipse, qui publicavit, Epigrammate testatus est. Quodquamvis dignum est elegantia seculi illius, quo literas scire barbaries erat, tamen ne quid sine teste dicerem, id æquo animo hic adposui. Inducit vero Catullum loquentem: 'Ad patriam redeo longis a finibus exul, Caussa mei reditus compatriota fuit. Scilicet a Calamis tribuit cui Francia nomen, Quique notat cursum prætereuntis iter. Quo licet ingenio vestrum revocate Catullum, Quoius sub modio clausa papyrus erat.' Etsi, candide lector, hoc Epigrammate

patienter carere poteras, habet tamen quod te scire melius fuit, quam ignorare. Non repetam de Catullo, quæ vulgatissima alii atque alii tanquam nova nobis obtrudunt. Id tantum dicam, Urbicarium et Mimographum poëtam huic nostro cognominem fuisse: cujus meminit Juvenalis. Et fortasse is fuit auctor carminis de Vere, ex quo hec citat Erasmus: 'Sic Amyclas, dum tacebant, perdidit silentium.' Suspicor autem illud Gallicanum exemplar Langobardicis literis scriptum fuisse: quia errores, qui in postremis codicibus ab imperitis liberariis disseminati sunt, non aliter videntur quam a morosis illis characteribus nati; id quod suo loco diligenter admonebimus. Præterea non character solum menda propagavit, sed et antiquaria lectio. Nam liberarius semper scripserat QUOR. QUOM. LUDEI. LUCEI. ADEPTA'S. M'ALIUS. OCEANO'S. POPUL' ARBITRIO. DEVOLVIT ILL' ACUTO. ILI' ET. Item multa alia præterea, quorum ignoratione quantum in hoc auctore edendo peccatum sit, postea docebo. Miraberis enim, studiose lector, tantam mendorum segetem hunc politissimum auctorem occupasse; quam si non omnem extirpavero, tamen non magnum post me spicilegium relinquam. Dubitandum vero minime est opus Catulli ad nos lacerum pervenisse. Longe enim plura scripsisse testes sunt veteres Grammatici, qui de ejus poëmatiis ea producunt, quæ hodie non extant. Itaque apud Virgilium Æn. v. 'per mille coloribus arcum:' ibi Servius, 'De iride arcum in genere masculino dixit Virgilius; Catullus et alii in fœminino, referentes ad originem.' Atqui tale nihil hodie in Catullianis. Præterea ejus opus videtur in genera carminum distinctum fuisse, Hendecasyllabos, Heroica, Lyrica, Elegiaca. Itaque Charisius citat Catullum in Hendecasyllabis, quod sane non fecisset, nisi ita tributum fuisset volumen. Rursus apud Virgilium legimus, 'Et quo te carmine dicam Rætica?' Ibi Servius refert, Virgilium, quum sciret Ræticum vinum summopere laudari a Catone, contra autem vituperari a Catullo, ne se in eam dissensionem interponeret, hoc modo locutum. Atqui in hodiernis Catullianis nulla nota ejus rei extat. Denique Nonius ex Priapeio Catulli adducit: 'de meo ligurrire libido est.' Quare admodum mutilum opus Catullianum ad nos pervenisse minime dubium. Quid præterea dicam, quæ citat ex Catullo Maurus Terentianus, quæ nusquam comparent? *Scal.*

Ad Corn. Nepotem] Ineptum est dubitare de Corn. Nepote, quem Plinius et accolam Padi, et Transpadanum vocat. Sed Ausonius omnem prorsus dubitationem tollit, qui eum Gallum vocat, et Nepotis cognomen attribuit. 'Cui dono lepidum novum libellum, Veronensis ait poëta quondam, Inventoque dedit statim Nepoti. At nos inlepidum, rudem libellum Credimus gremio cui fovendum? Inveni, (trepidæ silete nugæ) Nec doctum minus, et magis benignum, Quam quem Gallia præbuit Catullo.' *Idem.*

2 *Arida modo*] Cur dubites de hac lectione caussa non est, si Servium locupletissimum auctorem habes; quare enim illi minus quam libris abhinc centum annis scriptis tribuendum sit non video. *Idem.*

Arida modo pumice expolitum] Pellibus opinor libri et olim obtegebantur, eæque pumice poliri ac levigari solebant. Ovid. 'Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes: Hirsutus passis ut videare comis.' Servius ad Æn. XII. Plin. XXXVI. 22. Polibant ergo pumice libros eos jam edituri. Propert. Eleg. III. 1. Martial. I. Ep. 67. 'Mutare dominum non potest liber notus, Sed pumicata fronte si quis est nondum, Nec umbilicis cul-

tus atque membranis.' Infra ad Suffenum: 'Novi umbilici, lora rubra, membrana Desecta, plumbo et pumice omnia æquata.' *Livin.*

3 *Corneli*] Male hoc distinguitur vulgo. Ita enim scripsit Catullus: *Quoi dono lepidum novum libellum, Arida modo pumice expolitum? Corneli, tibi.* Sic in Epigrammatis: 'Quoi potius faveam? Cæli, tibi.' *Scal.*

6 *Omne ævum tribus*] Dupliciter peccant docti viri in hujus loci enarratione. Primum, quum Annales Nepotis intelligunt: quorum quum Grammatici decimum quintum citent, non efficient, id quod volunt, nempe illud, *Tribus chartis*, esse breviter et compendiose, ut ipsi exponunt. Nam quomodo compendiose scribere potuit, qui ad decimum quintum aut ulterius fortasse scripserit? Alter error, quum *Tribus chartis*, ut jam monui, pro breviter accipiunt. Quid ergo? Intelligit Chronicon Nepotis, quod antiquissima etiam mythologica complectebatur instar Apollodori Bibliothecæ. Ausonius: 'Apologos Titiani, et Nepotis Chronica, quasi alios apologos, nam et ipsa instar fabularum sunt, ad nobilitatem tuam misi.' Deinde aperte hoc Catullus ipse docet. Nam τὸ *Omne ævum* plane ad Chronica refertur. Chronicorum scriptio omne omnium gentium ævum complectitur, Annales tantum unius nationis gesta. At *tribus chartis* quod dixit, pene pueri ipsi explicaverint, tribus libris. Ita Q. Serenus, 'Tertia namque Titi, simul et centesima Livi Charta.' An censes aliud quam centesimum tertium librum indicari? Quare doctis viris, qui id proverbialiter dictum interpretantur, per me quidem tacere licet. Quid enim brevius scribere potuit, quam omne ævum ab ultima antiquitate tribus libris complecti? *Idem.*

7 *Doctis Juppiter*] Ἐκφώνησις satis nota. Et similis ea apud Florum: 'In loco, quem Aquas Sextias vocant, quo, fides numinum, prælio oppressit!' Sic apud Catonem: *Vita Deum immortalium:* ubi Statilius Maximus vetustissimus Criticus ἐκφώνησις, inquit, ἀρχαϊκὴ, ὡς, ὦ πόποι. Antipater Sidonius in Alcæum: Οὐ γὰρ ἐν ἄλλῳ Ἱερὸν, ἀλλ' ἐν ἐμοὶ πνεῦμα θανὼν ἔλιπεν, Ὦ πνεῦμα κρονίδαο τὸ παγκρατές. Nam ultima verba eodem modo ἐκφωνητικῶς pronuncianda. Terentius Andria; 'Pietatem nati, nonne te miseret mei?' ut ἐκφώνησις per ea, quæ nobis augustissima, Deos, templa Deorum: sic et per ea, quæ nobis charissima, parentes, liberos: Itaque 'vitam Deorum immortalium,' et 'Pietatem nati,' eodem modo enunciatum, nimirum ἐκφωνητικῶς. *Idem.*

8 *Quare habe*] Ita lege ex veteri scriptura: *Quare habe tibi, quicquid hoc libelli est, Qualecunque.* Quod est elegantiæ priscæ ac Latinæ. *Idem.*

9 *Qualecunque quidem*] Jam devenimus eum locum, qui adeo vulgus Grammaticorum torsit. Notum commentum Pontani, ipso Pontano indignum, quod multi ita amplexi sunt, ut quum se belle Catullum imitari profiterentur, id totum tanquam γνήσιον Catulli in suos Hendecasyllabos inculcarint. Librorum scriptorum lectio, ut jam multi monuerunt, ita concepta: *quod o patrona virgo.* In nostro erat *patruna.* Parva quidem menda, si leviusculam mutationem, quæ hic commissa est, spectes: sed non parvi momenti, si nos quidem recte divinavimus, id quod tamen nos fecisse fortasse non inepte affirmare possumus. Legimus ergo: *Quare habe tibi quicquid hoc libelli est, Qualecunque, quod, o patrima Virgo, Plus uno maneat perenne sæclo.* Quibus uterque parens superstes erat, ii Græcis ἀμφιθαλεῖς, Latinis *patrimi matrimi* dicebantur. Contra quibus alter tantum parens erat, ἑτεροθαλεῖς. et Latine, quibus pater decesserat,

ii *matrimi*, quibus mater, ii *patrimi* erant. Eleganter vero Catullus Minervam, quæ tantum patrem habebat, patrimam vocat. Eo nomine εὐπατέρεια a Græcis poëtis vocatur, ut, Κλῦθί μευ εὐχάων Τριτωνὶς εὐπατέρεια. Nam, ut inquit Callimachus, μάτηρ δ' οὔτις ἔτικτε θεὰν, Ἀλλὰ Διὸς κορυφά. Quare propterea ἀμάτωρ dicta. Euripides Phœnissis: δίας ἀμάτορος Παλλάδος φραδαῖσιν. Hoc est, Divæ patrimæ Minervæ consiliis. Sic quum Vulcanus a Græcis dicitur ἀπάτωρ, jure vertere potes, *matrimus*. Patre enim caret, ut Minerva matre. Perperam vero alteram ab ultima corripuit Politianus, quum analogia aliter docet. Ita enim producimus, Primus, Bimus, Trimus, Quadrimus. Ad quod exemplum formatur Patrimus, Matrimus. Quod si *patrona* retines, non deterius erit altero, propterea quod in Bibliothecis Minerva dicata erat. Juvenalis Sat. III. 'Hic libros dabit et forulos, mediamque Minervam.' Mediam Minervam vocat προτομὴν Minervæ, quæ in omnibus bibliothecis dedicabatur: quo nomine patronam librorum vocaverit. Itaque non immerito librum plus uno sæclo vivere optat, quem Minerva in Bibliothecas receperit. Magister quidam, cui editio horum trium poëtarum impotentem zelotypiam expressit, clamabat ex suggestu, flagitium esse Minervam invocari in poëmate lascivo. Sed æmulatio eum ad eam nugatoriam objectionem impulit, non ulla ratio. Nam quis poëta non de amore locutus? et tamen quis non eorum invocavit Minervam? propter pædagogulorum fastidium unus Catullus ab invocatione Minervæ facessat? *Idem.*

Patrona Virgo] Magnus Scaliger pro *patrona Virgo*, reponendum censebat; *quod o patrima Virgo*. De qua emendatione merito dubitamus. Primo enim vocem *patrima* alii controversi juris faciunt, et secundam non longam, sed brevem volunt. Præterea quomodo Minerva, quam poëta hic poscit, *patrima* possit appellari? Equidem scio sine matre ex Jovis cerebro natam esse Minervam. Sed interea *patrima* non significat illam, quæ matrem nunquam habuit, verum quæ matrem quidem habuit, sed amisit, patre solo adhuc superstite. Quomodo igitur *Patrima Virgo* recte dicitur, quæ matrem nunquam habuit? Isacius Pontanus legendum existimat, *Quod o paterna Virgo;* præsertim cum vox hæc *paterna* propius accedat ad lectionem Mss. *patrona;* et epithetum istud, *paterna*, optime conveniat Minervæ, quæ ἀμάτωρ patrem tantum habuit. Et expressisse hæc Catullum ex Martialis illo, quod exstat lib. VIII. Epigr. 72. Ubi Narbo ei 'paterna' dicitur, ob Julium Cæsarem, ejus conditorem, qui Cæsar pater appellatus fuit. Unde et in veteri Inscriptione disertim legitur, COL. IVLIA. PATERNA. NARBO. Si quis interea me sequi volet, vulgatam lectionem, quæ *patrona* habet, mutare non tentabit. *Boxhornius.* Lego: *Qualecunque: quod o Peranna Virgo Plus, &c.* Appellare enim videtur Deam temporis præsidem, quæ a veteribus *Peranna* dicta fuit: atque adeo poëtam ludere voluisse arbitror in cognatione vocum *Peranna*, et illo quod sequitur *Perenne*. Meleager.

CARMEN II.

5 *Cum desiderio meo nitenti*] Scribendum est *Quum*. Quum libet, hoc est, quandoquidem libet. In plerisque veterum libris 'quoniam' pro

'quum' substitutum est: et ut alios taceam, Institutiones Justiniani Imp. manuscriptæ semper habent 'quum,' ubi vulgo 'quando,' aut 'quoniam' interpolatum est. Hoc majoris est momenti, quam pædagoguli prima fronte judicare possent. Quid enim sequitur vide. Male vero desiderium, puellam ipsam, et amores poëtæ interpretantur vulgo. *Scal.*

7 *Ut solatiolum*] Pauca mecum, si lubet, muta: *Ut solatiolum sui doloris: Credo, et tum gravis acquiescit ardor.* Hac mente: Quoties meæ puellæ lubet aliquid jocari, tanquam solatiolum sui doloris, velut si Græce dicas, *παίζειν τι ὡς παραμυθητικόν*. Tantum sedes *τοῦ ut* atque *et* mutanda fuit, et nonnihil etiam aliter distinguendum. Qua quidem sententia nihil potest esse clarius. *Meleager.*

8 *Credo ut tum*] Corruptissima hæc sunt, si quæ alia in Catullo: et si qui putant se totum Catullum tenere, verum fateri volunt, profecto se in hoc nihil penitus videre fateantur necesse est. Vetus scriptorum librorum lectio: *Credo ut quom gravis acquiescet error.* Magnum mendum, sed parva labe contractum. Nam vetus codex Gallicanus sine dubio habuit *credont* pro *credunt.* Ita enim non raro scribebant, ut in lapide Narbonensi:

VIVONT
A. SEMPRONIO
GALLÆCI. L. LÆTO
PVRPVRARIO
ET. SEMPRONIÆ. MODESTÆ
VXORI.

Et in aliis ejusdem urbis inscriptionibus legitur 'vivont' pro 'vivunt.' *Acquiescit* scriptum fuisse non mirum videri debet. Ita enim sæpissime in hoc libro. ut 'ipse,' 'que,' 'luce,' et similia, pro 'Ipsi,' 'qui,' 'luci.' Mens Catulli hæc est. O passer, quandoquidem libet mihi dare ludum desiderio meo, hoc est: Quando libet mihi animi gratia jocari: et homines tunc credunt se defunctos dolore, quando eo intermittente levantur, puta interjecto aliquo ludicro: utinam tecum ludere, sicut ipsa possem, ac, tam levi opera, æstu ac dolore meo defungi. Errori etiam ansam dare potuit nomen supplendum, ad quod refertur *τὸ credunt.* Ita enim sæpe loquuntur veteres. Propert. 'Non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes.' Complebant, qui? homines, amatores. Theocritus. *Ὅσσον ἐρῶντι πατρὸς μύθων καὶ ματρὸς ἀκούειν.* Subaudimus enim *παῖδες*· et hæc quoque sunt inusitatæ elegantiæ; quæ tamen hactenus nemo intelligebat. *Scal.*

Ardor] Vetus liber Cujacii *error*, quod silentio præterit Scaliger. Non tamen improbari debet. Nam et amor insania, et error mentis insania dicitur. Unde amor etiam error vocatur Virgil. Ecl. VIII. 'Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!' ita igitur dictus est error gravis Catullo, ut Virgilio error malus. *Passeratius.* Hanc vocem etiam Ovidio et multis aliorum autorum locis restituit Nobilissimus N. Heinsius.

9 *Tecum ludere*] Non expressum est *τὸ εὐκτικὸν* Utinam. Virgilius: 'Troum socia arma secutum Obruerent Rutili.' utinam obruerent. Legendum vero, ut in manuscriptis, *Tecum ludere, sicut ipsa, possem,* non autem, *Secum ludere, sicut ipse possem.* Ovid. 'Me quoque qua fratrem mactasses, improbe, dextra.' Subaudiendum et hic utinam. Tibullus: 'Tum mihi vita foret.' Utinam foret. *Scal.*

13 *Quod zonam solvit*] Zonam solvere aliter Romanis, aliter Græcis accipitur. Nam Latinis zonam solvere dicitur quæ traditur viro: Græcis autem quæ primum parit. Apoll. R. lib. I. *ᾧ ἐπὶ μούνῳ Μίτρην πρῶτον ἔλυσα καὶ ὕστατον.* Scholiastes *λύουσι γὰρ τὰς ζώνας αἱ πρώτως τίκτουσαι καὶ ἀνατιθέασιν Ἀρτέμιδι· ὅθεν καὶ Λυσιζώνης Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐν Ἀθήναις.* Tamen scimus et de illis, quibus virginitas minuitur apud Græcos usurpari. Theocritus [Mos-

chus Idyll. II. 160.]: *Λῦσε δέ οἱ μίτρην, καί οἱ λέχος ἔντυνον ὧραι.* Neque audiendus ille Scholiastes. Debebat enim dicere, *αἱ διαπαρθενευθεῖσαι*: non autem *αἱ πρώτως τίκτουσαι*. Sic Apollonius lib. IV. *Ἔτι μοι μίτρη μένει, ὡς ἐνὶ πατρὸς Δώμασιν, ἄχραντος καὶ ἀκήρατος.* *Scal.*

CARMEN III.

3 *Passer mortuus est*] Post hunc versiculum in manuscripto nostro, itemque in primitus excusis reperitur versiculus ille, *Passer delitiæ meæ puellæ*. Nimis sane morosi, qui illa repetitione offensi sunt. *Idem.*

10 *Ad solam*] 'Ad' pro 'apud' Plaut. Capt. 'Philocrates modo in libertate est ad patrem.' Livius lib. II. 'Dum hæc ad Veios geruntur.' Terent. Hecir. 'Ea quæ nunc est ad uxorem tuam.' Publ. Mimus, 'Bonum ad virum cito moriatur.' Virg. 'Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis.' Idem: 'genuit Simoëntis ad undam.'

Pipilabat] Recte a ventulo, ventilare; a pipulo, pipilare. Quid sit pipulus, explicat Varro apud Plautum Aulularia. Mattius Mimiambis: 'Dein cocenti vasa cuncta dejectat, Nequamque scitamenta pipulo poscit.' Quare hoc verbo docti offendantur causam adhuc comminisci non potui. *Scal.*

12 *Illuc unde negant*] Theocritus, *ἀνέξοδον εἰς ἀχέροντα*. Nicander, *δυσέκδρομον*. Lucanus, *irreducem*, i. e. *ἀνέξοδον*, lib. IX. 'Irreducemque viam deserto limite carpit.' Sed non loquitur de via inferorum. *Idem.*

Illuc unde negant redire] Philetas de Orco eodem modo quo Catullus: *Τὴν οὔπω τις ἐναντίον ἦλθεν ὁδίτης*. hinc et *οὐκ εὐέξοδος ᾅδης* dicitur Æschylo, *δύσνοστος* Epigrammatis Græcis. Sed et Anacreon huc respexit, cujus verba ita vertebamus: 'Quia Acherontis aspera est Specus, pedemque nemini Datur referre ab horrida Styge, ut quis intulit pedem.' Antipater Antholog. III. *ἐς γὰρ ἄκαμπτον, Ἐς τὸν ἀνόστητον χῶρον ἔβης ἐνέρων.* Seneca autem hunc Catulli versum mutuatus est in *ἀποκολοκυντώσει*. *Dousa F.*

16 *O factum male*] In antiquis libris omnibus legitur: *Bonum factum male bellus ille passer*. Quod de nihilo non est. Non omnino male docti viri subvenerunt legentes, *O factum male, o miselle passer*. Ego vero pressius inhærens vestigiis legendum putaverim, *O factum male, væ pusille passer*. Solenne enim est ut in vetustis codicibus B. et V. invicem commutentur. Credibile est itaque sic scriptum fuisse *be busille*, unde nasutioribus *bellus ille passer*, pro *væ pusille passer*; quod *γνήσιον* esse puto Catulli. *Meleager.*

17 *Opera*] Pro *culpa*. Sic apud Nonium in 'Frangescere.' 'Nunquam erit tam immanis, cum mea opera exstinctum sciat, quin frangescat.' Corn. Nepos, 'Ut ejus opera in maximum odium Græciæ Lacedæmonii pervenerint.' Scottus Observ. l. II. c. 16.

Tua nunc opera] Recte *Tua*, ad passerem. Juvenal. 'cujus Turbavit nitidos extinctus passer ocellos.' *Scal.*

CARMEN IV.

2 *Celerrimus*] Pro quo substituerant imperiti *celerrimum*. Sic Stat. Thebaid. lib. I. 'et sedisse superbus Dejecto tunc fratre putat:' purus putus Hellenismus: 'superbus,' pro 'superbum,' genus loquendi venustum, usitatum optimis scriptoribus, sed quod remotum ab usu vulgi, imperitos offenderat. Virgil. 'Sensit medios delapsus in hostes.' Propert. 'Visura et quamvis nunquam sperarat Ulyssem.' Horat. 'Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus.'

3 *Natantis*] *Natare* hic pro *navigare* posuit, ut et alibi: 'cumque juventus Per medium classi barbara navit Athon.' *Dousa F.*

6 *Minacis Adriatici*] Ὕστερον πρότερον· nam ex Adria in Cycladas, hinc Rhodum, Rhodo in Thraciam, a Thracia in Pontum venit. Sed contra in ora Pontica fabricato Phaselo, hinc profectus, per illa loca in Adriam pervenit. Deinde ingressus Padusam alveo Padi exceptus, adverso Mincio ad Benacum lacum, Sirmionem appulit. *Scal.*

21 *Incidisset in pedem*] Pes est funiculus cui angulus veli religatur. Inde facere pedem est contrarium ei, quod hic volebat Catullus. Nam ventus medios sinus veli inflans, dicitur nautica locutione 'incidere in utrumque pedem.' Contra, quum læva sive dextera vocat aura, dicitur ναυτικῶς 'facere pedem.' Idem 'facere pedem' est, quod nautæ nostri dicunt, dimidio vento navigare. Quare insigniter errat vir disertissimus, qui 'facere pedem' accipit pro vela facere. Atqui vela facere est velificari. At non omnis velificans facit pedem. Non enim est πλησίστιος ἄνεμος quum facit pedem, sed quum medios sinus implet. Cæcilius, 'Venereo cursu veni prolato pede usque ad Saphonem.' Ubi pes est angulus veli, ut alibi recte exponit Isidorus. Propedem vocat Turpilius: 'Quasi quum ventus fert navim in mare secundus, Si quis propedem misit veli sinistrum.' Virgilius recte demonstrat quid sit 'facere pedem,' quum dicit 'pariterque sinistros, Nunc dextros solvere sinus.' *Scal.*

Incidisset in pedem] Pedes æqui sunt et pares, cum in utrumque simul secundus flatus incidit: nunc dextri, nunc sinistri solvebantur velorum sinus pro venti mutabilitate, prout dextera aut siuistra adflaret: pedes proprie sunt funes ad angulos velorum, quibus ea vertebantur. Hinc et pro veliis. Isidorus 'propedem' vocat τὸν πρόποδα, et funem interpretatur, quo pes veli alligatur. Turpilius: 'Si quis propedem misit veli sinistrum.' Ergo modo dextri, modo sinistri proferebantur hujusmodi velorum pedes et propedes, prout erat ventus, 'læva sive dextera Vocaret aura:' nam vela ventis obvertebantur, ad excipiendos flatus. Plautus: 'Utcumque in alto ventus est, exin velum vortitur:' ergo modo ad lævam, modo ad dextram, modo dextri pedes, modo sinistri laxabantur, et proferebantur. Plin. lib. II. c. 47. 'Iisdem autem ventis in contrarium navigatur prolatis pedibus, ut noctu plerumque adversa vela concurrant.' In diversum prolatis pedibus, in contrarium navigatur, ita ut adversa vela concurrant, etiam iisdem ventis; at pariata et æquata dicebantur vela, cum in dextrum et sinistrum simul ventus ingrueret: 'læva sive dextera Vocaret aura, sive utrumque Jupiter Simul secundus incidisset in pedem.' Ergo modo ad dexteram, modo ad lævam

chus Idyll. II. 160.]: *Λῦσε δέ οἱ μίτρην, καί οἱ λέχος ἔντυνον ὥραι.* Neque audiendus ille Scholiastes. Debebat enim dicere, *αἱ διαπαρθενευθεῖσαι*: non autem *αἱ πρώτως τίκτουσαι.* Sic Apollonius lib. IV. *Ἔτι μοι μίτρη μένει, ὡς ἐνὶ πατρὸς Δώμασιν, ἄχραντος καὶ ἀκήρατος.* *Scal.*

CARMEN III.

3 *Passer mortuus est*] Post hunc versiculum in manuscripto nostro, itemque in primitus excusis reperitur versiculus ille, *Passer delitiæ meæ puellæ.* Nimis sane morosi, qui illa repetitione offensi sunt. *Idem.*

10 *Ad solam*] 'Ad' pro 'apud' Plaut. Capt. 'Philocrates modo in libertate est ad patrem.' Livius lib. II. 'Dum hæc ad Veios geruntur.' Terent. Hecir. 'Ea quæ nunc est ad uxorem tuam.' Publ. Mimus, 'Bonum ad virum cito moriatur.' Virg. 'Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis.' Idem: 'genuit Simoëntis ad undam.'

Pipilabat] Recte a ventulo, ventilare; a pipulo, pipilare. Quid sit pipulus, explicat Varro apud Plautum Aulularia. Mattius Mimiambis: 'Dein cocenti vasa cuncta dejectat, Nequamque scitamenta pipulo poscit.' Quare hoc verbo docti offendantur causam adhuc comminisci non potui. *Scal.*

12 *Illuc unde negant*] Theocritus, *ἀνέξοδον εἰς ἀχέροντα.* Nicander, *δυσέκδρομον.* Lucanus, *irreducem*, i. e. *ἀνέξοδον*, lib. IX. 'Irreducemque viam deserto limite carpit.' Sed non loquitur de via inferorum. *Idem.*

Illuc unde negant redire] Philetas de Orco eodem modo quo Catullus: *Τὴν οὔπω τις ἐναντίον ἦλθεν ὁδίτης.* hinc et *οὐκ εὐέξοδος ἅδης* dicitur Æschylo, *δύσνοστος* Epigrammatis Græcis. Sed et Anacreon huc respexit, cujus verba ita vertebamus: 'Quia Acherontis aspera est Specus, pedemque nemini Datur referre ab horrida Styge, ut quis intulit pedem.' Antipater Antholog. III. *ἐς γὰρ ἄκαμπτον, Ἐς τὸν ἀνόστητον χῶρον ἔβης ἐνέρων.* Seneca autem hunc Catulli versum mutuatus est in *ἀποκολοκυντώσει.* *Dousa F.*

16 *O factum male*] In antiquis libris omnibus legitur: *Bonum factum male bellus ille passer.* Quod de nihilo non est. Non omnino male docti viri subvenerunt legentes, *O factum male, o miselle passer.* Ego vero pressius inhærens vestigiis legendum putaverim, *O factum male, væ pusille passer.* Solenne enim est ut in vetustis codicibus B. et V. invicem commutentur. Credibile est itaque sic scriptum fuisse *be busille*, unde nasutioribus *bellus ille passer*, pro *væ pusille passer*; quod *γνήσιον* esse puto Catulli. *Meleager.*

17 *Opera*] Pro *culpa.* Sic apud Nonium in 'Frangescere.' 'Nunquam erit tam immanis, cum mea opera exstinctum sciat, quin frangescat.' Corn. Nepos, 'Ut ejus opera in maximum odium Græciæ Lacedæmonii pervenerint.' Scottus Observ. l. II. c. 16.

Tua nunc opera] Recte *Tua*, ad passerem. Juvenal. 'cujus Turbavit nitidos extinctus passer ocellos.' *Scal.*

CARMEN IV.

2 *Celerrimus*] Pro quo substituerant imperiti *celerrimum*. Sic Stat. Thebaid. lib. I. 'et sedisse superbus Dejecto tunc fratre putat:' purus putus Hellenismus: 'superbus,' pro 'superbum,' genus loquendi venustum, usitatum optimis scriptoribus, sed quod remotum ab usu vulgi, imperitos offenderat. Virgil. 'Sensit medios delapsus in hostes.' Propert. 'Visura et quamvis nunquam sperarat Ulyssem.' Horat. 'Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus.'

3 *Natantis*] *Natare* hic pro *navigare* posuit, ut et alibi: 'cumque juventus Per medium classi barbara navit Athon.' *Dousa F.*

6 *Minacis Adriatici*] Ὕστερον πρότερον· nam ex Adria in Cycladas, hinc Rhodum, Rhodo in Thraciam, a Thracia in Pontum venit. Sed contra in ora Pontica fabricato Phaselo, hinc profectus, per illa loca in Adriam pervenit. Deinde ingressus Padusam alveo Padi exceptus, adverso Mincio ad Benacum lacum, Sirmionem appulit. *Scal.*

21 *Incidisset in pedem*] Pes est funiculus cui angulus veli religatur. Inde facere pedem est contrarium ei, quod hic volebat Catullus. Nam ventus medios sinus veli inflans, dicitur nautica locutione 'incidere in utrumque pedem.' Contra, quum læva sive dextera vocat aura, dicitur ναυτικῶς 'facere pedem.' Idem 'facere pedem' est, quod nautæ nostri dicunt, dimidio vento navigare. Quare insigniter errat vir disertissimus, qui 'facere pedem' accipit pro vela facere. Atqui vela facere est velificari. At non omnis velificans facit pedem. Non enim est πλησίστιος ἄνεμος quum facit pedem, sed quum medios sinus implet. Cæcilius, 'Venereo cursu veni prolato pede usque ad Saphonem.' Ubi pes est angulus veli, ut alibi recte exponit Isidorus. Propedem vocat Turpilius: 'Quasi quam ventus fert navim in mare secundus, Si quis propedem misit veli sinistrum.' Virgilius recte demonstrat quid sit 'facere pedem,' quum dicit 'pariterque sinistros, Nunc dextros solvere sinus.' *Scal.*

Incidisset in pedem] Pedes æqui sunt et pares, cum in utrumque simul secundus flatus incidit: nunc dextri, nunc sinistri solvebantur velorum sinus pro venti mutabilitate, prout dextera aut sinistra adflaret: pedes proprie sunt funes ad angulos velorum, quibus ea vertebantur. Hinc et pro velis. Isidorus 'propedem' vocat τὸν πρόποδα, et funem interpretatur, quo pes veli alligatur. Turpilius: 'Si quis propedem misit veli sinistrum.' Ergo modo dextri, modo sinistri proferebantur hujusmodi velorum pedes et propedes, prout erat ventus, 'læva sive dextera Vocaret aura:' nam vela ventis obvertebantur, ad excipiendos flatus. Plautus: 'Utcumque in alto ventus est, exin velum vortitur:' ergo modo ad lævam, modo ad dextram, modo dextri pedes, modo sinistri laxabantur, et proferebantur. Plin. lib. II. c. 47. 'Iisdem autem ventis in contrarium navigatur prolatis pedibus, ut noctu plerumque adversa vela concurrant.' In diversum prolatis pedibus, in contrarium navigatur, ita ut adversa vela concurrant, etiam iisdem ventis; at pariata et æquata dicebantur vela, cum in dextrum et sinistrum simul ventus ingrueret: 'læva sive dextera Vocaret aura, sive utrumque Jupiter Simul secundus incidisset in pedem.' Ergo modo ad dexteram, modo ad lævam

vocat ventus, modo in utrumque pariter velum æquatus incidit, qui maxime est secundus. 'Pes veli,' funis est quo velum tenditur, τὸ πόδιον· unde et pro velo poëtæ plerumque sumunt: quibus in navi vertendorum velorum munus incumbebat, 'pedem tenere' dicebantur. Servius: 'Per sortem divisi ad officia remigandi, quis proreta esset, quis pedem teneret:' unde 'æqui pedes,' æqualiter tensi, quod fiebat, cum æquatæ auræ velorum sinus implebant. *Salmasius.*

22 *Neque ulla vota, &c.*] In maris periculis vota homines suscipere solent, quæ servati defunctique discrimine in littore reddere Diis littoralibus consueverunt. Se autem prædicat tanta navigandi felicitate semper cursum confecisse, nulla ut vota nuncupanda Diis fuerint. Cur Littoralibus Diis? quia in naufragii periculo vovemus, si littus attingamus, nos littoris præsidibus Diis vota persoluturos: quales a Marone Georg. I. 'Glauco et Panopeæ et Inoo Melicertæ,' et in Epigrammatis Græcis referuntur. *Turnebus.* Vide Loëns. lib. III. Epiphyll. c. 15. et Gevartium in not. ad Papinii Stat. Sylvar. lib. III.

Neque ulla vota] Ἐξιτηρίους εὐχάς. *Scal.*

23 *A mare Novissime*] Ita liber noster. Sed profecto recte faciebant qui legebant *Novissimo.* Quis nescit navigationem ad ea loca ἔσχατον πλοῦν dictam? versus proverbialis: Εἰς Φᾶσιν, ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος. Allusit Propertius: 'longe Phasidos isse viam.' *Scal.*

A mari] *A mare* legit Priscianus. Varro lib. III. de gente P. R. apud Carisium l. I. 'a mare operta oppida:' ita solitos loqui veteres indicat Plauti locus in Milit. A. IV. sc. 7. 'Nam si a mare abstinuissem, tanquam hoc uterer.' *Passerat.*

27 *Gemelle Castor*] Prior Castor habetur. Atque adeo ambo uno nomine dicuntur Castores. Unde eorum ædes, Ædes Castorum Suetonio in Cæsare Dictatore. Sic Græcis quoque τὼ Κάστορε dicebantur: Euripides Electra, ἀναίνομαι δὲ Κάστορ', ᾧ, πρὶν εἰς θεοὺς ἐλθεῖν, ἐμ' ἐμνηστευον, ὄντ' αν ἐγγενῆ. Ubi plane τὼ Κάστορε ambo dicuntur: quod, quia raro occurrit, eo minime animadversum est, notent studiosi. Ut autem studiosi adolescentes Latina Græcis reddere assuescant, Phaselum Catulli totidem Græcis Iambis puris olim a nobis adolescentibus expressum, nunc vero alicubi meliorem factum infra subjecimus. Quanto autem difficilius est tam absolutam Latini carminis elegantiam Græcis numeris exprimere, tanto nos justiorem veniam merebimur, si minus assecuti sumus. Hoc unum certo spondemus, Græca esse quæ proponemus, et ex Græcorum Iamborum lege, quam pauci etiam qui nomen in poëticis habent intelligunt.

PHASELUS CATULLI IAMBIS PURIS GRÆCIS.

Κέλης ἐκεῖνος, ὃν θεᾶσθ', ὁδοιπόροι,
Τρέχειν νεῶν μὲν εὔχεται θοώτερος,
Σκάφους ὄπισθεν ὑστερεῖν δὲ μηδενὸς
Δρομηλατοῦντος, εἴτε μιν χρεὼν ἐλᾷν
Πλάταισιν, εἴτε λαίφεσ' ἐπτεραμένοις.
Τόδ' οὔτε φησὶν ἀντερεῖν ἂν Ἀδρίου
Νεῶρι', οὔτε Κυκλάδας περιῤῥύτους,
Ῥόδον κλυτὴν, δυσήμερόν τε Θρῃκίαν,
Προποντίδ', ἀγρίαν τε ποντίαν ἅλα,
Ἵν' οὗτος, ὕστερον κέλης, πάροιθεν ἦν
Πίτυς τιναξίφυλλος, ἢ Κυτωρίῳ
Πάγῳ θαμ' ὦρσεν εὐλάλῳ φόβῃ.
Κύτωρε πυξόδενδρ', Ἀμάστρι ποντικὴ,
Τάδ' εἰδέναι σ' ἅπαντα νῦν τε καὶ πάλαι:
Λέγοι κέλης ἄν· εὐθὺς ἐκ γενεθλίων
Τεαῖσί φησιν ἐν νάπαις πεφυκέναι,
Τεοῖσι κλῦσ' ἐν οἴδμασι νέαν πλάτην,
Κλύδωσι δ' ἔνθεν ἐν πολυῤῥόθοις ἑὸν
Πορεῦσ' ἄνακτα, λαιὸς, εἴτε δεξιὸς
Ὄρωρεν οὖρος, εἴτ' ἄημα πόμπιμον
Ἔπεισε πλησιλαιφὲς ἀρμένου πόδε·
Ἐπακτίοισι δ' οὔποτ' ἐξιτήρια

Θεοῖσιν ηὔξαθ', ὡς ἀπ' ἐσχάτης ἁλὸς
Ἀφίκετο τήνδε λιμνέαν ἐς ἠόνα.
Τὰ μὲν πάροιθε· νῦν δὲ νηνέμου γέρων
Σχολῆς τέτευχε· σοὶ δὲ κεῖτ' ἀνειμένος,
Διός τε κοῦρε, καὶ Διοσκόρου κάσι. *Scal.*

CARMEN V.

1 *Vivamus*] Satis notum quid sit hic *vivamus*. Hoc idem ostendit vetus inscriptio Narbone:

ÆLIÆ. RESTITUTÆ. ANIMÆ
DULCISSIMÆ. BELLATOR
AUG. LIB.
CONJUGI. RARISSIMÆ. BENE. MERENTI
AMICI
DUM. VIVIMUS
VIVAMUS. *Scal.*

3 *Omnes unius æstimemus assis*] Assiario vel asse æstimare, vel vendi, nihil aliud est, quam vili pretio distrahi. Catullus in Vibennios: 'Fili, non potes asse venditare.' Et in quendam: 'Non assis facis? o lutum, lupanar!' Cicero pro Quintio: 'Assem sese negat daturum.' Et pro Roscio Comœdo: 'Qui assem nullum dedit.' Juvenalis Sat. x. 'Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam.' *Bochartus.*

11 *Conturbabimus*] Putabatur fascinatio iis rebus nocere non posse, quarum vel nomen vel numerus ignoraretur. *Livin.*

CARMEN VI.

2 *Ni sint inlepidæ*] Proverbium Græcorum: Κάλλιον τὸ φανερῶς ἐρᾷν τοῦ λάθρα. Plato Symposio: Ἐνθυμηθέντι γὰρ ὅτι λέγεται, κάλλιον τὸ φανερῶς ἐρᾷν τοῦ λάθρα, καὶ μάλιστα τῶν γενναιοτάτων ἀρίστων, κἂν αἰσχίους ἄλλων ὦσι, &c. Horatius: 'Dicat Opuntiæ Frater Megillæ, quo beatus Vulnere, qua pereat sagitta.' Hæc hujus poëmatii mentem non parum aperiunt. *Scal.*

12 *Nam ni prævalet*] Hæc omnia commentitia et adulterina. Prisca lectio: *Nam ni ista prævalet nihil tacere, Cur non tam latera e. pandam, Nec tu quid facias ineptiarum.* Multum opis ea scriptura adtulerit ad verum eliciendum; *Nam, ni stupra, valet nihil tacere, (Cur? non tam latera e. pandant?) Nec tu quid facias ineptiarum.* Nam nisi, inquit, stuprum est, quod fateri non audes, nihil est cur taceas quid noctu facias, nec, nisi quid ineptiarum facis, puta quod febricolosum quid amas. Ordo erat: Nam ni stuprum est aut aliud quid ineptiarum quod facis, nihil refert tacere. Alioqui num minus latera exhausta sunt, tametsi taces, id est, an minus tua latera quæ exhausta sunt, id aperiunt? quum exhaustæ vires, et pandum latus id prodant. In primo versu quod *Stupra* eruimus, hoc factum, quia sæpe in hoc libro u pro a scriptum fuit. Et Langobardus character non distinguit has duas literas. In multis aliis bonis scriptoribus non raro idem commissum reperias. Apud Ciceronem ad Qu. Fratrem Epistola prima libri tertii; 'In Balneariis assa in alterum apodyterii angulum promovi: propterea quod ita erant posita, ut eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, esset sub tectum cubiculi subgrande:' legendum, 'Esset subjectum cubiculi subgrundæ,' a, in u: in

quibus verbis Ciceronis non solum hoc emendavimus, sed glossema illud delemus, 'Ex quo ignis erumpit.' Lego igitur: 'ut eorum vaporarium esset subjectum cubiculi subgrundæ.' Quid sit 'subgrunda' et mediocriter docti sciunt. Assa vocat hypocaustum, cujus ignis potuit subgrundam cubiculi incendere, quia illi subjectum erat hypocausti præfurnium, quod ipse vocat vaporarium. Glossa: *Assa cella, ἀφιδρωτήριον.* Porro, *valet*, est quod Græci dicunt, *ἀνύει, οὐδὲν ἀνύει σιγῶν.* Idem verbum eodem sensu positum reperi in vetustissimo Epitaphio pueri Narbonæ, quod dignum visum ut non illic tantum legeretur. Est autem tale: * * * 'nec duro jam doleas obitu. Nec tibi, nec vobis æternum vivere cessit. Quod pueri occidimus, fata querenda putas? Dum sis in vita, dolor est amittere vitam. Dum semel occidimus, omnia despicias. Orbem sub leges si habeas, num vivis ad orchum Quid valet? hic nulla est divitis ambitio.' *Scal.*

Nam ni stupra] Aut cum ingenua rem habet nupta, aut vidua, quod stuprum est, et legibus vindicatur: aut cum scorto, sed morboso, quod pudet fateri. Stuprum tacere cogit pœnæ metus, ut illud alterum pudor. Stuprum pro turpi veteribus nuncupabatur, quomodo hic accipiendum. *Idem.*

13 *Cur? non tam latera*] Etiam si taceas, num latera minus pandant? Pandare et pandari ligna dicuntur, quæ incurvantur. Cur latera pandari dicat nimio usu rerum Veneris, otiosum est dicere. *Idem.*

Latera] Ea enim pars immoderato coitu insigniter læditur. Optime hoc docet Caspar Scioppius nequitiarum magister, in suis ad Priapeia commentariis.

15 *Quare quicquid habes boni malique Dic nobis*] Callimachus, *φίλῳ δ' ἄγνωστον μηδὲν ἔχοιμι καλόν.* *Scal.*

CARMEN VII.

4 *Laserpiciferis jacet Cyrenis*] Corripuit syllabam, quæ aliis producitur, nec tamen id sine exemplo. Callimachus: *τρίτατόν γε μὲν ἄστυ κυρήνης.* Hermesianax: *Ἄνδρα κυρηναῖον δ' εἴσω πόθος ἔσπασεν ἰσθμοῦ.* *Scal.*

Laserpiciferis] Ferentibus Laserpicium: quod apio simile Græci Selphion vocant, in Cyrenaica Provincia repertum. Ferunt autem natum, imbre piceo repente madefacta tellure, circa Hesperidum hortos Syrtimque majorem, annis septem ante oppidum Cyrenarum. Vim vero illam per quatuor stadiorum spatium invaluisse, succus ejus laser appellatus est, magnificus in usu medicamentisque, et ad argentei pondus denarii pensus. Auctor est Plinius. *Palladius.* Docte in eleganti digressione de Lasere, Laserpicio, Silpicio, &c. in Plin. Exerc. Incomparabilis Salmasius disputat.

8 *Furtivos*] Occultos. Furtum enim vocabant, quidquid occultum foret. Virgil. Æn. IV. 338. 'non ego hanc abscondere furto Speravi, ne finge, fugam.' *Livin.*

11 *Quæ nec pernumerare curiosi*] Et supra, 'Conturbabimus illa ne sciamus, Aut nequis malus invidere possit.' Superstitio veterum, qui finitum numerum obnoxium fascino credebant. Itaque laudantes, aut numerantes dicebant, 'Præfiscine.' Hoc verbo omnem invidiam se amoliri putabant: ut quum in culleum primam urnam vini indidissent, dicebant, 'Multa.' Nam multum non est nu-

merus præfinitus. Hoc enim, ut quæ nimium laudabantur, fascino obnoxia putabant. Virgilius: 'Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem Cingito, ne vati noceat mala lingua futuro.' Tertullianus de Virginibus Velandis; 'Nam est aliquid etiam apud Ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis et gloriæ enormioris eventum.' *Scal.*

CARMEN VIII.

4 *Quo puella ducebat*] Concinnius multo fuerit meo quidem animo *dicebat*, hoc est, condicebat: loco nimirum et tempore constituto, cum ego quasi ad condictum venirem. 'Condicere' enim est *συντάσσεσθαι μετὰ παραγγελίας*, et quasi dicendo denunciare, ut explicant Festus et J. C. §. appellamus, Instit. de Action. *Dousa F.*

9 *Nunc jam illa non volt*] Scriptus liber mutilum parte ultima versum habet: *Nunc jam illa non volt, tu quoque impote.* Puto, *tu quoque impotens ne sis.* Primus Hieronymus Avantius conatus emendare, *impotens noli.* Scal.

Impote] *Impote es*, legendum suspicor. *Livin.*

14 *Quum rogaberis nulli*] Et scriptura, et excusæ editiones, *Nulla*, *ἀρχαϊκῶς*. Terentius, 'Nullus dixeris.' *Scal.*

15 *Scelesta tene*] Liber scriptus, *Scelesta rere quæ tibi manet vita*: quod mutare nolim. Nunc, inquit, tecum reputa, quæ te manet vita. Sed in margine erat: *Scelesta te ne?* quod et ipsum non deterius altero. *Idem.*

19 *At tu, Catulle, destinatus*] Turnebus voluit, *At tu, Catulled, obstinatus obdura:* quæ lectio Nævio, aut Andronico, quam Catullo dignior est. Sed destinatus animus recte apud veteres dictum invenies, et vetera colloquia puerilia. Græcolatina: 'Uno animo destinati aut perire, aut punire Alexandrum:' 'Ὁμόψυχοι ἐντετευγμένοι, ἢ ἀπολέσθαι, ἢ κολάσαι Ἀλέξανδρον.' Glossæ: *μονότονος*, 'Destinus,' 'Pervicax.' *Idem.*

CARMEN IX.

2 *Antistes*] Scriptus liber, et veteres editiones, *Antistans*. Scal.

4 *Fratresque unanimes*] Quid de hoc loco certi pronunciem, non habeo. Noster liber habet, *Fratresque unanimes, suamque matrem.* Ex quo Hieronym. Avantius faciebat *senemque matrem*: alii legunt, *anumque matrem.* Idem.

CARMEN X.

1 *Varrus*] Doctus vir in hunc locum dicit, hunc Varrum eundem esse, qui cum legionibus tribus cæsus in Germania, quum tamen, ut mini-

mum quinquaginta septem annis posterior fuerit clades Variana. *Scal.*

Ad suos amores Visum duxerat] Antique. Veteres enim, 'visere ad aliquem,' dictitabant: id quod ex prisca comœdia clarum. *Ad suos amores*, igitur, non a Præterito verbi *duxerat*, verum a Supino potius, τῷ *visum*, in constructione (ut Grammatici perhibent) regetur. *Dousa P.*

8 *Et quonam mihi*] Optime scriptura, et antiquæ editiones, *Et quantum mihi profuisset ære*. Nam vulgata lectio commentitia est, et barbara. Quis Latine dictum putet, Quo ære tibi hoc constat? Sed ne sic quidem huic loco consultum videtur. Vereor enim, ut satis Latinum sit, quantum mihi ære prodest. Itaque ante multos annos fuit quum legeremus: *Et quantum mihi profuisset. E re Respondi id, quod erat.* E re nata, αὐτόθεν, statim. Mihi videtur ita Catullum scripsisse; neque vero sententiam mutare possumus. *Scal.*

Et quanto mihi profuisset ære] Quantis ex ea provincia pecuniis rediissem auctior. *Livin.* Mss. Pal. membr. *Et quo nam.* Meleager.

Et quantum mihi profuisset ære] Sic Scaliger e veteri libro, cum antea esset, *Et quonam mihi:* quod tamen in Mss. suis omnibus notarunt Achilles Statius, et Janus Meleager, sive is est Balthasar Venator. Sed utramque scripturam, tanquam parum Latinam, repudiat Scaliger, et ultimam vocem dividit, conjungitque sequentis versus sensum: *profuisset. E re Respondi.* Quod neutiquam probamus. Commentitia est, inquit, vulgata, et barbara: quis Latine dictum putet: *quo ære hoc tibi constat?* Si sensus pateretur, haud magis id mirum putarem quam apud Senecam: 'cujus ingenti mihi Mercede constant ora.' Et cum dicimus 'constare magno,' certe intelligimus, 'ære,' 'pretio,' 'damno.' Quare non ausim dicere, 'Nam quo ære hoc tibi constat?' interrogans, an ære pararis. Frustra ut Latinum sit, 'quantum mihi ære prodest,' veretur. 'Tantum prodesse,' 'multum prodesse,' quis neget recte dici? quis dein 'aliqua re prodesse?' Lucanus lib. III. 'Non tamen auderet pietas humana vel armis Vel votis prodesse Jovi.' Utramcunque igitur lectionem probabis, melior erit isto *e re*. Placet etiam Achillis: *Ecquonam.* Gronovius.

9 *Respondi id quod erat*] Legendum potius: *Respondi id quod erat: mihi nec ipsi Nec prætoribus esse, nec cohorti Quur quisquam caput unctius referret.* Caussæ non esse, cur aut mihi aut cohorti melius sit. *Scal.*

Nihil neque ipsis] Statii et Scaligeri correctionem *mihi nec ipsi* confutat quod præcessit: *quid esset Jam Bithynia, quomodo se haberet.* Ei enim planissime respondet, *nihil neque ipsis*, puta Bithynis. Legebatur olim: *nihil neque ipsi.* Sed in Mss. omnibus, *nihil neque in ipsis*, inquit Statius. Modus metri facile vincit τὸ *in* deleri. Homines autem elegantes neque duplicata sic negatione, *nihil neque ipsis*, neque syllepsi numeri *ipsis*, cum præcesserit *Bithynia* offendi decet: quam utramque figuram loquendi et Livio frequentem esse ad ipsum ostendimus. Lib. VI. 'Eodem anno Settam, ipsis querentibus penuriam hominum, novi coloni adscripti.' *Gronovius.*

10 *Nec Prætoribus*] Cohors sunt comites et socii negotiorum gerendorum, qui dabantur magistratui a Rep. Alii erant ex domestico convictu Proconsulis: qui quasi prætoriani dicebantur, ut scribit Cicero in illa nobilissima Epistola ad Q. Fratrem. Eos facete prætores vocat Catullus, quod congerrones et convictores Prætoris essent. Sic enim solebant veteres ea figura in hac re loqui. Juvenal. 'Virro sibi et reliquis Virronibus illa jubebit Poma dari.' At quidam non bene hic *Quæstoribus* pro

Prætoribus substituebant. *Scal.*

Nec prætoribus esse] Miror Scaligero in mentem venire potuisse rem tam ridiculam ut 'prætores' explicaret cohortem prætoris, et aliam deinde cohortem præter hanc interiorem cohortem fingeret. Scio veteres in propriis nominibus sic ludere solere, ut fecit Juvenalis. Liv. vi. 'Obsecro vos Tarquinii tribuni plebis.' lib. xxix. 'Nunc omnes centuriones militesque vestros Pleminios fecit.' Sed Catullus hic quidem 'prætores' pro comitibus prætoris sine κακοζηλίᾳ. intolerabili, quo vitio minime alioqui laborat, dicere potuisse non videtur. Quid lectorem moror? simplicissimus est sensus, ita vexatam, spoliatam, exhaustamque a tot sanguisugis prioribus esse Bithyniam, ut nec ipsis provincialibus quidquam supersit, nec prætoribus, qui volventibus annis in eam mittantur, cohortive illorum obveniat, quo contacto splidiores ut cum Quinctio apud Macrobium amicus jocabatur, e provincia manus domum referant. *Gron.*

11 *Cur quisquam caput unctius*] Sine metaphora dixit Plautus Pseudolo, 'En excetra tu, quæ tibi amicos tot habes tam probe oleo onustos: Num quoipiam est hodie tua tuorum opera conservorum Nitidiusculum caput?' *Scal.*

12 *Nec faceret pili cohortem*] Scriptus liber, *non facerent:* quæ recta est lectio. Præsertim, inquit, provinciales, quibus esset Prætor homo nihili, ipsi nos pili non facerent. Nam de lucello intelligit, quod provinciales dabant prætorianis, ut alibi dicturi sumus. Fœdum verbum, quo prætorem hic appellat, non prima sua notione accipiendum est. Sed ita vocabant homines infestos; ut contra Spurci eadem tralatione dicebantur homines nulli rei. Quod dixi, ne quis aliquid fœdi sub ea appellatione enunciari putet. Glossæ: 'Spurcus ἀχρεῖος' et apud Lucilium, 'Spurco ore,' non est id, quod explicare non sinit me pudor meus, sed tralatitie dictum: Lucill. 'Prætor noster adhuc quam spurco est ore, quod omnes Extra castra, ut stercus, foras ejicit ad unum.' Hic locus illustratione indigebat. *Scal.*

Nec faceret pili cohortem] Scriptus Scaligeri et edd. veteres, quas inspeximus: *non facerent.* Quod ille probat, explicatque: Præsertim provinciales, quibus esset prætor homo nihili, ipsi nos pili non facerent. Nihilo minus impedita est oratio. Itaque si placeret istam interpretationem sequi, scriberem: *num facerent pili cohortem?* ut interrogantis existimetur. Nisi quis malit, quando non tam provincialium, quam prætoris id arbitrium: *non faciens pili cohortem.* Etenim qualiscunque, quam futilis et frivolus homo prætor esset, si cohorti indulgeret, neque illam coërceret, non licebat provincialibus eos contemnere. Vide Cic. ad Att. lib. v. Epist. 2. *Gronov.*

14 *At certe tamen inquiunt*] Scribe, *inquiit*, non *inquiunt*. Scal.

At certe tamen, inquiunt, quod illic] Achilles Turnebi conjecturam sequitur: *inquit, id quod illic.* Scaliger *inquiit* legit, quod et placuit Dousæ. Pudet de re tam levi disputare. Sed an non minimum duo erant Varus et Scortillum, qui cum Catullo confabulabantur? annon evenit naturaliter in congressibus et in circulis, ut plures eandem rem percontentur, vel omnem, vel in partibus? idque postea si narremus aliis, an non omnium etiam vulgarium linguarum mos fert, ut ita referamus, 'dicebant,' vel 'tum aiunt,' interdum licet unus mentionem fecerit? Itaque hic idiotismus non debet eripi Catullo. Nam quod infra de commodandis lecticariis, est id quidem proprium Scortilli; sed non est necesse propterea omnes alios sermones priores inter eam modo et Catullum fuisse. *Gronov.*

mum quinquaginta septem annis posterior fuerit clades Varisma. *Scal.*

Ad suos amores Visum duxerat] Antique. Veteres enim, 'visere ad aliquem,' dictitabant: id quod ex prisca comœdia clarum. *Ad suos amores*, igitur, non a Præterito verbi *duxerat*, verum a Supino potius, *τῷ visum*, in constructione (ut Grammatici perhibent) regetur. *Dousa P.*

8 *Et quonam mihi*] Optime scriptura, et antiquæ editiones, *Et quantum mihi profuisset ære.* Nam vulgata lectio commentitia est, et barbara. Quis Latine dictum putet, Quo ære tibi hoc constat? Sed ne sic quidem huic loco consultum videtur. Vereor enim, ut satis Latinum sit, quantum mihi ære prodest. Itaque ante multos annos fuit quum legeremus: *Et quantum mihi profuisset. E re Respondi id, quod erat.* E re nata, *αὐτόθεν*, statim. Mihi videtur ita Catullum scripsisse; neque vero sententiam mutare possumus. *Scal.*

Et quanto mihi profuisset ære] Quantis ex ea provincia pecuniis rediissem auctior. *Livin.* Mss. Pal. membr. *Et quo nam.* Meleager.

Et quantum mihi profuisset ære] Sic Scaliger e veteri libro, cum antea esset, *Et quonam mihi:* quod tamen in Mss. suis omnibus notarunt Achilles Statius, et Janus Meleager, sive is est Balthasar Venator. Sed utramque scripturam, tanquam parum Latinam, repudiat Scaliger, et ultimam vocem dividit, conjungitque sequentis versus sensum: *profuisset. E re Respondi.* Quod neutiquam probamus. Commentitia est, inquit, vulgata, et barbara: quis Latine dictum putet: *quo ære hoc tibi constat?* Si sensus pateretur, haud magis id mirum putarem quam apud Senecam: 'cujus ingenti mihi Mercede constant ora.' Et cum dicimus 'constare magno,' certe intelligimus, 'ære,' 'pretio,' 'damno.' Quare non ausim dicere, 'Nam quo ære hoc tibi constat?' interrogans, an ære pararis. Frustra ut Latinum sit, 'quantum mihi ære prodest,' veretur. 'Tantum prodesse,' 'multum prodesse,' quis neget recte dici? quis dein 'aliqua re prodesse?' Lucanus lib. III. 'Non tamen auderet pietas humana vel armis Vel votis prodesse Jovi.' Utramcunque igitur lectionem probabis, melior erit isto *e re.* Placet etiam Achillis: *Ecquonam.* Gronovius.

9 *Respondi id quod erat*] Legendum potius: *Respondi id quod erat: nihil nec ipsi Nec prætoribus esse, nec cohorti Quur quisquam caput unctius referret.* Caussæ non esse, cur aut mihi aut cohorti melius sit. *Scal.*

Nihil neque ipsis] Statii et Scaligeri correctionem *nihil nec ipsi* confutat quod præcessit: *quid esset Jam Bithynia, quomodo se haberet.* Ei enim planissime respondet, *nihil neque ipsis*, puta Bithynis. Legebatur olim: *nihil neque ipsi.* Sed in Mss. omnibus, *nihil neque in ipsis*, inquit Statius. Modus metri facile vincit *τὸ in* deleri. Homines autem elegantes neque duplicata sic negatione, *nihil neque ipsis*, neque syllepsi numeri *ipsis*, cum præcesserit *Bithynia* offendi decet: quam utramque figuram loquendi et Livio frequentem esse ad ipsum ostendimus. Lib. VI. 'Eodem anno Settam, ipsis querentibus penuriam hominum, novi coloni adscripti.' *Gronovius.*

10 *Nec Prætoribus*] Cohors sunt comites et socii negotiorum gerendorum, qui dabantur magistratui a Rep. Alii erant ex domestico convictu Proconsulis: qui quasi prætoriani dicebantur, ut scribit Cicero in illa nobilissima Epistola ad Q. Fratrem. Eos facete prætores vocat Catullus, quod congerrones et convictores Prætoris essent. Sic enim solebant veteres ea figura in hac re loqui. Juvenal. 'Virro sibi et reliquis Virronibus illa jubebit Poma dari.' At quidam non bene hic *Quæstoribus* pro

Prætoribus substituebant. *Scal.*

Nec prætoribus esse] Miror Scaligero in mentem venire potuisse rem tam ridiculam ut 'prætores' explicaret cohortem prætoris, et aliam deinde cohortem præter hanc interiorem cohortem fingeret. Scio veteres in propriis nominibus sic ludere solere, ut fecit Juvenalis. Liv. VI. 'Obsecro vos Tarquinii tribuni plebis.' lib. XXIX. 'Nunc omnes centuriones militesque vestros Pleminios fecit.' Sed Catullus hic quidem 'prætores' pro comitibus prætoris sine κακοζηλίᾳ intolerabili, quo vitio minime alioqui laborat, dicere potuisse non videtur. Quid lectorem moror? simplicissimus est sensus, ita vexatam, spoliatam, exhaustamque a tot sanguisugis prioribus esse Bithyniam, ut nec ipsis provincialibus quidquam supersit, nec prætoribus, qui volventibus annis in eam mittantur, cohortive illorum obveniat, quo contacto splidiores ut cum Quinctio apud Macrobium amicus jocabatur, e provincia manus domum referant. *Gron.*

11 *Cur quisquam caput unctius*] Sine metaphora dixit Plautus Pseudolo, 'En excetra tu, quæ tibi amicos tot habes tam probe oleo onustos: Num quoipiam est hodie tua tuorum opera conservorum Nitidiusculum caput?' *Scal.*

12 *Nec faceret pili cohortem*] Scriptus liber, *non facerent:* quæ recta est lectio. Præsertim, inquit, provinciales, quibus esset Prætor homo nihili, ipsi nos pili non facerent. Nam de lucello intelligit, quod provinciales dabant prætorianis, ut alibi dicturi sumus. Fœdum verbum, quo prætorem hic appellat, non prima sua notione accipiendum est. Sed ita vocabant homines infestos; ut contra Spurci eadem tralatione dicebantur homines nulli rei. Quod dixi, ne quis aliquid fœdi sub ea appellatione enunciari putet. Glossæ: 'Spurcus ἀχρεῖος' et apud Lucillium, 'Spurco ore,' non est id, quod explicare non sinit me pudor meus, sed tralatitie dictum: Lucill. 'Prætor noster adhuc quam spurco est ore, quod omnes Extra castra, ut stercus, foras ejicit ad unum.' Hic locus illustratione indigebat. *Scal.*

Nec faceret pili cohortem] Scriptus Scaligeri et edd. veteres, quas inspeximus: *non facerent.* Quod ille probat, explicatque: Præsertim provinciales, quibus esset prætor homo nihili, ipsi nos pili non facerent. Nihilo minus impedita est oratio. Itaque si placeret istam interpretationem sequi, scriberem: *num facerent pili cohortem?* ut interrogantis existimetur. Nisi quis malit, quando non tam provincialium, quam prætoris id arbitrium: *non faciens pili cohortem.* Etenim qualiscunque, quam futilis et frivolus homo prætor esset, si cohorti indulgeret, neque illam coërceret, non licebat provincialibus eos contemnere. Vide Cic. ad Att. lib. v. Epist. 2. *Gronov.*

14 *At certe tamen inquiunt*] Scribe, *inquiit*, non *inquiunt*. Scal.

At certe tamen, inquiunt, quod illic] Achilles Turnebi conjecturam sequitur: *inquit, id quod illic.* Scaliger *inquiit* legit, quod et placuit Dousæ. Pudet de re tam levi disputare. Sed an non minimum duo erant Varus et Scortillum, qui cum Catullo confabulabantur? annon evenit naturaliter in congressibus et in circulis, ut plures eandem rem percontentur, vel omnem, vel in partibus? idque postea si narremus aliis, an non omnium etiam vulgarium linguarum mos fert, ut ita referamus, 'dicebant,' vel 'tum aiunt,' interdum licet unus mentionem fecerit? Itaque hic idiotismus non debet eripi Catullo. Nam quod infra de commodandis lecticariis, est id quidem proprium Scortilli; sed non est necesse propterea omnes alios sermones priores inter eam modo et Catullum fuisse. *Gronov.*

Quod illic Natum dicitur, ære comparasti] Annotat Achilles in Mss. omnibus legi *esse* non *ære*, quasi sit, *quod illic natum dicitur esse*, nisi quis *esse* in *asse* mutandum existimet. Quod autem genus hoc commercii, asse uno octo servos? Sed et lepide *quod Natum*, genere neutro sic dixit, cum de homine loquatur: ut Plautus: 'quod erit natum tollito.' Quid simile? hoc dicitur de infante recens nato. Catullus vel Scortillum loquitur de compluribus hominibus emptis in provincia. Imo pertinet hoc totum ad verbum *comparasti:* ut si maxime reciperemus scriptum *esse* intelligeretur eo ære, quod illic natum esse dicitur, comparasti. τῷ *ære* repetito ex præcedentibus, *Ecquonam mihi profuisset ære?* Sed τὸ *ære* confirmat ipse ex Sallustio et Columella. Scaliger quæ hic commentus est, sunt somnia. *Natum* generatim ponitur, quod quacunque ex caussa provenit. Aut dicatur quam negotiationem exercuerit Catullus cum sacculo aranearum pleno. Verum est multiplicem quæstum exercuisse Romanos in provinciis, atque ut facilius provinciales ad conditiones suas perducerent, appetivisse contubernia Prætorum vel Proconsulum, et Præfecturas, quas tamen negotiantibus boni et frugi magistratus negabant, exemplo Ciceronis. Sed ex horum negotiis paratum argentum potius *Natum* dici, quam aliud undecunque proveniens, falsum est: itaque *quo ære* Bithynia Catullo *profuit*, et *quod illic* ei *Natum* dicitur, ejusdem generis est. Eo inquit ære, quo provinciam Catullo profuisse, quodque ibidem illi natum esse ac provenisse rumor erat aiunt illum comparasse lecticarios. *Natum*, ut apud Plautum Trinummo: 'Nisi tu immortale vere esse argentum tibi.' Seneca Ep. xxcvii. 'Ex sacrilegio enim et furto pecunia nascitur.' Et 'redivivus' vel 'recidivus' nummus, qui renascitur apud Juvenal. Sat. vi. 'Ac velut exhausta recidivus pullulat arca Nummus.' *Gronov.*

Quod illic Natum dicitur esse] In vulgatis, *Natum dicitur, ære.* Diligenter hæc consideranda sunt. Nam diversum est, æs natum in provincia, ab eo, quod dixit, quantum provincia profuisset ære. Comites proconsulum duplicia commoda in provincia percipiebant: alterum ex negotiatione sua, quod hic more Græcorum argentum natum dicitur; nam id illis est, τὸ γινόμενον ἀργύριον alterum ex provincia illis obveniebat opera magistratus ipsius, quod lucellum vocabatur, ut alibi docebimus ex Cicerone. Quod ergo dicitur, *Et quantum mihi profuisset ære*, hoc est, ecquid lucelli mihi obvenisset ex Bithynia: hoc vero, *quod Natum dicitur*, hoc est, quod quæsivisti negotiatione tua. Notum ex Sallustio in Jugurtha, quæ sint negotiationes togatorum, ut ipse vocat. *Scal.*

17 *Unum me facerem beatiorum*] Ita Avantius olim mutavit, prave, quum et sententia *beatiorem* postulet, et vetus scriptura non aliter habeat. Ut ego, inquit, me reliquis prætorianis unum beatiorem facerem, id confessus sum: me scilicet comparasse lecticarios, quum illi socii mei prorsus egeni essent. *Idem.*

20 *Homines parare rectos*] Cur pro lecticariis, *homines rectos*, usurpaverit Catullus, rationem nobis explanat Ovid. quo loco monet 'Sustineas, ut onus, nitendum est vertice recto.' Eodem etiam a Juvenali allusum: 'Tot res Impositas capiti, quas recto vertice portat Servulus infelix.' *Dousa P.*

Parare rectos] Parare Græcorum est πορίζεσθαι. Sed doctus vir in hunc locum ait apud Terentium quoque eodem modo accipiendum: 'posse in animo instituere ac parare.' ubi sane turpiter hallucinatur. Nam quis sanus dixerit, Ego in animo meo me comparavi, asse ego emi aliquid? At-

qui idem est: Ego me comparavi hoc facere, et ego in animo meo paravi hoc facere. Quod si τὸ 'parare' in loco Terentii est emere, ergo et 'instituere' est emere. Ego in animo paravi, est Græcorum κέκρικα. Habes etiam apud Plinium Cæcilium in Epistolis. *Scal.*

21 *At mi nullus erat*] At ego, inquit, quanquam jactassem me puellæ, tamen illud falso dixeram, me illos homines comparasse. *Ad lecticam homines* eodem modo dictum, quo Propertio: Pastor ad baculum, homo ad lites, puer ad cyathos. *Idem.*

24 *Ut decuit cinædiorem*] Eodem modo formavit quo Græci κύντερον παρὰ τὸν κύνα: quod Atticorum proprium est. *Idem.*

26 *Istos commoda*] Falsus modulus syllabæ. Legendum censeo: *Quæso, inquit, mihi mi Catulle, paulum Istos. commodo nam volo ad Serapin Deferri. Commodo*, hoc est in tempore. Plautus Aulularia: 'Commodo dictitemus.' Titinius Jurisperitus: 'Nunc adeo visam rem magnam aiebat sese mecum loqui. Et commodo eccum exit.' Sisenna Milesiarum decimotertio: 'Eamus ad ipsum atque ipse commodo de parte superiore descendebat.' Eleganter ergo, reticuit verbum, mutua mihi. *paulum Istos* mutua mihi. *Idem.*

Ad Serapin] Quare petit lectica deferri ad Serapin? an non pedes ire poterat? Sciendum illis temporibus non licuisse Serapea intra urbem habere, sed extra pomerium. Dio libro quadragesimo: Δοκεῖ δέ μοί τε καὶ ἐκεῖνο τὸ τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπ' ἐξόδῳ αὐτοῦ ψηφισθὲν τέρας οὐδενὸς ἧττον γενέσθαι· τοὺς γὰρ ναοὺς αὐτοῦ, οὓς ἰδίᾳ τινὲς ἐπεποίηντο, καθελεῖν τῇ βουλῇ ἔδοξεν· οὐ γὰρ δὴ τοὺς θεοὺς τούτους ἐπὶ πολὺ ἐνόμισαν, καὶ ὅτι γε ἐξενίκησεν, ὥστε καὶ δημοσίᾳ αὐτοὺς σέβεσθαι, ἔξω τοῦ πωμηρίου σφᾶς ἱδρύσαντο.

Commodo] Libri omnes habent *commoda*, quod tamen Scaliger mutatum ivit in *commodo;* quia *commoda* putaverat esse verbum modi imperantis, ubi falsus fuit modulus Syllabæ: verum ego scio nomen esse, loco adverbii *commodo.* Sic Græci. Homer. Il. A. χθιζὸς ἔβη, *hesternus ivit*, pro 'heri.' Virg. 'se matutinus agebat.' *Meleager.*

27 *Mane*] *Mane me inquit puella*, omnes libri vet. Sed quia versus peccaret in syllaba *me*, facile est rescribere *minime*. Idem.

Mane me inquio puellæ] Antiqua lectio, *inquit puellæ*. Lege, *inquii*. Abundat autem τὸ *me*. *mane*, *inquii puellæ* dictum, ut illud 'vale, vale, inquit, Iola.' *Scal.*

29 *Fugit me ratio*] Hoc est, ut Græci dicunt, ἀλογιστῶ. Secundo Rhetoric. ad Herennium: 'Nam qui se propter vinum, aut amorem, aut iracundiam fugisse rationem dicet, is animi vitio videbitur nescisse, non imprudentia.' Gallice, *se méconter*. Idem.

30 *Cinna est Caius*] Nam Cinna se in Bithynia fuisse testatur ipse his versiculis, quibus Aratea Phænomena amico mittit: 'Hæc tibi arateis, multum vigilata lucernis Carmina, quis ignes novimus aërios: Lævis in aridulo malvæ descripta libello Prusiaca vexi munera navicula.' *Idem.*

33 *Male vivis*] Sic dicebant cum intelligerent aliquem cuiquam molestum esse. *Livin.*

Vivis pro *vivas* positum est: ἀρχαϊσμός. Deinde Græcismus latet perquam elegans et Catullo sane dignus. *Molesta* enim hic est neutrum plurale positum loco adverbii, ut apud Lucretium 'mutua' pro 'mutuo.' *Molesta* igitur vivere est, moleste et cum animi dolore ætatem agitare; id enim Poëta Scortillo imprecatur. Plerumque τὸ *sed* vel *at*, imprecantis particula, solet esse apud Poëtas et Comicos. Sic Virgil. 'At tibi pro scelere hoc,' &c. *Meleager.*

CARMEN XI.

6 *Sagittiferosque*] Vetus lib. *cotiriferosque.* Præpostero literarum ordine, nam scribendum *coritiferosque.* Virg. Æn. x. 'Coritique leves humeris, et letifer arcus.' Ubi Servius: 'Coriti,' inquit, 'proprie sunt arcuum thecæ. dicuntur tamen etiam Sagittarum, quas et pharetras vocamus.' Confirmat hæc postrema Servii verba Silius Italicus lib. xv. 'Stridentque Sagittiferi coriti.' Bene igitur Catullus Parthos 'coritiferos' vocat, quos Horat. II. Od. 16., Medorum nomine, vocat 'pharetratos.' *Passer.*

7 *Septemgeminus*] Est 'septenus,' non 'bis septenus.' Virgil. Æn. vi. 'Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.' i. e. *Septem.* Nilo enim amni notum est solum fuisse septem ostia. Et habetur Es. II. 15. Sic apud Claudian. in Fescenninis nuptiarum Honorii et Mariæ: 'Aurea septemgeminas Roma coronet arces.' h. e. Septenas in septem Romæ montibus. *Bochartus.*

CARMEN XII.

1 *Marrucine Asini*] Hieronymus Avantius, qui non veritus est integros locos hujus cultissimi Poëtæ contaminare, pro *Marrucine*, legebat, *Inter cœnam:* a quo postea illa mendi indoles in omnibus libris propagata est. At *Marrucine* rectum erat: non utique quod ex Marrucinis populis Campaniæ ortus fuerit: sed quia convitium stupidis eo nomine fiebat. Tertullianus quinto in Marcionem: 'Sicubi alibi dixit, et non hic, Marrucine;' hoc est, ἀναίσθητε, καὶ ἀμαθής. Paulinus lib. I. Epist. 7. 'Neve iterum tuas nobis literas Marrucinus adferat.' Quem Paulinus hic Marrucinum vocat, supra monachum inspiritualem dixit. Sunt tamen qui apud Tertullianum Marrucinum natione interpretentur. In quo vere Marrucinos sese ostendunt. Quis tam puer in sermone Latino, qui non videat apud Tertullianum convicium esse, non appellationem? Sed quia nos indicavimus, propterea verum non est. Et quid facient illo loco Paulini, qui tam aperte Marrucinitatem eorum exagitat? Næ Avantius quoque Marrucinus fuit, qui hoc mutavit. *Scal.*

2 *In joco atque vino*] Et apud Plautum 'in vino,' ut hic dicitur imitatione Græcorum. Aristophanes, Λυσιστράτῃ· ἡμεῖς δ' ἐν οἴνῳ συμπόται σοφώτατοι. *Idem.*

5 *Quamvis*] Pro 'oppido' hic accepit, vel quantumvis, ut alibi. Plautus Trinummo: 'Multa ego possum docta dicta, et quamvis facunde loqui.' Cic. de Fin. II. 'Hæc ego non possum dicere non esse hominis, quamvis et belli et humani: sapientis vero nullo modo.' *Livin.* Scottus Observ. l. II. c. 36.

8 *Mutari velit*] Hoc est, qui te furti purum esse magno mercetur: qui te furem non esse talento contra carum non habeat. Sallustius Oratione L. Philippi: 'At tum erat Lepidus Latro cum calonibus, et paucis sicariis: quorum diurna mercede vitam non mutaverit.' Euripides Medea: τῶν δ' ἐμῶν ψυχῶν φυγὰς Ψυχῆς ἂν ἀντηλλαξά-

μεθ', οὐ χρυσοῦ μόνου: Exilium liberorum anima ipsa nedum auro mutari velim. Scal.

Leporum Disertus] Insolens est Sermo *leporum Disertus.* Fortasse scripsit Catullus *Difertus* pro *Differtus,* quia, ut ait Festus, 'Antiqui non geminabant consonantes.' Sic Horatius 'forum Appii differtum nautis dixit. *Passer.*'

CARMEN XIII.

2 *Paucis, si tibi Di favent, diebus*] *Paucis diebus,* i. e. propediem, et (quod Plautus autumat) 'cis paucos dies.' *Si tibi Di favent,* h. e. (ut dicere didicimus a priscis et Romanis illis) 'cum Dis faventibus, volentibusque.' *Dousa P.* Intra paucos dies. Propert. 'Venturum paucis me tibi luciferis.' *Livin.*

8 *Plenus sacculus aranearum*] In omnium ore versatur Apologus de podagra et aranea, inter quas convenisse aiunt, ut illa in opulentiorum palatiis, hæc in pauperum tuguriis versaretur. Proinde cum aliquis 'araneas in ædibus,' aut 'in arca,' aut 'in vasis,' aut 'in loculis' habere dicitur, idem est, ac si dicatur 'in tenui re vivere.' Hinc Afranius apud Festum: 'Tamne arcula tua plena est aranearum?' Plaut. Aulul. 'anne quis ædes auferat? Nam hic apud nos nihil est aliud quæsti furibus: Ita inaniis sunt oppleta atque araneis.' *Bochartus.*

Plenus sacculus] Martialis 'non sentit sacculus ista meus.' Glossæ: 'Sacculus βαλλάντιον, βαλλαντίδιον.' *Scal.*

CARMEN XIV.

1 *Ni te plus oculis*] Saturnalibus Licinius Calvus miserat Catullo sodali suo quædam ineptorum anonymorum poëtarum poëmatia, ut Catullo aut stomachum aut risum moveret. Ni, inquit, jam antea te plurimum amarem, odissem te jure propter illud ineptum munus, nempe epigrammata malorum poëtarum, quæ mihi misisti. Non assecutus est doctus vir, quid per munus, cujus hic mentio, intelligeretur. *Scal.*

5 *Quur me tot male perderes poëtis*] Malepoëtæ uno verbo, ut malegenius, maledeus. Senecæ in Thyeste, *κακοδαίμων. Idem.*

7 *Qui tantum tibi misit impiorum*] Impia neutro genere, impias res, id est, mala poëmatia. Nam ne doctus quidem vir hæc intellexit. *Idem.*

Impiorum] Malorum versuum, quos postea venena appellat. *Livin.*

9 *Litterator*] Ita vocabant Grammaticos, id est, Poëtarum interpretes. Alii distinguebant ita, ut dicerent tantum interesse inter litteratum et litteratorem, quantum inter Grammaticum et Grammatistam. Vide Suet. de Illustr. Gramm. c. IV.

11 *Quod non dispereunt tui labores*] Sullam literatorem defenderat Calvus in quadam caussa. Sulla enim remuneratur his poëmatiis malorum poëtarum, quæ tamen bona literatori videbantur. Est Ironia. *Scal.*

12 *Di magni horribilem*] Isti quatuor versus debebant poni post tertium versum, ubi omnino tam necessarii sunt, quam hic incommodi. Me tacente res ipsa satis loquitur. Certe nihil verius. *Idem.*

15 *Saturnalibus optimo dierum*] Op-

timum dierum Saturnalia dixit *πρὸς συνήθειαν*, quia pueri plaudentes dicebant, 'Hodie bona Saturnalia.' Epictetus apud Arrianum: *Τοῖς γὰρ παιδίοις ὅταν προσελθόντα κροτῇ, καὶ λέγῃ, σήμερον σατουρνάλια ἀγαθὰ, λέγομεν, οὐκ ἔστιν ἀγαθὰ ταῦτα; οὐδαμῶς, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ ἐπικροτοῦμεν.* Martialis allusit: 'Iste tibi faciet bona Saturnalia porcus.' Idem volebant, quum clamabant, 'Io Saturnalia.' Idem Martialis: 'Clamant ecçe mei, in Saturnalia, versus.' Dio libro quinquagesimo octavo: *Τότε γὰρ πολλῷ που μᾶλλον ἐπ' αὐτῷ ἀχθεσθέντες οὔτε τι ἐκείνῳ εἰπεῖν ἐπέτρεψαν, συμβοήσαντες ἐξαίφνης τοῦτο δὴ τὸ θρυλλούμενον, ἰὼ σατουρνάλια, κ. τ. λ.* *Idem.*

16 *Non, non*] Eleganter geminata negatio. Sic Propert. 'Non, non humani sunt partus talia dona.' Interdum etiam aliquid interponebant.' Cic. ad Att. lib. x. 'Non sunt ab obsequio nostro, non: habent suas radices.' Vide Manut. in hunc locum.

18 *Cæsios, Aquinos*] Pari merce te remunerabor: malos poëtas malorum poëtarum vicem, quos scilicet mihi misisti, *ἀντιδωρήσομαι*. *Scal.*

Cæsios, Aquinos] Male scriptum, arbitror, pro *Cæsios, Aquinios:* etsi in modulando versu vocales conjungendæ sunt, ut earum cœtu una comprehendantur syllaba. Aquinium enim malum poëtam fuisse, constat e Cicerone: Nam quinta Tusculana sic scribit: 'Adhuc neminem cognovi poëtam, et mihi cum Aquinio amicitia, qui sibi non optimus videretur.' *Turnebus.*

19 *Suffenum, omnia colligam venena*] Hunc versum ita reconcinnes ac restituas licebit: 'Suffenum omnia colligam venena.' *suffenum* pro *suffenorum*, more Plauto priscisque omnibus celebratissimo; dixerat enim Catullus antea; *Cæsios, Aquinos;* plurali (ut vides) numero, qui ita temere ipsi migrandus non fuit. *Dousa P.*

22 *Unde malum pedem attulistis*] Latinitatis ratio postulat, *tulistis*. Scal.

23 *Pessimi poëtæ*] Quos ad me misit Lucinius Calvus meus. Perperam totum epigramma interpretatus est vir facundissimus. Ideo etiam minima quæque in eo persequuti sumus, ne adolescentes in scopulo hærerent. *Idem.*

CARMEN XV.

3 *Si quicquam animo tuo cupisti*] Si quod unquam delicium habuisti, quod ab aliis præceptum corruptumque nolles. *Livin.*

18 *Attractis pedibus*] Commel. membr. *atratis*, unde rescribo *artatis* pro *arctatis*. Credibile enim sane est eos, qui huic supplicio mœchorum erant addicti, fuisse arte ligatos. *Meleager.*

Porta] Sic partem posticam, quam natura texit, etiam nostrate lingua vocamus. Priapeiis 'porta te faciet patentiorem.' *Livin.*

19 *Raphani*] Tangit supplicium illud, quo Athenienses olim adulteros ac puerorum sectatores adficiebant. Deprehensos quadrupedes constituebant, ac violenter partibus posterioribus expilatis, per podicem, summo cum cruciatu, grandiores raphanos aut mugiles immittebant: inde apud Græcos verbum *ῥαφανιδοῦν* Aristophanes protulit. Raphani in Germania ad infantium magnitudinem excrescunt. *Parthenius.*

CARMEN XVI.

1 *Pædicabo*] 'Pædicare' est puerum vel masculum inire. Carm. XXVII. XXXV. XXXVIII. LXVII. Hinc *Pædicones*, quos hodie Sodomitas vocamus. Carm. LXVIII.

5 *Pium poëtam*] Pro arguto et docto a doctissimo poëta positum est: id adeo quam maxime animum advorterim facit ejusdem ad Calvum Epigramma, in quo expresse ac disertim legitur. 'Qui tantum tibi misit impiorum.' h. e. ut ego interpretor, malorum poëtarum atque inficetorum: nam de Suffenis, Cæsiis, Aquinis cæterisque seculi sui venenis atque incommodis loquitur. *Dousa P.*

8 *Si sunt*] Liber Commel. et Pal. papyr. *sint:* probo, nam et Commel. vers. seq. habet *possint*. Alias in Edit. vulg. est *possunt*. Meleager.

11 *Lumbos*] Lumbi valentes et vegeti ad Venerium opus requiruntur. Hinc Petronius de Eumolpo, qui cum puellam constuprare vellet, hoc tamen absterritus fuit, quia podagricum se lumborumque solutorum omnibus dixerat. Catullus hic, *Qui duros nequeunt movere lumbos:* id est, qui adeo triti sunt in Venere, ut eam ægre amplius exercere possint. *Scioppius.*

12 *Vos qui millia multa basiorum Legistis*] Vetus scriptura *Vos quot millia:* priscus mos scribendi, 'quot' pro 'quod,' 'set' pro 'sed,' et similia. Lege igitur et distingue ita: *Vos, quod millia multa basiorum Legistis, male me marem putastis, Si qui forte mearum ineptiarum Lectores eritis.* Supplendum autem *qui;* Vos, qui, quod millia multa basiorum legistis, male marem me putastis. Sic alibi: *Quod si non aliud potest, ruborem Ferreo canis exprimamus ore, Conclamate iterum altiore voce.* Hoc est, quod si nil aliud potest, ut exprimamus ruborem. Deest enim τὸ *ut.* Sic apud Manilium. 'Ingenium natura dedit.' id est. Cui ingenium natura dedit. *Scal.*

Vos quod] Papyr. Pal. *vosque*. Commel. lib. in margine *qui*, quod germanum puto. *Meleager.*

14 * *Si qua forte*] Hi tres versus proximi non videntur ad hunc locum pertinere. *Livin.*

CARMEN XVII.

1 *O Colonia quem cupis*] Totum hujus lepidissimi poëmatii principium depravatum doctos viros in magnum errorem impulit, ita ut adversus Catulli sententiam hunc locum interpretati sint. Ita enim legendum docet nos vetus scriptura: *O colonia, quæ cupis ponte ludere longo, Et salire paratum habes: sed vereris inepta Crura ponticuli adsulitantis, inredivivus Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat. Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat.* O colonia, inquit, quæ lubenter in tuo ponte ludere velles, nisi metueres tremuli pontis adsultus periculosos, dum pedibus illum persultas: ne scilicet ex crebra pedum concussione totus procumbat, ut redivivus restitui non possit, &c. Nunc rationem reddam. In toto opere Catulliano, dicam libere, nulla a nobis emendatio præstita est, quæ nobilior sit ista. Et tamen quibusdam doctis viris displicet, qui in hac parte vincuntur vel a

tironibus sermonis Romani, qui ridebunt aliter sentientes. *Scal.*

Ponte ludere] Quia prisca scriptura videtur fuisse in Gallicano exemplari *loedere* pro *ludere*, ut 'poenire' pro 'punire,' 'loeber' pro 'liber:' propterea *lædere* scripserunt. *Idem.*

3 *Sub his totus inredivivus*] Hic vero audacia correctorum pervagata est. Nam antiquitus scriptum fuit *Crura ponticuli ac sulcis tantis inredivivus*, ut clare extabat in nostro libro, et in altero scripto, qui penes nos fuit. Certe legendum, *adsulitantis, inredivivus Ne supinus eat.* Pontem hunc sublicium arrectariis gracilioribus, quæ hic vocantur crura, male fultum, tremere ac veluti adsultare concussu pedum ait adsulitare, et per syncopen adsultare: ausiculitare, auscultare ab ausiculis, id est, auriculis. Redivivum ædificium, est ex vetusto renovatum. Est enim verbum tectonicum: unde Cic. in Verrem: 'Utrum existimatis minus operis esse, unam columnam efficere ab integra novam nullo lapide redivivo?' Itaque veteres magistri *Redivivus* vertunt *παλίγκτιστος*. Pontem inredivivum ergo dicit, qui prolapsus denuo instaurari non posset. 'Ἀρχαϊκῶς autem dictum vereris crura, ne sub his, id est, vereris ne sub cruribus. Terentius: 'Metuo lenonem ne aliquid suo suat capiti.' id est: metuo ne leno aliquid suo suat capiti. Vide ergo quantum differt sententia, quam efficiebat vulgata lectio, ab ea, quam præfert nostra emendatio: præsertim quum illud *inredivivus* viri docti ad municipem illum referrent. Nunc plana est sententia. Ego possem ex illa veteri scriptura assulas nescio quas et alia comminisci; sed hoc esset ineptire. De hujus autem metri, id est, Ithyphallici genere, ita Diomedes scribit: 'Priapeium,' inquit, 'quo Virgilius in prolusionibus suis usus fuit: Incidi in patulum specum procumbente Priapo.' Ita enim sarciendus locus ille Diomedis ex optimo manuscripto. Ex quo loco Grammatici omnino convincitur ejusdem generis metrum, quod in custodem horti scriptum est inter Catalecta Virgiliana, recte Virgilio attribui: quanquam docti Catullo adscripserint. Anacreon quoque eo genere lusit: 'Ηρίστησα μὲν ἰτρίου λεπτοῦ μικρὸν ἀποκλὰς, Οἴνου δ' ἐξέπιον κάδον· νῦν δ' ἁβρῶς ἐρόεσσαν Ψάλλω πηκτίδα τῇ φίλῃ, κωμάζων ποδὶ ἁβρῷ. Et Mæcenas: 'Debilem facito manu, debilem pede, coxa. Tuber adstrue gibberum, lubricos quate dentes. Vita dum superest, bene est: hanc mihi, vel acutam, Si das, sustineam crucem.' Coloniam vero hanc non dubito, quin novum Comum, paulo ante a Cæsare deductam: Lacum autem Larium ad quam sita est, intelligat. *Scal.*

Irredivivus] In tribus nostris Mss. legitur *irredivivis*. Idque prorsus recte; nam hoc *irredivivis* respicit crura hac mente. Tu colonia vereris ne crura ponticuli ruant, et illis cruribus irredivivis supinus eat ponticulus. Est autem dandi casus non auferendi. *Meleager.*

6 *In quo vel Salisubsuli*] Ita certum ac firmum atque is est, in quo *Salisubsuli* sacra suscipiant. *Livin.*

Salisubsuli] Omnes ludii et saltatores, qui ad cantum et tibiam in sacris ludunt, salii et salisubsuli dicuntur. Virg. Æn. VIII. 'Tum salii ad cantus incensa altaria circum Populeis adsunt evincti tempora ramis.' Ibi simpliciter salii sunt ludii ad sacra Herculis saltantes. Qui enim primi ἐνόπλιον ὄρχησιν doctore Ænea in Italia saltarunt, Salii dicti sunt, auctore Polemone vetere scriptore rerum Italicarum. Quare frustra hic argutatur Macrobius, dum quærit, quare Salios Herculi attribuit Virgilius potius quam Marti. Itaque recte ὑμνῳδὸς 'Salius' vertitur a vetere Glossario: unde Virgilius dixit 'Salios ad cantum,' ut Propertius, 'Pastor ad ba-

culum :' κατ' ἐξοχὴν autem ludii Martis dicuntur 'Salii,' et Mars ipse 'Salisubsulus.' Pacuvius : 'Pro imperio sic Salisubsulus vostro excubet.' Quod procul dubio est ex fine Prologi cujusdam, ut illud Plautinum. 'Ut vos item alias, pariter nunc vos Mars adjuvet.' *Scal.*

17 *Ludere*] Femora extollere, Propert. 'Nondum inclinatæ prohibent te ludere mammæ.' *Livin.*

Uni] Antique pro 'unius.' *Idem.*

19 *Separata securi*] Jam doctis notius est, quam ut admonendi sint, hic ex Festo legendum, *subpernata*. 'In fossa Luguri jacet supernata securi.' Cujus lectionis vestigia retinet codex noster, in quo legitur, *superata*. Subpernare idem fere ac Suffraginare, quod Græci magistri vertunt ἀγκυλοκοπεῖν· notum anatomicæ peritis quid sit ἀγκύλη. Septuaginta Interpretes hoc vocant ἐκνευρίζειν· Gallice, *esjarreter*. Marullus ingenio, quam doctrina paratior, stolide conatum Politiani ridet. Ego eum Græculum tanti non facio, ut ejus rationem habendam esse putem. *Scal.*

21 *Talis iste meus stupor*] In prolusionibus Virgilianis : 'Tuoque nunc puella talis, heu tuo Stupore pressa.' Stuporem vocat virum puellæ, quomodo hic Catullus accipit. *Idem.*

23 *Nunc ego volo de tuo*] Scripta lectio, *Nunc eum volo me de tuo ponte mittere pronum*. Videtur ergo τὸ *de* abundare. Itaque erit ἀρχαϊσμός. *Volo me mittere eum tuo ponte:* ut Sallustius, 'Omnes qui sese student cæteris præstare animantibus.' Nam et ibi τὸ *sese* abundat. Potest etiam legi: *Nunc eum volo me e tuo ponte mittere pronum*. Idem.

26 *Ferream ut soleam*] Soleæ equis inducebantur, non, ut nunc, clavis suppingebantur : propterea Græcis illud, ut in homine, est ὑποδεδέσθαι. Artemidorus, ἔδοξέ τις ὑποδήματα ἵππου ὑποδεδέσθαι. Et Arrianus soleas equinas ὑποδήματα eodem modo appellat : Χαλινάρια τοῦ ὀναρίου, σαγμάτια, ὑποδήματα, κριθαί, χόρτος. Xiphilinus in Nerone σπαρτία vocat : Τὰς ἡμιόνους σπαρτία ἐπίχρυσα ὑποδεδέσθαι. *Idem.*

CARMEN XIX.

4 *Nutrivi*] Scaliger quodam loco *nunc tuos* legit. Sed non probo : itaque ampliandum censeo.

11 *Primitu'*] Pro primo. Lucil. Sat. lib. v. 'Ut cum primitiis ficus propola recentes Protulit, ingenti pretio dat primitu' paucas.' Varro de R. R. lib. I. c. 31. 'Igitur in vitiario primitu cum exit vitis, tota resecari solet.' et c. 48. Sic 'simitu,' pro simul, apud Plaut.

15 *Sed tacebitis*] Non enim licebat, opinor, minoribus Dis hostias facere : ut Priapo, ut laribus, sed tantum thure et sertis. Laribus tamen Tibul. lib. I. Eleg. 1. 'Nunc aqua exigui est hostia magna soli :' sed ambervalibus, ut puto.' *Livin.*

CARMEN XX.

3 *Sinistra*] Neutrum plurale adverbialiter positum. Tibul. lib. IV. 'Parma seu quos dextra velit, seu læva tueri.' Alioqui producenda erat

postrema syllaba. Nec vero Muretus placet, qui ad populum, quod præcedit, refert. *Idem.*

5 *Tuor*] *Tuor* antique pro tueor. Fest. Lucret. lib. I. 'Nec calidos æstus tuimur.' Idem lib. IV. 'dilutaque contra, Cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror:' quem versum idem repetit lib. VI. ubi de lapide magnete loquitur.

6 *Mihi corolla*] *Picta*, id est, multicolor, veluti constans e pluribus floribus. Hujus ferme generis est illud, quod in Carm. lib. refertur, c. 49. et c. 50. Hunc morem August. describit lib. VII. c. 21. de Civit. Dei. 'In oppido Lavinio unus Libero totus mensis tribuebatur, cujus diebus omnes verbis flagitiosissimis utebantur, donec illud unum membrum per forum transvectum esset; atque in loco suo quiesceret. Cui membro inhonesto matrem familias honestissimam palam coronam necesse erat imponere.' Et paulo post: 'Jam quod in Liberi sacris honesta matrona pudenda virilia coronabat spectante multitudine.' Hanc ipsam infra vocat 'coronationem virilium pudendorum.' *Paschalius.*

14 *Tenerque vacula*] Antique. Nam veteribus omnia quæ in ER desinunt, maximam partem communia erant. 'Fames acer,' Nævius de bello Punico. 'Acer hiems,' Ennius. Idem Nævius lib. II. belli Punici: 'Prima incedit Cereris Proserpina puer.' cum etiam 'puera' dicerent. Livius Odyss. 'Mea puera quid verbi ex tuo ore profluit.' *Livin.*

17 *Manumque sorsum*] *Sorsum* hic pro 'seorsum' accipiunt Pet. Victorius, Var. lect. lib. XXV. c. 12. Scaliger in versione Græca, aliique: tamen nescio quomodo magis arridet Patris conjectura, qui legit *sursum;* fures enim in sinu demissas habent manus, seu potius furtificam lævam. *Dousa F.*

CARMEN XXI.

5 *Nec clam: nam simul et jocaris una*] Hiulca sunt hæc, nec bene cohærent, si sequentia spectes. Sed quomodo legendum sit, docet nos scriptus codex. *Nec clam. Nam simul exjocaris una, Hærens ad latus omnia experibis.* Sic habet noster codex ne una quidem litera minus. Exjocari est, ἀφομιλήσασθαι, ἀφεψιᾶσθαι. Postquam ludo lassus modum feceris, alia experire. Antiquitus autem dictum experio, non experior, ut alia multa. *Scal.*

9 *Satur*] Beatus, opulentus. Tibul. 'Turbaque vernarum saturi bona signa coloni.' Quod Horat. 'Positique vernæ ditis examen domus.' *Livin.*

11 *Ne meus puer*] Quis non videt hæc omnia commentitia esse? Atqui satius fuit veterem lectionem securam in suis sedibus relinquere, quam suam ineptam supponere. Legi igitur in nostro libro, *Me me puer.* Deest ἐπίφθεγμα *Ah. Ah me me puer:* vel, *Ve me me:* ut in Elegiis, 'Quæ, ve te, misero letum miserabile fratri Adtulit.' Apud Senecam Apocolocynthosi, 'Ve me.' Græcum est, οἴ μοι μοι· ὢ μοι μοι. Infra. 'Ah me an illa puella d. Tota millia me decem poposcit?' *Scal.*

Ne meus puer] Vetus liber: *nemeus: ne-meus*, id est, dum meus amplius non erit, ut inf. 'ne-funera;' sic 'nevult,' 'nefrens,' 'nefastus.' *Passerat.*

CARMEN XXII.

1 *Suffenus iste*] Suffenas, ait quidam, hic legendum. Sed delirat. Quomodo enim constaret versus? *Scal.*

Suffenus] *Sufenas* legendum est, non ut in vulgatis libris *Suffenus*. Sex. nonivs sufenas, qui, ut ex nummi inscriptione apparet, prætor ludos votivos publicos fecit, fortasse is est, cujus meminit Catullus. *Fulv. Ursin.*

5 *Palimpsesto*] Palimpsestus est papyrus deletilis, seu 'charta deletitia,' ut ab Ulpiano l. iv. ff. de Bonor. Possess. Secund. Tab. adpellatur. In ea aliquid scribimus, quod dein in chartam aliam transferamus, quod cum fecimus et palimpsesto delemus, inducimusque, ut in ea alia exarare possimus. Vid. Leopard. Emend. lib. xiii. cap. 11.

6 *Chartæ regiæ*] *Chartæ regiæ* sunt omnium pulcherrimæ, ut 'hieratica' et 'Augusta:' opponunturque 'plebeis.' *Turneb.*

7 *Umbilici*] Erant capitula, speciem umbilicorum præ se ferentia, in bacillis seu rutulis, qui assuebantur voluminibus, ut circa illa volverentur. Volumen enim est contextus cartarum in longitudinem, ut possit convolvi, qualis est tabula itineraria Peutingeri. Voluminis fini adglutinabantur bacilli umbilicis prominentibus ornati. Hinc cum volumen esset explicatum, necessario perveniebant ad umbilicum. Inde ad 'umbilicum ducere' est finire.

Lora rubra] Σιττύβαι. Hesychius: σιττύβαι, δερματιναὶ στολαί, τὰ μικρὰ ἱμαντάρια. Duas dat notiones ejus verbi Hesychius: priore membranam significari, qua tegerentur libri: posteriore lora, ut hic apud Catullum. In Epist. ad Atticum quarta ex editione Victoriana: 'Bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione et sittybis.' Legendum 'constrictione.' *Scal.*

Membrana] Genere neutro. Glossæ quoque: 'Membranum διφθέρα, σωμάτιον.' Item: 'Membranum, ὑμήν.' *Idem.*

8 *Directa plumbo*] Id est, plumbo directa ad regulam: rotundum illud plumbum fuisse testantur veterum Epigrammata, quibus τροχαλὸς et γυρὸς et κυκλοτερὴς appellatur. Tenuis e plumbo lamina fuit, et in rotundum formata. Latini 'præductale' dixerunt a præducendis lineis: Græci recentiores παράγραφον. *Salmas.*

Pumice omnia æquata] Pumex, cavum et latebrosum saxum, pendens, antrosum, non tantum rari, laxi, et levissimi lapides. Propert. lib. iii. El. 3. Virgil. Æn. xii. *Turneb.*

10 *Unus caprimulgus*] Ita nostrates 'ein' usurpant: et Plutarch. utitur in vitis. Philopæmene 245. 27. Lucilius 'Optimu' multo Post homines natos gladiator qui fuit unus.' *Livin.*

Caprimulgus] 'Caprimulgus' avis nomen est, apud Aristot. Hist. Anim. lib. iv. c. 30. αἰγοθήλας nominatur: hic rusticum significat capras mulgentem. *Turneb.*

11 *Tantum abhorret ac nutat*] Flagitium Hieronymi Avantii, qui ex *mutat* fecit *nutat*. In quo profecto ipse multum nutavit. *Scal.*

Mutat] Pro mutatur dixit: quod Virgil. 'Quantum mutatus ab illo Hectore.' Sed Græci quoque ἐξαλλάττειν pro ἐξαλλάττεσθαι usurpant; et id Latini imitantur. Hinc apud Propert. 'complebant' pro complebantur, 'variabant' pro variabantur. Cicero, Acad. Quæst. 'Quæ

tota omnia accipere possint, omnibusque modis mutare, atque ex omni parte.' *Livin.*

12 *Scurra*] Quem modo urbanum vocavit. Notum enim ex Plauto scurras et urbanos eosdem esse. Quare et dicteriis sibi victum aucupabantur. Quia autem scenatici homines, quos Βιολόγους vocant Græci, dicteria funditabant ad risum spectatoribus tollendum, propterea factum, ut Mimi, Scurræ, et urbani vocarentur. Juvenal. ' mimum agit ille Urbani qualem facundus scurra Catulli.' Prudent. ' Dum Scurra saltas fabulam.' Et mimum scurram Juvenalis vocat, et urbanum mimographum ipsum Catullum; quem aliter ' urbicum ' Martialis poëta, ' urbicarium ' Fulgentius. Hinc quum idem Juvenalis dixit ' Trascurria patritiorum,' palam est eum intelligere ad scurras, hoc est, ad orchestram patritios transisse. Male n. hodie legunt *Triscurria:* cui ineptum quoque interpretamentum apponunt. *Scal.*

13 *Aut si quid hac re tritius*] Suspicor Catullum scripsisse, *Aut si quid hoc retritius videbatur.* Retritum, παλιντριβές. Metaphora a veteribus et obsoletis vestimentis. Itaque et hujusmodi homines Græci τρίβωνας vocant, quasi retrita pallia. *Idem.*

17 *Gaudet in se*] Propert. ' Cynthia in exuviis gaudet :' et alibi, ' gaudet in puero.' Qualiter Græci dicunt χαίρειν ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς. Arnob. ' Et illud spectaculum maximum Babylone in inguinibus est.' Simile et illud Propertii de Thaide. ' In qua populus plausit Erichtonius. *Livin.*

CARMEN XXIII.

1 *Furi, quoi neque servus est, neque arca*] Juvenal. ' quantum ferrata distet ab arca Sacculus.' Idem. ' posita sed luditur arca.' Cicero Pæto : ' Nos jam ex arcis tantum habebimus, ut Verrium tuum, et Camillum, qua munditia homines ? vocare sæpius audeamus.' *Scal.*

Arca] Paupertatis signum erat ' non habere arcam.' Ut hic et Ep. seq. contra ' arcam habere ' dicuntur divites : in ea enim pecunias deponebant. Mart. lib. II. Epigr. 4. ubi Sextus ille fenerator queritur se nummos non habere in arca : item Epigr. 30. et lib. III. Epigr. 40. lib. VIII. Epigr. 44. lib. IX. Epigr. 55. de ' Arca Jovis.' et lib. X. Epigr. 4. Sic Horat. Sat. I. de Avaro, ' At mihi plaudo Ipse domi simulac numos contemplor in arca.' Paulus item I C. in l. Offilius XCVII. ff de leg. III. et idem in l. Si certos. XXXVII. de verb. oblig. Hinc ' arcarii servi,' quibus domini pecunia, et ejus cura commissa. Scævola, l. C. in l. Thais XLI. §. ult. ff de fideicom. libert. Ramirez. de arcariis servis vide Pignorium ac Popmam.

6 *Conjuge lignea*] Lucret. lib. IV. ' Nervosa, et lignea Dorcas.' Eleganter ita vocat puellam arido corpore et exsucco : verum jam ante Comicus Alexis, 'Ακρολέπαρος, τὸ ἄλλο σῶμα ὑπόξυλον· hinc et ξυλοκόμβη femina dicitur turpi forma, apud Eustath. Eamdem poëta doctiss. vocat, ' nervosam,' id est, rigidam, duram, aspero scabroque corpore ; atque adeo robusto. Mollities ac levitas habentur in delitiis, eaque variis artibus a quibusdam etiamnum quæruntur : volunt tamen illi formarum spectatores corpus, non omnino enerve aut flaccidum : neque nervosum, neque enerve amant : hoc solidum vocat Lu-

cil. ac Terent. Idem laudat succi plenum corpus, cum ligneum prorsus jejunum sit. *Gifanius.*

21 *Atque id durius est faba ac lapillis*] Mendose meo judicio legitur *lapillis;* scribo *lupinis.* Non enim unguibus et digitis lapilli teruntur, sæque ut fabæ aut lupini: erant lupini ludicrum numorum genus; ex lupinis aqua maceratis percussum fiebat. *Hottomannus.* Idem censet Gulielmius.

CARMEN XXIV.

4 *Mallem delitias mihi dedisses*] Longe aliter concepta est vetus scriptura, atque, meo judicio, melius et concinnius: *Mallem divitias mihi dedisses Isti, quoi neque servus est, neque arca, Quam sic te sineres ab illo amari.* Τὸ *mihi* autem Attice παρέλκει, et ad aliam personam pertinet. Sic apud Euripidem Andromacha: τί σοι θεῷ κατευξόμεσθα; Clarius in Helena: τί σοι παράσχω δῆτα τῷ τεθνηκότι. Quod eodem prope modo dictum est, atque hic, divitias potius convenire Furio, quam delitias, cur dicat, non est pluribus disputandum: siquidem constat ipsum egentissimum fuisse, cui neque arca. *Scal.*

7 *Cui non est*] Inepta lectio: vetus, *Qui non est.* Lege ergo, *Qui? non est homo bellus, inquies? est: Sed bello huic neque servus est neque arca.* Quis dubitat hæc meliora esse, quam illa vulgata? *Idem.*

Qui? non est] Mihi pridem placuit legere: *Hui! non est homo bellus, inquies? est.* Mel.

CARMEN XXV.

2 *Vel inula mollixella*] Morosa lectio, quæ in manuscriptis legitur, hæc portenta verborum nobis peperit. Qui hæc mutarunt, quare saltem vitium in syllaba commissum animadverterunt? alii pudentius, *vel hinnula tenella.* Sed si liceret nobis hoc modo omnia interpolare, nihil nobis difficile aut arduum esset. Prisca lectio hæc fuit: *vel inula moricilla.* Utinam in aliis tam facile verum erui posset, ut in hoc loco speramus nos eruisse. Legimus enim, *vel imula oricilla.* Proverbium Latinorum fuit, 'Auricula infima mollior.' Alterum ὑποκοριστικὸν est Auricilla, quod veteres Oricilla dicebant, unde Celso Oricularius clyster: hoc est, ὠτεγχύτης. Imulum proximo dixit, ut Plautus primulum. Quæ omnia sunt venustatis Catullianæ. Glossæ, 'Summa auricula, πτερύγιον.' Item 'Lannæ, λοβοί.' Quod rectum erat Lamnæ. Porro de hujus metri genere non disputabo, quum id abunde doceant veteres. Hoc unum admonebo extare hujus generis στίχον παροιμιώδη apud antiquum Grammaticum Marium Plotium Sacerdotem. Est autem ejusmodi δίκαιός ἐστιν ὁ φθόνος· τὸν γὰρ φθονοῦντα δάκνει. Qui versus iambis puris conceptus est, præter quintum pedem qualis ille: 'Quid immerentibus noces? quid invides puellis?' *Scal.*

5 *Quum diva mulier aves*] Hæc est manuscriptorum lectio, sed vitiosa, ut apparet ex modulis syllabarum. Nam quod alii substituerunt, *quum*

diva mater alites, audacter fecerunt. Quare eorum licentiam nihil moror. Sed non minore impudentia *oscitantes* in *occinentes* mutarunt. Alii *occinentes* in *oscinentes*: quia meminerant in augurali disciplina esse aves, quæ, quod ore auspicium facerent, ab eo oscines dictæ essent. Sed non adverterunt idem esse occinere, et obscinere: ut ostendere et obstendere. Nam alterum usitatius, alterum ἀρχαϊκώτερον. Ego quid de hac lectione statuam nihil habeo. Equidem facile persuadeo mihi ex veteri scriptura vitium natum esse, idque fuisse in exemplari Gallicano. Nam Diva veteres Deiva scribebant. Itaque librarius Gallicani exemplaris, quum legeret, *Quum de via mulier*, putavit ἀρχαϊκῶς scribendum, *Quum deiva*. At *mulier de via*, est ἡ τυχοῦσα, quævis saga. Sic Tibullus 'puerum e triviis' dixit τὸν τυχόντα. Ejusmodi enim mulieres, aut pueros de sortibus, aut præsagiis consulebant, quæ sibi notæ non essent. Marinæ tempestatis præsensione fugere aves marinas id notum ex prognosticis Arati et Virgilii. Recte autem *oscitanes*. Nam agitatione fluctus id vult illis accidisse: unde marina avis larus semper id facere dicitur. Proverbium enim est, λάρος χάσκει. Sed non dubito quin *aves oscitantes* ἀντονομαστικῶς gaviæ seu lari ipsi dicantur, qui semper in fluctu degunt, marinam spumam pascentes: sed tempestate in littus ejiciuntur. Itaque mulier saga, quam hic vocat mulierem de via, ut Tragicus dixit, de Circo aruspices, ex eo conjicit tempestatem esse, aut aliud nescio quid. Sane verum est, nisi fallor, quod diximus antonomasiam esse, *aves oscitantes*, hoc est, laros. Nam quum id genus semper in fluctibus versetur, ut spumam depascatur, tempestate ejecti in siccum pene fame tabescunt, unde facile est colligere illis in sicco visis tempestatem in mari esse. Hæc est, nisi fallor, vera mens Catulli, quam alii suis ineptis emendationibus totam perverterant. *Idem.*

Oscitantes] *Oscientes* lego, et fere 'oscinos sinistros et ominosos' legere est. Horat. 'Oscinem corvum prece suscitabo.' Intelligit autem fulicas et similes aves quæ tempestatem prædicant. *Livin.*

7 *Catagraphosque thynos*] Aiunt esse scriptorum librorum lectionem. Sed nos in nostro reperimus: *Cyrographosque thynos*. Quæ lectio multum a vulgata discrepat. Fortasse *Chirographos* quod proximum vero videtur. Ego scio quid de Catagraphis dicatur: neque aliud scilicet ab illis adfertur, quod a nobis olim adolescentibus animadversum non fuerit. Proprie Catagrapha sunt opisthographa, ut ex Hipparcho cognoscimus. *Scal.*

Catagraphosque Thynos] Libri omnes, vidi etiam aliquot, legunt, *Cyrographos*, hoc est, *Chirographos*: sic 'Cyragra' in veteribus libris non raro scriptum occurrit. Sic 'Cyras' apud Isidorum vetustissimæ etiam membranæ præferunt: 'manus quas Græci cyras vocant.' *Chirographi* igitur *Thyni*, sunt annuli Thyni signatorii sculpturæ Bithynicæ. Thyni annuli et politura Bithynica celebres et nominati sunt; de quibus leguntur versus apud Isidorum, quos ita emendavimus: 'Lucentes mea vita nec smaragdos Berillos mihi, Flacce, nec nitentes: Nec percandida margarita quæro, Nec quos Thynia lima perpolivit Anellos; nec iaspios lapillos.' *Chirographos* legebam olim in versibus Catulli; nunc placet magis *Cirographosque Thynos*, hoc est, *cerographos*, et ceram imprimentes annulos accipi: κηρόγραπτον est de cera pictum: κηρογράφον autem quod ceram pingit et signat vel charaxat: quod anulorum sigillaritiorum est proprium. *Salmas.*

10 *Manusque mollicellas*] Scio et ferulæ et scuticæ manum solere pueros in scholis porrigere. Sed profec-

to hoc non vult Catullus, neque hæc est proba lectio: quum ita scribendum fuerit: *natisque mollicellas*. Hæc enim recte conveniunt cum latusculo laneo, ut ipse loquitur. Quia nudi non manus, sed ilia et nates cædi solent. *Scal.*

11 *Inusta turpiter*] 'Inurere notam' recta Latinitas patitur: concedam etiam 'inurere plagam,' et 'urere flagris;' at 'inurere flagra' ne infimæ quidem vetustatis scriptores unquam dixerunt. Sed hæc est audacia Hieronymi Avantii, qui ita legit ex prisca lectione, *Insula*. Ego puto inversum pro, *Inlusa*. Catullus minitatus erat puero flagra quæ ille irridebat: propterea vocat flagra illusa, hoc est, diversa ab illo. *Idem.*

Inusta turpiter] Scaliger: "'inurere notam' recta latinitas patitur. Concedam etiam 'inurere plagam,' et 'inurere flagris.' At 'inurere flagra' ne infimæ quidem vetustatis scriptores unquam dixerunt.' Nos tamen incomparabilem virum falli putamus: immo hoc genus optimis scriptoribus usurpatum ad Statium in Diatribe et elencho demonstravimus. *Gronov.*

Conscribillent] Varro columna Herculis, περὶ δόξης. 'Itaque eas in ceram conscribillavit Herculis athletæ.' Idem Marcipore, 'Astrologi non sunt qui conscribillarunt pingentes cœlum.' Sed laborat syllaba antepenultima, inquiunt quidam docti, quod sit longa. Itaque vidi, qui legerent *concribillent*, a cribello. Sed falluntur. Syllaba enim corripitur. *Scal.*

Conscribillent] Alii *consigillent:* ut Seneca Epist. 13. princ. 'Non potest Athleta magnos spiritus ad certamen adferre, qui nunquam sigillatus est.' F. *constrigillent;* id est, exarent, compungant. *Livin.*

12 *Magno mari*] *Magno mari*, hoc loco non pro immenso (ita ut vulgo sumitur) sed pro turbulento, valideque fluctuanti, vehementiusque ventis commoto, positum videtur. *Dousa P. et F.*

CARMEN XXVI.

1 *Furi, villula nostra, &c.*] Placet scripta potius lectio, *Furi, villula vostra:* quis enim ambigat porro, quin idem hic sit Furius ille, cui passim ignominiosæ paupertatis maculæ a Valerio nostro inustæ? *Dousa P.*

4 *Verum ad millia quindecim et ducenta*] Vetus scriptura, *et ducentos:* recte. Alioqui immanis nimis fuisset summa illa; neque puto tam copiosum Catullum fuisse. Quindecim millia ducenta sestertia, item quindecim millia ducenti sestertii immane quantum discrepant. Priore summa fiunt denarium millia quadringenta viginti quinque, hoc est, Solatorum aureorum Francicorum millia quinque et triginta, quadringenti sexdecim cum denariis excurrentibus octo. Nam unum sestertium imputatur in vicenos aureos Solatos cum decem denariis excurrentibus. Posterior summa conficit tantum denarios quadringentos viginti quinque, id est, aureos Solatos triginta quinque cum quinque denariis excurrentibus. Hæc melius conveniunt villulæ, quam illa immanis summa, cui nullus sacculus par esse potest. De Catulli autem villa intelligendum, non de Furii, quod somniat vir disertus. *Scal.*

Verum ad millia, &c.] Sunt qui ad illius Furii verba hæc referant, cujus extremam inopiam ac mendicitatem paulo ante Catullus inluserat: quorum opinionem primum illa vox *nos-*

tra perspicue repudiat: quam absurdum esset mutare in *vestra*. Nam Gottorum hoc dicendi genus esset, non Romanorum: deinde si Furius ne centum quidem millium rem habuit, ut Catullus in illo carmine ostendit, quomodo ducentorum et insuper quindecim millium constituere pignus potuisset? 'Et sestertia,' inquit, 'quæ soles precari Centum desine, nam sat es beatus.' Sunt qui Catullum de sua ipsius villula loqui agnoscant: sed ex antiquo libro reponendum censent *ducentos*. 'Alioqui,' inquit auctor illius opinionis, 'immanis nimis fuisset summa illa. Neque puto tam copiosum Catullum fuisse ut ducentis quindecim millibus fundum oppignerasset.' Sed ut Catullus in Equestri tantum ordine constiterit, tamen duplo locupletiorem illum fuisse necesse est: præterea si et hospes fuit C. Cæsaris, et cum eo gerere inimicitias est ausus, ut Suet. testatur, non est verisimile, tam tenuis eum fortunæ fuisse: ut vero *ducentos* reponamus, et tantulam summam quindecim millium sestertium supra ducentos numos, ventum tam horribilem et Catullo adeo pestilentem fuisse putemus, caussam esse non arbitror. Jocum igitur sic interpretandum putarem: Cum Furius, qui forte ad dies aliquot secedere in Catulli villam cupiebat, ex eo quæsisset, cui vento et cœli plagæ esset opposita, festive poëta ex ambiguitate verbi jocum captavit, ac respondit non ulli ventorum tempestati objectam esse, sed pro ducentis quindecim sestertium millibus pignori oppositam. *Hotoman.*

Verum ad millia, &c.] Veram scripturam, *ducentos*, esse testatur Scaliger: alioquin immanem fore summam illam, nec videri tam copiosum Catullum fuisse. At ipsæ summæ denarium et sestertium quas comparat Scaliger, immane quantum discrepant. Quadringenta millia denarium, sedecies æstimantur sestertio, coronatorum quadraginta millibus. Viginti quinque, si denarios intelligas, centum nummi sunt sestertii, coronati duo et dimidiatus; sin millia denarium, centum millia nummum, coronatos duo millia quingentos efficiunt. At *ducenta quindecim sestertia*, si sic scripsit Catullus, faciunt 53. millia septingentos quinquaginta denarios, coronatorum quinque millia 375. Rursum quadringenti viginti quinque denarii faciunt mille septingentos nummos sestertios, coronatos quadraginta duos dimidiatum. At sestertium quindecim millia et ducenti, denarium tria millia septingentos quinquaginta, coronatos 375. *Gronovius* de Pecun. Vet. lib. III. cap. 17.

CARMEN XXVII.

1 *Falerni*] Notandum epithetum *Falerni*, quod reperies item apud Mart. 'Candida nigrescant vetulo crystalla Falerno:' et Macrob. Sat. VII. c. 12. in proverbio illo quo gulones ait uti: 'Mulsum quod probe temperes, miscendum esse novo Hymettio et Falerno vetulo.' *Dousa F.*

2 *Inger mi calices amariores*] Manifesto *amariores* pro meraciores intelligit, alludens ad Homerum, *ζωρότερον δὲ κέραιρε·* quod diverse a veteribus exponi solitum cognosces ex Plutarcho. Martialis autem aliter etiam exponit: 'Hic scyphus est, in quo misceri jussit amicis Largius Æacides vividiusque merum.' Hic largius et vividius est *ζωρότερον*. *Scal.*

3 *Ut lex Posthumiæ*] Lex Posthumiæ magistræ, est lex magistra Posthumia, ut urbs Patavi. Vide quæ in conjectaneis olim notavimus. *Scal.*

Lex Postumiæ jubet magistræ] Qui leges has bibendi ferebat 'Magister' vulgo dicebatur: Varroni etiam 'Modimperator:' Horatio, 'Arbiter:' Plauto, 'Dictator:' Græcis συμποσιαρχὸς, βασιλεὺς, vel στρατηγός. 'Regna vini' hæc magisteria adpellat Horatius; quæ talis sortiebantur, et qui primus e convivis Venerem jecerat, is 'Magister.' Interdum etiam, ut apud Plautum invenimus, sola corollæ impositione 'Magistros' creabant. *Lipsius.* Vide et Ursinum in Append. ad Petr. Satyr. de Triclinio.

4 *Ebriosa*] Mirum, quum Gellius monuerit, *ebriosa acina* legendum esse, neminem eorum, qui hunc poëtam enarrarint, id animadvertisse: sed omnes legere, 'Ebriosa acino ebriosioris.' Quod quid sit, nescio. *Scal.*

CARMEN XXVIII.

2 *Aptis*] Sic Petron. Sat. 'Itaque quod bene eveniat, expedite sarcinulas.' *Aptis* autem est constrictis et colligatis, quod in præsenti 'apo,' vel 'apio' esse verisimiliter suspicor. Glossarium Arabico-Latinum: 'Apio, ligo:' huc etiam pertinet illud Festi: 'Apex, qui est sacerdotum insigne, dictus est ab eo, quod comprehendere antiqui vinculo, apere dicebant; unde aptus is, qui convenienter alicui junctus est.' *Dousa F.*

6 *Ecquidnam in tabulis*] Ita explicanda videntur: Num quid (quum in suis æris accepti et expensi tabulis redeuntes e provincia magistratuum contubernales soleant habere accepta relata lucello, seu notatas non parvas summas lucelli nomine a prætore concessas) in vestris tabulis, ubi lucellum patere debebat, ubi acceptum, nihil apparet, sed utramque paginam facit expensum? ut mihi accidit infelici, qui contubernalis Memmii *refero datum lucello:* h. e. quum et ipse in meis tabulis aliquid accepti lucello referre deberem, nihil in illis habeo, nisi quod dedi vel expendi de meo: in illis tabulis, in ea parte rationum, ubi patere debebat lucellum, quam dicaveram referendis acceptis lucello, refero et scriptum habeo etiam datum et expensum. Exclamationem, quæ subjungitur, videtur ei exprimere recordatio præteriti doloris, quasi diceret: Cujus infelicitatis cum in mentem venit, non possum non irasci tibi, Memmi, et jure exprobrare, quod me patientem hominem et usque obdurantem spe meliorum impudenti mora circumduxisti, et lactasti, tandemque inanem et inhonoratum dimisisti. Sequitur: *Sed, quantum video:* id est, Solatio est socios malorum habuisse, nihilo felicius vobis accidit. *Gronovius* de Pecun. Vet. lib. III. cap. 17. ubi pluribus de sensu hujus loci adversus Scaligerum disputat.

7 *Expensum*] Locus παρὰ προσδοκίαν; Nam lucrum expensum in tabulas non referebant, sed acceptum. *Livin.*

Ut mihi, qui meum secutus Prætorem refero datum lucello] Multa sunt in Catullo parum hactenus a magistris animadversa: in nullo tamen magis cæcutiverunt, quam isto. Sed error hinc fluxit, quod ab hoc versiculo ea, quæ sequuntur, distraxerunt. Continuanda enim erant ita: *ut mihi, qui meum secutus Prætorem, refero datum lucello: O Memmi, bene me, &c.* Non potest dici, quanta urbanitate Prætoris sui Memmii avaritiam perstrin-

git. Vos, inquit, a Pisone proprætore vestro ita accepti estis, quomodo ego a Memmio proprætore meo. Nam, quum deberem in tabulis scribere, acceptum refero lucello L. L XXX: vicem ejus scribo: o Memmi bene mihi illusisti, qui in contubernio tuo pollicebar mihi montes auri, sed quantum ego video, non minus vobis illusit Prætor vester Piso, quam Memmius mihi. Hæc nunc sunt luce clariora. Ut valde decepti sint, qui putarint Catullum a Memmio turpitudinem passum esse, quam pudor meus dicere vetat. Verbum enim flagitiosum, quo utitur Catullus, non in eam significationem accipiendum est: sed in eam, in quam superius accepimus, quum eundem Prætorem ita appellavit in epigrammate, *Varrus me meus ad suos amores*. Verbum enim illud eo tempore ἀντὶ τοῦ ἐντρυφᾷν accipiebatur. Quemadmodum contra τὸ ἐντρυφᾶσθαι dicebatur altero verbo obscœno, quod huic e regione respondet, quod quidem verbum ultimum est in Scazonte Martialis, cujus initium: 'Conviva quisquis Zoili potest esse.' Nam ibi illud verbum non in obscœnam partem, quæ prima ejus est notio, sed, pro ἐντρυφᾶται sumitur, exponi contumeliæ, stupidum esse illudi. *Scal.*

8 *Datum lucello*] Titius dat, Mævius accipit. Mævius acceptum refert Titio: Titius datum et expensum refert Mævio. Hoc et ipsi pueri sciunt. Sed quia sunt τῶν πρός τι, convertuntur, si personam commutes. Nam Mævius potest scribere: Refero datum mihi: idem enim ac si dicat, acceptum refero Quæstori. Itaque Catullus refert sibi datum lucello: hoc est refert acceptum Memmio. Quid? illud, quod sequitur: *o Memmi.* Hæc sunt verba, quæ Catullus in rationibus accepti vult referre. Sed prius sciendum, id quod supra attigimus, comites et adjutores negotiorum publicorum, qui dabantur magistratibus a Republica, vel cæteros ex domesticis convictionibus, quos Cicero quasi ex cohorte prætoris appellari solitos, pro opera egregie in magistratum navata duplex emolumentum a prætore consequi solitos: alterum in provincia, quod lucellum vocabatur; alterum in urbe post reditum e provincia: quum eorum nomina a magistratu in ærarium referebantur, in beneficiariis proconsulis sive proprætoris vocabantur. Nam magistratum, et qui jussu populi provinciam regeret, proconsulem aut proprætorem vocare susque habeo. Cicero in Frumentaria: 'Age: quid tum si Apronio delitiis Prætoris lucelli aliquid jussi sunt dare? Putato Apronio datum, si Apronianum lucellum ac non prætoria præda vobis videbitur.' Idem ad Rufum quæstorem suum libro quinto epistolarum: 'Sed ego putavi esse viri boni, quum populus suum servaret, consulere fortunis tot vel amicorum vel civium. Nam de lucello est ita actum ut auctore Cn. Pompeio ista pecunia in fano poneretur: id ego agnovi meo jussu esse factum: qua pecunia Pompeius est usus ut sua, quam tu deposueras, Sextius.' Vides ex his verbis Ciceronis privatam pecuniam amicorum, et civium vocari lucellum. Quod nomen ὑποκοριστικῶς attribuebatur commodis prætorianorum; quod vero dabatur ipsi prætori, dicebatur honorarium. Sed qui, quid sit 'lucellum,' scire cupit, legat epistolam illam Ciceronis, in qua tamen non inveniet eam lectionem, quam adduximus, sed ineptissimam, nempe 'Lucceio' pro 'lucello;' qui error et infra in eadem epistola quanquam aliis literis dissimulatus est, illis verbis: 'Sed si quid est, quum de logeo parum gratum visum est, quod ego in rationibus referendis etiam nunc corrigere possim.' Ibi enim 'de lucello' legendum est ex superioribus verbis. Ita et epistolam Ciceronis emenda-

mus, et locum Catulli, ex quo illam emendavimus, illustramus. Antea quid esset 'lucellum' ignorabatur, neque ullus illius rei odor Criticos hodiernos afflaverat. *Idem.*

9 *O Memmi*] Procul dubio est is ipse C. Memmius cui libros suos dicat Lucretius. Hic ex Prætura Provinciam Bithyniam sortitus, quo eum sequutus erat Catullus; mox Romam inde reversus repetundarum postulatus est a C. Julio Cæsare, ex cujus oratione hæc extant apud Gellium: 'Vel pro hospitio Regis Nicomedis, vel pro horum necessitate hoc munus, Memmi, refugere non potui.' Quare avaritiam ejus a Catullo exagitari mirum non est, qui repetundarum postulatus sit. *Idem.*

11 *Pari fuisti Casu*] Ex veteri libro legendum pluraliter *fuistis:* item, *Farti estis.* Sed, inquit, quantum video, non minore fortuna accepti estis a Prætore vestro, quam ego a meo. *Idem.*

13 *Pete nobiles amicos*] Insultatio; ut illa: 'I nunc, et ventis animam committe, dolato Confisus ligno.' Facilis sententia, et plana. *Idem.*

14 *At vobis mala multa*] Postquam illis, qui se ad magnas amicitias applicant, satis illusit, postea ad illos ipsos, qui amicis ipsis abutuntur, sermonem dirigit. At vobis, inquit, o Romuli Remique, opprobria di deæque mala multa dent. *Romuli Remique,* nominandi casu; nam proceres Romanos, et qui in Republica aliquid poterant, ita vocabant. Infra, 'Cinæde Romule, hoc videbis, et feres?' et in Declamatione: 'Oro te, Romule Arpinas.' *Opprobria* eodem casu. Græce λῶβαι, ut in proverbio, ἡρώων παῖδες λῶβαι, et ἐλέγχεα· ut κάκ' ἐλέγχεα, Homero. Quam male non solum finis Epigrammatis, sed etiam totum poëmatium vulgo accipiatur, nescio an aliis exploratum sit: mihi sane ita liquido constat, ut non parum hac in parte ab interpretibus erratum esse videatur. *Idem.*

CARMEN XXIX.

3 *Quod comata Gallia Habebat cuncta, et ultima*] Postrema non Catulliana sunt, sed ex officina Hieronymi Avantii prodierunt; quum et veteres editiones, et scriptæ membranæ præferrent: *Habebat cuncta, et ultima Britannia.* Parva admodum licentia legendum: *Habebat unctu' et ultima Britannia.* Nam in Gallicano exemplari, ut jam monui, quod Langobardicis literis scriptum fuisse putamus, U et A vicissim se commutant: quod nulla sit inter illas literas differentia in charactere Langobardico. Sic in Coma Berenices: 'quem maximu' in oris.' pro 'maximum in oris.' Sic hic *unctu',* pro *unctum,* sequente vocali, cujusmodi quædam in Varrone notavimus, ut 'datu' iri,' et similia. Hic autem virulentus Iambus non in Cæsarem, quod video omnes fere sibi persuasisse, sed in Mamurram scriptus est, sed expostulat cum Cæsare Catullus de copia et superfluentia Mamurræ. *Scal.*

Quod comata Gallia] Plinius libro tricesimo sexto, capite sexto: 'Hic namque est Mamurra Catulli Veronensis Carminibus proscissus, quem, ut res, domus ipsius clarius, quam Catullus dixit habere, quicquid habuisset comata Gallia: namque adjecit idem Nepos eum primum totis ædibus nullam nisi e marmore columnam habuisse.' In toto Plinio non est locus isto corruptior: quem valde

gaudeo mihi sese tam opportune obtulisse. Mirum vero Catullum, qui toties in Mamurram versuum suorum aciem distrinxerit, de hac domo tacuisse. Atqui, si ita res se haberet, non tacuisset, nisi me fallit augurium meum. Deinde, quid sibi volunt illa, 'ut res?' Sed nolo in nugis lectorem diutius tenere. Sane Plinius ita scripsit: 'quem Metrodorus Scepsius clarius, quam Catullus, dixit habere, quicquid habuisset comata Gallia.' Atqui, quum hunc locum Plinii legerem, sine ulla cunctatione suspicio de mendo animum percussit: atque e vestigio locum emendavimus. Sciebam enim Metrodorum Scepsium hominem malæ linguæ virulentis scriptis populi Romani procerum luxum exagitasse. Ovid. quarto de Ponto ad Tuticanum: 'Non loca, sed mores scriptis vexavit amaris Scepsius Ausonios: actaque Roma rea est.' Quanquam in Ovidio male 'Septius' vulgo legitur. Quare ille vir *μισορωμαῖος* dictus. Plinius libro tricesimo quarto, capite septimo: 'Metrodorus Scepsius, cui cognomen a Romani nominis odio inditum est.' Floruit autem Cæsarianis temporibus: nam Bruto familiaris vixit: ex cujus epistola ad Cæsarem Charisius produxit: 'a Scepsio familiari meo.' Sed verba Plinii, quæ correximus, nondum ex toto menda vacant. Nam glossema est *τὸ* 'idem Nepos.' Nepotis enim nomen interjectum ideo, quia superius ejus mentionem fecerat Plinius. Quare ita totum eum locum legero: 'Hic est Mamurra Catulli Veronensis Carminibus proscissus, quem Metrodorus Scepsius clarius, quam Catullus, dixit habere quicquid habuisset comata Gallia. Namque adjecit eum primum totis ædibus nullam nisi e marmore columnam habuisse.' Quare autem dictum sit eum habuisse, quicquid habebat Gallia, cognoscimus ex eodem Plinio, qui nos docet, Mamurram Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæsaris in Gallia fuisse. Quum et verissima et præclarissima sit emendatio illa Pliniana, tamen ad stomachum quorundam Criticorum non facit. Adeo rari sunt, qui falsa veris sciant discernere. *Idem.*

4 *Habebat unctum et ultima Britannia*] Haud satisfacit postremum illud, etsi non ignorem vocalem natura brevem insequente muta cum liquida a Poëtis identidem produci; placet itaque magis, *Et ultimæ Britanniæ:* quomodo idem in Carmine de Acme et Septimio, 'Mavult quam Syrias, Britanniasque:' et Paulo infra, 'Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ.' Cæterum eadem Metaphora *uncti*, usus Poëta noster non semel: ut in Epigrammate illo nimium lepido: 'Nec prætoribus esse, nec cohorti, Cur quisquam caput unctius referret:' denique hoc ipso Carmine: 'Nisi uncta devorare patrimonia.' *Dousa P.*

5 *Cinæde Romule*] Hoc est, o Cæsar, ut supra jamdudum monuimus. Hæc, inquit, o Cæsar patieris? Nam Romulus non pro quovis Romano, ut vult Parthenius, sed pro eo, qui ita gratia populari valebat, ut regnum, tanquam alter Romulus, obtinere videretur. Sallustius in Oratione Lepidi Consulis ad populum: 'Quæ cuncta scævus iste Romulus, quasi externis rapta tenet.' *Scal.*

Romule] Hoc nomine (et Mureto commentum placet) uti solebant in eos, quos significare volebant dissimillimos esse Romuli: falso (sicut ego existimo) et parum Romane. Suspicor vulgatum hoc in eos convicium fuisse, qui profunda imperii cupidine accensi dominationem in cives suos affectabant. Apud Sallust. in Oratione quam idem Mamerco Æmilio Lepido attribuit, hæc in Sullam stomachose ad Quirites pronunciata leguntur, 'Quæ cuncta sævus iste Romulus, quasi ab externis rapta tenet:' quam interpretationem Ser-

vius fulcire videtur ad Eclog. III. *Dousa P.*

6 *Es impudicus et vorax*] Iste versus aberat a nostro scripto. *Scal.*

7 *Superfluens*] Hoc loco non tam ad immoderatum animi fastum, quam profluvii genitalis abundantiam, et magnificum illum, quo Babylonica apud Lucretium rigatur, splendorem respexisse Catullum puto. Vim et vomitum illum Lucillianum dico; atque eo in hanc sententiam sum propensior, quod statim de omnium cubilium perambulatione sequatur, quæ sine vi istius vomitus constare non potest. *Dousa P.*

8 *Perambulabit omnium cubilia*] Verbum 'perambulare' ad eam rem aptissimum; ut supra 'tremulique quassa lecti Argutatio, inambulatioque.' Sic verbo βῆναι utuntur Græci: unde ἐμβασίκοιτοι, aut ἐμβασικοῖται dicuntur ejusmodi homines, cujusmodi hic intelligitur Mamurra. *Scal.*

9 *Ut albulus columbulus, dioneus*] Hæc sunt correctorum commenta: præsertim quum in scriptis libris exaratum sit: *Ut albulus columbus, aut idoneus.* Ego, quum Valentiæ Cavarum hunc locum scriptæ lectionis perpenderem, succurrit posse legi, *Aut albulus columbus, aut Adoneus:* quia Adoneus pro Adonis Plauto, et Ausonio antiquario dictum memineram. Itaque nondum me ejus conjecturæ pœnitet. *Idem.*

Adoneus] Sic Plaut. in Menæch. Act. I. sc. 2. et Auson. in Myobarbo. Sic *Ulysseum*, et *Achilleum* dicebant: vetus monumentum:

D. M
APHNIO. QVI
VIXIT. ANN. XIII
MENS. XI. DIEBVS
XVI. ACHILLEVS. ET
CLEOPATRA. PA
RENT. FIL. DVLCISSI

Aliud marmor:

M. VALERIVS
ACHILLEVS. LI
CTOR. PROXIMVS
LAVRENS. LAVINAS

14 *Ut ista vostra*] Id est, ut iste lastaurus vester Mamurra. Falluntur enim, qui ad ipsummet Cæsarem referunt. Nam, ut dixi, in solum Mamurram Epigramma scriptum est: quanquam cum Cæsare expostulat Catullus. Quum libidinosum Mamurram vocat, quo nomine vocare soleat Catullus, clarius est, quam ut a me dici debeat. *Scal.*

16 *Quid est? an hæc sinistra liberalitas*] Hæc omnia, ita uti leguntur hodie, commentus est Hieronymus Avantius. Recta scriptura est, *Quid? est alit, sinistra liberalitas? Alit* pro *alid* scriptum, ut supra 'Quot,' pro 'quod.' ut a 'Quis,' 'quid;' sic ab 'alis,' 'alid' faciebant. Quid? inquit, est aliud, quod illi expatrandum et abliguriendum objicias? quasi parum expatraverit, qui paterna bona primum, deinde tantam bellorum prædam devoraverit. Facete autem Cæsarem vocat sinistram liberalitatem, ut Bibaculus Orbilium Grammaticum vocavit literarum oblivionem. Quare hæc hactenus parum intellecta fuerunt. Jam scimus libros scriptos, et antiquos excusos ita habere. Sed noster non *alit*, sed *ait* habebat: mendose, ut puto. Nisi legendum esset: *Quid est, ai sinistra liberalitas.* ut Nævius, auctore Prisciano dixit: 'vel ai, vel nega.' *Idem.*

17 *Parum expatravit*] Hunc locum habebat in animo auctor Glossarii, quum scribebat, 'Patrat, μασᾶται, κακεμφάτως, ὡς ἐπ' αἰσχρῶν. Nam non semper significat μασᾶσθαι. Sed 'expatrare' est scortando μασᾶσθαι, imo ἀφειδεῖσθαι. Sed omnium linguarum felicissime Germanica *Verhuren.* In vetusto Glossario Latino-Arabico: 'Patratio est rei Veneriæ consummatio.' Aliæ Glossæ: 'ἐκκρίνω, ἐπὶ συνουσίας, Expatro.' *Idem.*

18 *Paterna primum*] Vel puer divinaverit legendum esse, *Paterna pri-*

ma. Quia omnes sunt meri Iambi. *Idem*.

20 *Quam scit amnis aurifer Tagus*] Miror doctis viris de hujus loci absurditate nihil in mentem venisse, aut saltem nihil admonuisse. Atqui ista lectio a scriptura et illa quoque mendosa discrepat. Ita enim scriptum est, *Ibera qua se amnis aurifer Tagus*, Sed quomodo legendum sit, mox sequenti versu aperiam. *Idem*.

21 *Hunc Galliæ timent*] Quorsum hæc? obsecro; aut unde tam interruptus sermo? aut quid habebant in mente correctores, qui ista monstra nobis pepererunt? Noster liber plane habet: *Hunc Galliæ timent tellus, et Britanniæ:* prodigiosa prorsus lectio, et quæ oscitabundum correctorem non postulet. Nam sane primum hoc satis acceptum esto, Catullum hic non nisi Iambis puris usum esse. Deinde antecedens versiculus sententiam cum hoc claudit. Quare ita Catullum scripsisse quavis sponsione ausum contendere: *quas et amnis aurifer Tagus:* subaudi, quas prædas attulit Tagus. De sequenti versiculo quid faciam, multas machinas adhibuimus ut ex eo veram aliquam sententiam extunderemus. Sed frustra. Nam puto esse spurium, quod res ipsa loquitur. Neque enim syllabæ conveniunt, neque sententia cohæret. Nam quorsum Mamurram timeret? *Idem*.

Hunc Galliæ timent Britanniæ] Correxit unus et unicus ille omnis eruditionis pater Turnebus, *Timentque Galliæ hunc, timent Britanniæ*. Cui utique hac in parte assentior lubens: simul ut cæsuræ ratio habeatur, nusquam a Catullo temere alias neglectæ, nedum in Iambis, puris præsertim ac meris: et tamen ut leniter et leviter quoque a certissimo conjectore in partem dissentiam, malim rescribi: *Timetque Gallia hunc, timent Britanniæ:* ut Comata solum provincia intelligatur: singulari enim numero Galliam extulerat antea. *Dousa P.*

22 *Quid hunc malum fovetis*] O Cæsar, quid hunc Mamurram fovetis? Nam sane hic perperam τὸ *hunc*, Cæsarem exponebant. *Scal.*

23 *Nisi uncta devorare*] Propterea semper vocatur Decoctor; ut in illo, 'Decoctoris amica Formiani.' *Idem*.

24 *Eone nomine urbis opulentissimæ*] Si hæc natio correctorum viveret, nihil est, quod e re illorum melius optem, quam bonam mentem. Nam sane hic eorum judicium requiro: quid enim est illud, *urbis opulentissimæ?* Sane ad quid referam nescio. Deinde quid opus est *urbis opulentissimæ* mentionem facere, si hic Roma intelligitur, quum hoc non Catullus voluerit? Postremo quomodo constabit Iamborum purorum modus, si hanc lectionem recipiamus? Quid ergo? Quid? nisi hunc versum intercalarem dimidium tantum a librario positum fuisse, quia satis notus esset, et a quovis expleri posset, quum superius integer appositus sit: *Eone nomine, imperator unice Socer, generque perdidistis omnia?* Eone nomine inquit, tu Cæsar, et tu Pompei ita omnia perdidistis, ut iste illa devoraret? Pompeius et Cæsar perdiderunt omnia: quia ipsi caussa fuerunt bellorum civilium, ex quibus præda opima obtigit Mamurræ quam ille in voraginem ventris sui omnem immersit. Propterea perdita bona vocat, quæ Mamurra abligurivit. *Idem*.

25 *Socer generque*] Facete in alium sensum detorsit Virgilius in Prolusionibus: 'Socer beate nec tibi, nec alteri, Generque Noctuine, putidum caput: Tuone nunc puella talis, heu tuo Stupore pressa rus abibit? hei mihi Ut ille versus usquequaque convenit: Gener, Socerque perdidistis omnia.' *Idem*.

CARMEN XXX.

1 *Alfene*] Alfenus Varus idem cum eo de quo supra, ‘ Varus me meus ad suos amores.’ Conciliaverat eum Catullo studiorum similitudo. Erat enim et Jurisconsultus et Poëta. Servius: ‘ Alfenus Varus licet jurisconsultus, et successor Servii Sulpitii esset, etiam carmina aliqua composuisse dicitur.’ *Scal.*

7 *Inique me Inducens in amorem*] Putant τὸ *inique* vocandi casu enunciatum: ego puto adverbium, et ultimam correptam more antiquo. Horat. ‘ per aquas dure volubiles.’ Virgil. ‘ Flos adprime tenax.’ non ‘ adprima,’ ut magistelli edendum curarunt. *Idem.*

CARMEN XXXI.

1 *Peninsularum Sirmio*] Scaligerorum principum amœnissimus secessus Sirmio, a Theodorico usque Scaligero quem *Diedrich von Berna* vocant Germani, ad avum usque meum Benedictum Scaligerum, qui profugit ad gentilem suum Matthiam regem Ungariæ cognomine Corvinum. Ab eo Theodorico, qui patruelis fuit Theodorici, magni Gotthorum Regis, ad Guilielmum usque historiam Scaligerorum quatuor libris complexus est Paulus Æmilius Veronensis. Is Guilielmus abavus fuit patris mei Julii. Oppida quædam Benaci paruerunt etiamnum avo meo Benedicto. Parthenius in hunc locum ita scribit de Sirmione: ‘ Nunc quidem est angustum cum theatri lateritii reliquiis oppidum. Olim autem urbs neque exigua, neque obscura; a Pannonicis sive Ungaris aliquando instaurata, ut ego in quodam eleganti, atque antiquo Grammatici cujusdam epigrammate comperi.’ Bene sane Parthenius. Nam verum est Ungaros Attila duce ea loca devenisse, et quum jam se in agrum Veronensem effundere vellent, repulsi sunt a Theodorico Scaligero Tirolis principe, quem, ut dixi, Germani Theodoricum Veronensem vocant: illa vero nubes in Aquileiam incubuit, ut inde Veneti subito Barbarorum adventu consternati proximas insulas Adriatici maris petere coacti fuerint. Hæc fuerunt incunabula Venetiarum: vide rerum vicissitudinem. Si Theodoricus Scaliger non fuisset, nunquam fuissent Venetiæ. Si Venetiæ nunquam fuissent, nunc esset imperium Scaligerorum. Hæc volebam nescius ne esses, candide lector. *Scal.*

2 *Ocelle*] Euripides Ἀρτέμιδος χιονότροφον ὄμμα Κιθαιρών. Hoc autem Epigramma tempore conjunctum est cum Epigrammate de Phaselis. Nam Phaselo vectus est Sirmionem. *Idem.*

3 *Uterque Neptunus*] Probabilis eorum esse sententia videtur, qui ‘ mare superum’ et ‘ inferum’ quibus Italia cingitur, interpretantur: verius tamen fortasse videri potest, cum significet Neptunus eam vim quæ humori præest, ut ‘ utrumque Neptunum’ intelligamus, et eum qui dulcibus, et eum qui salsis aquis imperat. Sic enim Sirmio insulis et peninsulis omnibus maris et fluminum et lacuum anteponetur. Huic expositioni fa-

vent Catulli verba, qui et liquentium stagnorum et maris mentionem facit. *Turneb.*

7 *O quid solutis, &c.*] Locus hunc in modum nobis construendus videtur: O quid beatius est (quam) cum mens onus reponit solutis curis; cumque peregrino i. e. peregrinandi labore, itinerumque molestiis perfuncti, reduces domum et quidem salvi, postliminio aliquando convortimur? Perperam omnibus in libris interpunctum est, vitio maxime interrogationis, quæ ubique voci *curis* appensa legitur, nullo sensu: quis enim Latine dicat, 'curas solutas beatas esse,' ac non potius 'animum curis solutum?' *Dousa P.*

13 *Lydiæ lacus undæ*] Hic viri docti colonias nescio quas Tyrrhenorum somniant. Laudo conatum: sed sane longe aliud voluit poëta: neque ulla hic historia est. Nam si ita esset, legendum erat, *Lydii lacus undæ*. At falsa omnia sunt ista. Itaque aliud quærendum. Legendum enim *Salvete vosque ludiæ lacus undæ*. Ludius proprie est ὀρχηστής. Ovid. 'Ludius æquatam ter pede pulsat humum.' Stat. 'Hoc plaudunt grege ludiæ tumentes.' Prudent. 'Saltat Tonantem tauricornem ludius.' At ubique semper hoc nomen per ypsilon scribitur, male: adeo ut eximius vir Adrianus Turnebus graviter peccaverit, qui vult apud Statium 'Lydias tumentes' dici, quia Lyde apud Juvenalem dicitur 'turgida:' quasi Lyde idem sit cum Ludia: alterum Latinum purum putum est; alterum Græcum λυδὴ proprium. At 'ludius,' ut jam dixi, 'saltatorem' significat: unde eo nomine Luperci dicti, quod per totam urbem discurrerent saltitando: auctor Tertullianus. Hinc Plautus: 'Pessuli heus pessuli, vos saluto lubens: Fite caussa mea ludii barbari, Sussilite, obsecro, et mittite istam foras.' Varro R. R. lib. III. 'Quum insulas ludianorum choreusas vidisses.' Lege, 'Quum insulas ludiano ritu choreusas vidisses:' hoc est, ὀρχηστῶν δικὴν χορευούσας. Hinc duæ stellæ in cauda Cynosuræ, quæ præcedunt ultimam, dicuntur Græce χορευταὶ, quia circa ultimam moventur, *Ludentes* autem ab Interprete Germanico. Ludius igitur et Ludens ὀρχηστὴς, χορευτής. Glossæ, 'σατυριστὴς, ὁ σκηνικὸς, *Ludio*.' Hic igitur ludiæ undæ dictæ, quæ perpetuo motu agitantur. Nemo paulo doctior negaverit hunc sensum Catulli fuisse. Itaque totam Lydiam cum Tyrrhenis missam faciamus. Quibusdam tamen non probatur, ut solet. *Scal.*

CARMEN XXXII.

1 *Amabo mea dulcis Hypsithilla*] Hypsithea, Græcum ὑψιθέη· ὑποκοριστικὸν Latinum *Hypsithilla*. Non est ergo ut Turnebi sententia hic locum habeat, qui *Hospitilla* legit. *Scal.*

Illud adjuvato] Ita etiam Cic. in Epist. ad Att. locutum memini. Plautus Prologo Pœnuli: 'Valete atque adjuvate, ut vos servet salus.' Petronius: 'Quod si non adjuvissetis de hac medicina, quam peto, jam parata erat in crastinum turba.' At Turnebus hoc mutare voluit: et legendum censet, *adjubeto*: male. Ultimum autem versiculum pene ad verbum exprimit ille in Cyclope Eurip. Ἐπεκπιὼν γάλακτος ἀμφορέα, πέπλον κρούω. *Idem.*

4 *Adjuvato*] Id est, addito operam. Plautus in Pænulo: 'Valete, atque adjuvate, ut vos servet salus.' i. e. addite operam, adnitimini pariter,

atque in eam curam cogitationemque incumbite. Errant igitur qui hic *adjubeto*, monstrum verbi, substituunt. *Dousa P.*

CARMEN XXXIII.

3 *Nam dextra pater inquinatiore*] Qui in hoc versu *Voraciore* reponunt, et in altero *Inquinatiore*, tantum eos rogabo, ut resipiscant, et patiantur receptam lectionem antiquum jus suum obtinere, et quod in altero versu τὸ *Voraciore* eos offendat, discant prius, quam alios docere instituant. Discant, inquam, quare βαλανοβόρον vocavit Diogenes adolescentem θηλυδρίαν. Nam quis dextram voracem diceret? *Scal.*

Nam dextra, &c.] Cum ita in aliis omnibus editionibus legebatur, Carrion transpositis comparativis rescribendum asseverare non dubitat, *Non dextra pater est voraciore Culo filius inquinatiore*. Argute quidem ille, cæterum non credo a Catullo unquam ita scriptitatum fuisse; atque eo minus, quod hoc ipsum loquendi genus in re prorsus consimili videam usurpatum a Martial. lib. II. Epigr. 51. 'Infelix venter spectat convivia culi, Et semper miser hic esurit, ille vorat.' *Dousa P.*

CARMEN XXXIV.

3 *Dianam pueri integri*] Quum deesset hic versus in manuscriptis, εὐστοχώτατα hunc suppleruut docti viri: neque puto aliter Catullum scripsisse. *Scal.*

22 *Romulique Antiquam, ut solita es*] Vetus scriptura: *Romulique Antique:* lege, *Romulique, Ancique*. Romulus et Ancus reges Romæ. Quoties hic acciderit, ut C, et T se commutaverint, longum esset in unum ostendere. Gens Romuli et Anci, est Populus Romanus. *Idem.*

23 *Ancique*] Apud Veteres Romanos non modo 'Di boni,' 'Deæ bonæ,' 'bonæ preces,' 'bona verba,' et similia; sed etiam 'boni viri,' 'bonæ feminæ:' adpellatione, quam vulgus opinatur secretiore. Apud Ennium Ann. lib. III. 'Bonus Ancus;' ut et apud Lucret. 'Lumina sis oculis etiam bonus Ancu, reliquit:' quos imitatus Catullus hoc Carm. Secul. et inibi potius legendum existimo *boni* quam *bona*. Addo, solere Regibus 'Boni' Epitheton adtribui, quo monerentur, quid maxime ab iis exspectandum esset civibus. *Merula.*

CARMEN XXXVI.

1 *Annales Volusi cacata charta*] Ita dicebatur de omnibus ridiculis scriptis. Seneca, 'Annales Tanusii scis quam non dedecores sint, et quid vocentur.' Innuit Seneca Annales Tanusii eadem appellatione exagitatos, qua Annales Volusianos. Martialis, 'Scribat carmina, quæ legant cacantes.' Annales Volusii poësim fuisse, non prorsam orationem, quales Ennianos

et Furii Bibaculi, ex hoc ipso Epigrammate colligimus. *Scal.*

3 *Sanctæ*] Forte *sancte.* Livin.

6 *Electissima*] Scio et e malis eligi posse pessime, puto tamen legendum *Scelestissima.* Sic infra vocat nefaria scripta, et orationem plenam veneni et pestilentiæ. *Passer.*

7 *Tardipedi Deo daturam*] Nescio, an Catullus dixerit, illa vovit daturam. Melius *datura. Vovit datura:* ut, 'Ait fuisse navium celerrimus.' Propert. 'Visura et quantus nunquam sperasset Ulyssem.' Vulgaris lectio tamen Latina est. Tibull. 'Juravi quoties rediturum ad limina nunquam?' *Scal.*

8 *Infelicibus*] Veteres soliti fuerunt plerumque prodigia et portenta sic procurare, ut exurerent lignis infelicibus: Macrob. lib. III. Sat. c. 20. 'Arbores,' inquit, 'quæ inferum deorum avertentiumque in tutela sunt, eas infelices nominat:' subjiciturque 'quibus portenta, prodigiaque comburi jubere oportet.' Græci ea spinosis lignis, quæ infeliciora videbantur, comburere solebant, et cinerem in profluentem projicere. Ergo Catulli puella, ut malum quoddam prodigium, voverat se crematuram versus optimos Volusii lignis infelicibus, eaque latet in Epigrammate arguta lascivia. *Turnebus.*

10 *Jocose et lepide vovere divis*] Copula *et* addita a correctoribus; nam libri scripti non habent, ne antiquæ quidem editiones. *Joco se* autem duabus vocibus non una legendum. Hic est argutia Epigrammatis. Inter Catullum et Lesbiam dissidium intervenerat. Lesbia joco vovit Veneri, si reconcilietur sibi Catullus, se Annales Volusii illi crematuram. Catullus, qui illius poëtæ annalibus iniquior erat, quod puella joco voverat, id uti serio fieret, effecit: atque amicæ in gratiam rediit. Venustum sane argumentum, et elegantia Catulli dignum. Nam totus, ut dixi, nodus erat in illa voce *Joco.* Repetitur autem bis *se se,* more Græcorum, præsertim Atticorum, ut ego innumeris locis apud Demosthenem notavi. Euripides Phœnissis. *'Εμοὶ μὲν, εἰ καὶ μὴ καθ' ἑλλήνων χθόνα Τεθράμμεθ', ἀλλ' οὖν ξυνετά μοι δοκεῖ λέγειν.* Hic enim *τὸ ἐμοὶ* repetitur eodem modo, quo hic *se.* Scal.

12 *Uriosque apertos*] Hos, nisi fallor, Strabo Uxios appellat: apud quos *ἀφροδίτη ἀναῖτις* colebatur, ut in alterutro vitium esse necesse sit. At quid voluit Turnebus, quum *Marios* legit? oblitus enim pedis ponit dactylum pro trochæo. *Idem.*

16 *Acceptum face*] Tertullianus dixit, 'Accepto facere,' non 'Acceptum,' libro de pudicitia: 'Quanto delicta ista ante lavacrum accepto facit, tanto post lavacrum inremissibilia constituit.' *Idem.*

19 *Pleni thuris*] Hæc est lectio, quæ invenitur non solum in nostro scripto, sed et in antiquis editionibus. Notum Persianum: 'nec scombros metuentia carmina, nec thus.' Horat. 'Deferar in vicum vendentem thus et odores.' Martial. 'Et thuris piperisque sis cucullus.' Athenæus de Anaxandride poëta: *πικρὸς δὲ ὢν τὸ ἦθος ἐποίει τι τοιοῦτο περὶ τὰς κωμῳδίας· ὅτε γὰρ νικώη, λαμβάνων ἔδωκεν εἰς τὸν λιβανωτὸν κατατεμεῖν.* Sed et *ruris* legi potest, præsertim, quum sequatur *inficetiarum:* melius enim hæc inter se conveniunt. Sic Græci *ἀγροῦ πλέως.* Glossæ Hesychii: *ἀγροῦ πλέως, ἀγροικίας πλήρης. Idem.*

CARMEN XXXVII.

1 *Taberna*] Tabernæ Romæ per pilas designabantur: nam cuique tabernæ sua pila adponebatur; et cum pilæ essent faciliores prospectu, quam tabernæ, per pilas tabernæ numerabantur, ut hoc loco Catull. qui hic significat nomen tabernæ a Castoris templo. *Ramirez.*

6 *An continenter*] Illud *continenter* Heroici Poëtæ ἐπισχερὼ dicunt, ut ἐπισχερὼ ἑδριάασθαι· quod hic quoque dicitur: imo duo hi versus ad verbum heroico et carmine et charactere reddere possumus: Νήπιοι, ἦ ῥ' ὅτι δὴ ἑκατόν τε διηκόσιοι τε Λεσχηνευόμενοι καὶ ἐπισχερὼ ἑδριάασθε. Nam sedere hic est καθεζόμενον λεσχηνεύεσθαι. Taberna, quam vocat, est λέσχη, ad quam jocandi et confabulandi gratia conveniebant: ut alibi, 'Oramus, si forte non molestum est, Demonstres, ubi sint tuæ tabernæ.' Hesiodus, καὶ ἐπαλέα λέσχην. *Scal.*

Continenter] Id est, ordine perpetuo, et quasi in lineam continuato frequentes: vel potius, spissiore velut orbe facto in unum pariter conglobati, quasi in velabro olearii de compacto gerentes omnia. *Dousa P.*

8 *Me una ducentos*] Flagitiosum verbum, quo hic utitur, nihil habet flagitii, quod ad istam quidem sententiam spectat: est enim ἐνυβρίζειν. Sic supra, 'O Memmi bene me,' &c. Quem ἐνυβρισμὸν intelligat, subjungit. 'namque totius vobis Frontem tabernæ scipionibus scribam.' Nam si quis flagitium hic intelligit, multum a sententia Catulli abhorret. *Scal.*

9 *Namque totius vobis Frontem tabernæ*] Si Synecdochicῶs tabernam accipimus, eodem modo intelligemus tabernam scipionibus scriptam, quomodo apud Aristophanem: 'Απόλωλα δειλὸς στιζόμενος βακτηρίᾳ. Nam στιζόμενος βακτηρίᾳ dictum, ut hic *scipionibus scribam.* Sed non ita est. Nam frons tabernæ sine ulla figura simpliciter ponitur. Tertullianus de Anima: 'Ipsi postremo philosophi, ipsique medici, quanvis de animo quoque disputarunt, faciem tamen operis, frontemque materiæ de anima unusquisque proscripsit.' Alludit enim Tertullianus ad illos, qui rerum promercalium titulos in fronte tabernæ proscribunt. Minatur haud dubie Catullus, se 'elogiorum carbonibus,' ut Plautus loquitur, 'frontem tabernæ scripturum.' *Idem.*

10 *Scipionibus scribam*] *Scipionibus*, præustis scilicet. Nam frons tabernæ omni statura humana editior non poterat pingi carbone, quia manus Catulli illam propter altitudinem contingere non posset. Igitur, quod solet, longis *scipionibus* obustis, vice carbonis, se famosum carmen tabernæ inscripturum minatur. *Idem.*

Scipionibus scribam] Illud Plaut. Merc. Act. II. sc. 2. 'Implere fores elogiorum carbonibus' dixit. Solebant quippe veteres, quos diffamare vellent, eorum, imprimis lenonum et meretricum, ædium fores hujusmodi elogiis, hoc est, dicteriis probrosis pingere, et quidem carbone, aut semiusto stipite literis ductis. Etiam amatores ab amatis duriter nimis excepti fores horundem depingebant. Ovid. Am. III. el. 1. Gruterus existimat id fieri, face exstincta. Jam enim diu est quod Lipsius docuit, amantes cum non reciperentur a puellis intra ædes, deficientes faculas sub auroram ad ostium abjicere solitos. Sed hoc fuerit patientiorum: calidiores accensa etiam lumina ostio illidebant, et minitabantur exustio-

nem domus: ut Pers. IV. 4. Inter hos medii erant, quibus sufficiebat januas amicarum calcibus impetere, aut ferro incidere, aut conscribillare extincto titione.

13 *Magna bella pugnata*] Noster codex, *bella parata*. Fortasse scripsit Catullus *patrata*. Scal.

16 *Omnes pusilli*] Post hunc versiculum sequuntur illi in veteribus scriptis: *Tu præter omnes*: et recte. Itaque eos suis sedibus sollicitare noluimus. *Idem*.

Semitarii mœchi] Pro scortatoribus vilissimis in agrorum semitis sub dio scortilla subigentibus dicuntur. Contra 'devium scortum,' non prostitutum in propatulo omnium libidini, sed honestius, minusque vulgare ab Horat. Carm. II. 11. 21. dicitur. *Turneb.*

17 *Une de capillatis*] Hispani enim capillati, non tonsi etiam sæculo Martialis: 'Hispanis ego contumax capillis.' *Scal.*

18 *Cuniculosæ Celtiberiæ fili*] Antiquiores Catulli codices aut hiatum hoc loco ostendunt, aut ita legunt, *Celtiberosæ Celtiberiæ fili*. Sic quoque habent omnia vetusta Prisciani exemplaria duobus aut tribus locis verba hæc citantis. Ego non dubito quin Catullus scripserit, *Celtis perosæ Celtiberiæ fili*. Is. Vossius ad Melam p. 233. Nihil muta. 'Cuniculosa' dicitur Hispania, quod in leporino genere cuniculus olim Hispaniæ fuit prope peculiaris. Varro de R. R. III, 12. 'Tertii generis est quod in Hispania nascitur simile nostro lepori, ex quadam parte, sed humile, quem cuniculum appellant.' Vid. Ælian. de Anim. XIII, 15. Plin. VIII, 55, 58, 59. Strab. lib. XIII. *Bochard.*

CARMEN XXXVIII.

1 *Cornifici*] Meminit Ovid. 'Et par Cornifici, parque Catonis opus.' Fuit æmulus Virgilii in quem ejus hic versiculus: *Ordea qui dicit, superest ut tritica dicat*. Auctor Cledonius Grammaticus. Huic cognomen fuit Gallus. *Jos. Scaliger* in Euseb. p. 160.

3 *Et magis magis in dies, et horas*] Transpositio facta est versuum hoc loco. Nam post hunc versiculum sequi debebat, *Irascor tibi*, sic: *Et magis magis in dies, et horas. Irascor tibi, sic meos amores. Quum tu, quod minimum facillimumque est, Qua solatus es adlocutione? Paulum quidlibet adlocutionis Mœstius lacrimis Simonideis.* Irascor, inquit, tibi te ita puerum meos amores accepisse. Quem puerum quo solatus es colloquio? Parum quidpiam consolationis adhibuisti: si modo ea est consolatio, quæ tristior est threnis Simonidis. Hæc est vera hujus poëmatii difficultatum explicatio. Nam omnis difficultas inde nata, quod, *meos amores* non accipiebant de puero, quem Cornificius mœstum consolatus non erat. Idcirco facta erat transpositio. *Scal.*

CARMEN XXXIX.

5 *Quum flet unicum mater*] Cicero ad Pætum: 'Patriam eluxi jam et gravius, quam ulla mater unicum filium.' *Scal.*

11 *Aut parcus Umber*] Jam notum studiosis, olim adolescentes nos hic *porcus* pro *parcus* legisse. Ea emendàtio nostra confirmatur Lexico P. Danielis, cui parile ego vidi in Monasterio Vindocinensi. In eo Glossario antiquo hic versus producitur cum interpretamento, 'id est, graffus, pinguis.' *Idem.*

14 *Lavit*] 'Lavere, -vit' pro 'lavare, -vat.' Multa commemorat Nonius hujusmodi verba; quæ et primi sunt ordinis et tertii. Ex quo genere sunt et hæc apud Festum minus nota ut. 'Desinare:' sic enim leg. 'fodare:' apud Terent. 'Comare,' 'Pinsere,' Pers. Sat. I. *Gifanius.*

16 *Nam risu inepto*] Versus παροιμιώδης Græcorum: Γέλως ἄκαιρος δεινὸν ἐν βροτοῖς κακόν. *Scal.*

Nunc Celtiberus] Scriptus liber, et veteres editiones: *Nuno Celtiber ex Celtiberia in terra.* Lege, *Nunc Celtiber in Celtiberia terra.* Nam metaplasmo isto usi sunt veteres. Horat. 'Discet Iber, Rhodanique potor.' Lucan. 'occurrat Iberius alter.' Silius, 'Omnis Iber, omnis Latio sub nomine miles.' Idem, 'Omnis Iber, omnis rapidis fera Gallia turmis.' Idem, 'ceditque loco Libys, et omnis Late cedit Iber.' Sic eodem Metaplasmo dicebant 'Illuribus et Megaribus:' ut Plautus. *Idem.*

19 *Atque ruffam*] Olim adolescentes *Russam* ex Apuleio reposuimus. Hunc autem spurcum morem præter Strabonem notat et Diodorus libro quinto: Παρ' ἑκάστην τὸ σῶμα λούουσιν οὔρῳ, καὶ τοὺς ὀδόντας παρατρίβοντες τούτῳ, ἡγοῦνται θεραπείαν εἶναι σώματος. *Idem.*

Russam] 'Russum' et 'russeum,' 'rubrum' dicebant. Glossis κοκκινον. Verbum vetus et egregium, sed plerisque locis ita male acceptum, ut malæ tractationis in Grammaticorum comitio agere jure possit. *Gifan.*

CARMEN XL.

1 *Quænam te mala mens*] Omnino huic simile illud ex epodis Archilochi: Πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε; Τίς σὰς παρῄειρε φρένας; *Scal.*

2 *Agit præcipitem*] Præcipitem in meos iambos, Lucianus dixisset Περιπετῆ τοῖς ἰάμβοις. Sic enim, ἐν τῷ περὶ ἀποφράδος, de Archilocho loquens: Μηδὲν ὀκνοῦντα ὀνειδίζειν, εἰ καὶ ὅτι μάλιστα λυπήσειν ἔμελλε τοὺς περιπετεῖς ἐσομένους τῇ σχολῇ τῶν ἰάμβων αὐτοῦ. *Idem.*

CARMEN XLI.

1 *Acme illa, illa puella*] Vetus scriptura, *A meum.* Recte. *A* pro *Ah* semper in hoc libro exaratum fuit. *Ah me.* οἴμοι. Supra, 'quod esurire Ah meme puer, et sitire discit.' At docti viri Acmen Septimii hic imaginati sunt: et decoctorem Formianum Septimium intelligunt. ἔναντιο τῆς εὐστοχίας. *Scal.*

2 *Tota millia*] Durum *tota millia;* quamvis exponi possit, ne nummo quidem minus. Sed malo ita interpungere. *Acme illa, illa puella defututa Tota, millia me decem poposcit.* Passer.

4 *Decoctoris amica Formiani*] Ma-

murræ. Infra postea: 'Salve nec nimio puella naso, Decoctoris amica Formiani.' *Scal.*

8 *Solet hæc imaginosum*] Verbo *solet*, infinitivum non subjungebant veteres Latini. In Epigrammatis, 'Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant Mœchi.' Subaudiendum μοιχεύειν. Plautus Cistellaria, 'Quæ cum viris suis prædicant nos solere.' Non est obscurum quid subaudiatur. Hic *solere imaginosum* est, solere imaginosum morbum ægrotare. Imaginosus morbus est φρενῖτις, quum φαντάσματα animo occurrunt. De quo satis Celsus libro tertio, et Cælius Aurelianus. Alius est morbus imaginosus κορυβαντιασμὸς Græcis dictus, cujus medicini libri mentionem non faciunt. Imagines sunt sonores, quales tinnitus, quibus aures nostræ personantur: unde ἤχους Græcorum Latini vertunt imagines. Horat. 'cujus recinet jocosa Nomen imago.' Varro de Apibus, 'sonorum imagines,' hoc est, ἤχους. Οἱ κορυβαντιῶντες videbantur sibi semper aures musica et carminum sonoribus personari. Plato Critone: Ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν. Item: Ταῦτα, ὦ φίλε ἑταῖρε Κρίτων, εὖ ἴσθι, ὅτι ἐγὼ δοκῶ ἀκούειν, ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν, καὶ ἐν ἐμοὶ ἡ αὐτὴ ἠχὴ τούτων τῶν λόγων βομβεῖ, καὶ ποιεῖ μὴ δύνασθαι τῶν ἄλλων ἀκούειν. Qui autem hoc morbo laborant, insomniis et vigiliis vexantur, aut saltem patentibus oculis dormiunt. Semper enim illis imaginibus intentum animum habent. Unde eos, qui patentibus oculis dormiunt, Corybantiare dicebant, hoc est, κορυβαντιᾷν. Quicunque enim patentibus oculis dormiunt, intutum somnum propter imagines et sonores habent; quod superstitiosa vetustas a Corybantibus immitti credebat. Plinius loquens de oculis animalium, 'Dormiunt et quidam patentibus, quos Corybantia regrediunt.' Hæc est veterum Plinii manuscriptorum lectio, ex qua monstrum ipsis Corybantibus formidolosius confinxit princeps harum literarum Adrian. Turnebus, quum legit, 'quos Corybantia regrediuntur.' Putavit nostræ ætatis doctissimus vir posse Latine dici, 'Medicina salutem regreditur ægris:' quia scilicet apud Ennium legerat 'regredi gressum:' quum ibi sit eodem modo dictum, quo, 'currere cursum,' 'servitutem servire,' et similia. Deinde fœdissime lapsus est, quum putavit a Corybantibus morbum illum sanari, qui contra a Corybantibus immitti vulgo putabatur. Sed indubitata emendatio est: 'quos corybantiare credunt.' Qui enim patentibus oculis dormirent, putabantur imaginosum pati, idque a Corybantibus immitti. Alii scripti codices Pliniani habent: 'quas Corybantias Græci dicunt.' optime, modo 'quos' non 'quas' legeris: ut ii homines κορυβαντίαι dicti fuerint. Nam verum est, qui hoc imaginoso morbo conflictantur, insomnio, aut saltem levi somno vexari, neque oculos illis claudi etiam dormientibus. Varro Prometheo, 'Levisomna mens sonorinas imagines Adfatur: non umbrantur somno pupulæ.' Quibus versibus quid aptius excogitari potuit ad Plinium explicandum? Nam in illis versibus sonorinæ imagines sunt ἦχοι ἔναυλοι, et manifesto indicat imaginosis seu κορυβαντιῶσι non umbrari somno pupulas, quod de patentibus oculis jam Plinius dixerat. Qui in verbis Varronis legunt, 'somnorinas,' a somno, ostendant mihi, ubi legerint somnorem pro somno. Nugæ. Igitur, *Solet imaginosum*, hoc est, κορυβαντιᾷ, nisi mavis, φρενιτιᾷ, interpretatione, quam primo loco posuimus. Memineris ergo τὸ *solet imaginosum* sine infinitivo alterius verbi dictum, ut supra ex Plauto docuimus, 'Quæ cum viris suis prædicant nos solere.' Honeste enim hæc subintelliguntur. Sic

apud Euripidem Iphigenia in Aulide, ὡς ἔτυχε Δῆδ' ὄρνιθι ἱπταμένῳ, supple μιγεῖσα. Turnebus legit, *nec rogare Qualis sit, solet hæc imaginosum:* et amicus noster imaginosum pro speculo sumit, quod Catulli interpretes omnes jam ante eum fecerant. Frustra. *Idem.*

Imaginosum] Corybantas inter insaniæ genera ab Aretæo medico vetustissimo relatos esse jamdudum lib. III. Var. Lect. indicavimus, et quamquam credamus, ejusmodi ægrorem imaginosum a poëta vocari, quod qui eo teneantur, sonitus atque cantus audire videantur, ut ex Platone comprobavit Scaliger; attamen minime asserendum ab ipso fuit, medicos hujusmodi morbum aut ignorasse, aut tacuisse, cum Galenus lib. περὶ διαφορᾶς συμπτωμάτων, c. III. referat Theophilum quemdam medicum imaginatione ita laborasse, ut putaret tibicinas quosdam in angulo domus assiduo sonare et pulsare, et propterea illos expelli postularet. Catullum autem potius tertium insaniæ genus a Celso propositum nobis designasse existimo, de quo is lib. III. c. 18. loquens ita scribit. Tertium insaniæ genus est ex his longissimum, adeo ut vitam ipsam non impediat, quod robusti corporis esse consuevit. Hujus ipsius species duæ sunt: nam quidam imaginibus, non mente falluntur, qualem insanientem Ajacem vel Orestem poëtarum fabulæ ferunt: quidam animo desipiunt. Nam phrenitim non intelligi a poëta ex eo puto, quod semper cum febre sit, quam enim in muliere alioqui sana non finxisse par est. Fallitur in eo quoque Scaliger, quod *Corybantismum* putet esse morbum a Græcis vocatum ἄγρυπνον κῶμα, quoniam in hoc languentes oculis quidem apertis manent a variis imaginibus occupati; at quod cantus, aut sonitus sentiant, a nemine medicorum scriptum, a nemine observatum est, cum hujuscemodi ægri non loquantur. Quapropter miror quoque Plinium, si tamen ita scripsit, lib. XI. c. 37. dixisse, 'oculis apertis dormire,' 'Corybantiam' Græcos dicere, cum non sit quemquam invenire apud Græcos hujusce sententiæ auctorem; neque morbo ulli adaptari possit, quod Plinius aliquibus hominibus sanis quasi ex natura contingere narrat. *Mercurial.*

CARMEN XLII.

4 *Et negat mihi vestra redditurum*] Puto Catullum scripsisse, *reddituræ:* vide supra; 'vovit datura.' Quanquam vulgatam lectionem scimus probam esse. *Scal.*

6 *Si pati potestis*] Lego et distinguo ex conjectura: *sic pati potestis?* Meleager.

7 *Illa quam videtis, &c.*] Nihili ista est distinctio, et mirum adeo doctos viros nihil hactenus mutasse. Haud dubie vero sic distinguendum: *illa, quam videtis Turpe incedere, mimice ac moleste Ridentem catuli ore Gallicani:* ita ut τὸ *mimice ac moleste* referatur non ad incessum, sed ad risum. *Idem.*

8 *Turpe incedere*] Jamdudum docti viri hic *mimice* legunt: quod valde placet. Sic Seneca libro septimo Declamationum: 'Nihil est tam mimicum, quam manifesta præparatio.' Ego admodum adolescens legebam, *ritmice:* ita enim scribebant pro *rithmice.* Et fortasse non omnino male conjiciebam. Sic Petronius, 'Quo incessus tute compositus, et ne vestigia quidem extra mensuram aber-

rantia, nisi quod formam prostituis, ut vendas?' Illa vero, *Quod si nil aliud potest, ruborem Ferreo canis exprimamus ore, Conclamate iterum altiore voce.* Illa, inquam, hoc significant: Quod si nil aliud potest efficere, ut exprimamus ruborem: et ita, uti distinximus, legendum. Subauditur enim 'ut.' Sic in illis: 'Utor tam bene, quam mihi pararim:' subauditur, 'si;' quam si mihi pararim. *Scal.*

Mimice] Nihil est id quidem, atque adeo plane mimicum. Nam *myrmice* rectum est et sanum utque Plautus 'Formicinum gradum' vocat, sic hoc loco, *myrmice incedere,* nil est aliud, quam vix pedem pedi præferre et moleste ambulare. *Dousa P.* Nihil poterat fingi absurdius. Apage istud *myrmice*, Græcis Latinisque ridendum, ac retine cum doctis illud. *mimice.*

Ridentem catuli, &c.] Est turpiter ac late inter ridendum os diducere, ut patulus erat oris rictus canibus Gallicis venaticis. *Turneb.*

17 *Ferreo ore*] Duro, ut impudentem Veteres dicebant. Terent. Eunucho. Ovid. 'Plus isto duri si precer oris ero.' *Livin.*

CARMEN XLIII.

1 *Salve nec minimo*] Noster liber melius, meo judicio, *Salve nec nimio.* Indicat enim pæne nullum nasum habuisse. Propterea alibi dixit esse turpiculo naso. Neque enim de immani naso turpiculum dixisset. *Scal.*

6 *Ten' provincia*] *Provincia* est, Provincia Gallia, cujus pars Transpadana, in qua et amica Mamurræ et Catullus, quum hæc scriberet, erant. Ibi enim Mamurra præfectus fabrorum Cæsaris erat; quod supra ex Plinio attigimus. *Idem.*

CARMEN XLIV.

1 *Seu Sabine seu Tiburs*] Auctor vitæ Horatii, 'Vixit plurimum in secessu ruris Sabini aut Tiburtini.' Non quod duo prædia habuerit; sed quod id prædium in confinio agri Tiburtini et Sabinorum situm esset, ut dubium foret ad quam regionem pertineret. Sic Horat. II. Sat. 1. anceps esse scribit, num Appulus, an Lucanus ipse sit: nimirum quod Venusia, cum in finibus utriusque regionis sita esset, an ad Lucanos, an ad Appulos pertineret, incertum foret. *Rutgersius.*

7 *Malamque pectore expuli tussim*] Recte docti homines, quicunque illi fuerunt, divinarunt ex illis corruptis, quæ extant in manuscriptis, *aliamque petere expulsus sum.* Mallem tamen *expui tussim:* neque aliter scripsit Catul. Terentius Eunucho, 'Quasi ubi illam expueres miseriam ex animo.' Illud autem *petere*, præfert antiquitatem et bonitatem libri. Nam *pectere* pro *pectore* antiquo more scriptum erat, ut alibi 'fulgeret' pro 'fulguret.' *Scal.*

8 *Non immerenti*] Jam ante quadraginta annos plus minus, docti viri veram lectionem eruerunt, *quam mihi meus venter.* Idem.

15 *Et me recuravi*] Noli dubitare quin Catullus scripserit, *et me procuravi.* Primam enim corripit. Tibullus, 'Ipse procuravi, ne possent sæva nocere Somnia.' Attius Annalibus:

'Excercent epulas læti famulosque procurat Quisque suos.' Quod qui dubitabant, locum corruperunt. Plautus dixit 'se in lecto procurare.' Pro *ocimo* vetus scriptura habet *otio;* quod negligendum non est, quanquam *ocimo*, quod reposuerunt docti viri, non displicet. *Idem.*

CARMEN XLV.

7 *Cæsio veniam obvius leoni*] 'Cæsium' hic pro glauco accipi, et cur cæsium fulgorem leoni tribuerit Catullus, docte explicat Julius Scaliger in Exoteric. Exercit. CCCXXV. Sect. 15. Ubi quod idem scribit et colore et sævitia similes esse παρδάλεις, confirmari potest Simonidis versibus apud Galenum περὶ ἄρθρων. *Dousa F.*

8 *Hoc ut dixit, Amor sinistra, ut ante*] Locus corruptus ex eodem versu qui infra legitur. Nam jam primum *Amor dextram sternuit approbationem:* quomodo ergo convenient illa verba *ut ante?* Fortasse, *Hoc ut dixit, Amor sinistra inante, Dextram sternuit adprobationem. Inante* ἔμπροσθεν apud Propert. Hæc lectio videtur vera. At infra post Acmen, recte ponitur, *ut ante:* quia jam semel Septimio hoc factum est. Quare merito illum locum corruptum putamus. *Dextram adprobationem* legendum præter veteris scripturæ auctoritatem probat et Latinitatis ratio. Propert. 'Aridus argutum sternuit omen amor.' *Scal.*

Amor sinistra, ut ante] Recte notat Scaliger ista verba, *ut ante*, hic locum non habere, quoniam hoc primum est sternutamentum neque aliud præcessit. Emendo itaque *amanti.* Librarii in sequentibus iteratis versibus legerant: *Amor sinistra, ut ante:* ideoque ad eandem faciem hunc versum reformandum statuerunt, et ex *amanti* fecerunt *ut ante.* Meleager.

10 *At Acme*] Leg. Laurenb. *Ad Acme leviter caput:* pro *At:* ut apud Sallust. Orat. Cottæ Cos. 'Ad contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere.' Sic contra 'at' pro 'ad.' Cic. lib. II. Ep. ad Salust. 'At quem intelligebat ejus belli periculum spectare.' Lucret. lib. v. 'At sedare sitim fluvii fontesque vocabant,' id est, ad sedandum.

14 *Huic uni domino*] Vetus scriptura *uno*, ἀρχαϊκῶς. *Scal.*

22 *Mavolt, quam Syrias Britanniasque*] Solenne Romanorum provincias numero plurali enunciare. Propert. 'Dic alias iterum naviget Illyrias.' Sed et Græcis aliquando. Homer. ἐκ μὲν Κρητάων γένος εὔχομαι εὐρειάων. Has vero blanditias, quibus nihil elegantius fingi potest, a poëta εἰρωνικῶς referri, unde colligat, et qua via nobis persuadere possit vir disertissimus, equidem nullus video. Ut enim ab amantibus dicta, hoc est, sincere et ex animo, ita bona fide a poëta relata minime dubito. Nos vero totum hoc amatorium argumentum olim ab Hendecasyllabis blanditiarum præconibus, ad elegos amorum ministros transtulimus. Siquis tanti facit, ut legere non dedignetur, neque nobis grave erit communicare. 'Acmen Septimius teneros complexus amores, O Acme mea lux delitiumque meum, Ni misere te, dixit, amo, ni perdite amare Discupio vitæ tempus in omne meæ, Quantum qui potis est capitis discrimen adire Plurimum, et immanem perniciem oppetere; Solus apud Libyas, vel tostos æstibus Indos Occurram fulvis obvia præda feris. Hæc effatus ubi, læva de parte, secundis Alitibus, dextrum sternuit omen Amor. Ast Acme resupina caput, puerique lacessens Ebria purpureis lumina suaviolis, Sic, inquit, mea vita, meus lepor, huic Domino uni, Huic devoti omni tempore simus, ait,

Ut mihi vividior molles est flamma medullas, Acrior et misto gliscit amore furor. Hoc postquam effata est, læva de parte, secundis Alitibus, dextrum sternuit omen Amor, Nunc bono ab auspicio, faustis avibusque profecti, Mentibus unanimis mutua amantur, amant. Unam Septimius nunc mavult saucius Acmen, Quam Syrias, aut quæ regna Britannus habet. Uno in Septimio totis nunc sensibus Acme Perdita conspirat, delitiasque facit. Quis par candidius teneroram vidit amantum? Aut fuit auspicio quæ meliore Venus?' *Idem.*

CARMEN XLVI.

1 *Jam ver egelidos*] Catullus decedens provincia Bithynia, fratre ejus languorem nacto, coactus est in Troade subsistere: ubi fratrem ex morbo amisit, eumque ibi tumulavit. Post exequias fratris vere novo solvens hoc epigramma composuit. In Bithynia vult hoc carmen scriptum vir eloquentissimus. A quo dissentimus. Illene exequias fratris? Ridiculum. *Scal.*

6 *Ad claras Asiæ volemus urbes*] Claræ urbes Asiæ sunt quatuor illæ præcipuæ, quas propterea a numero 'quadrigam Asiæ' vocat Propertius: Ephesus, Smyrna, Colophon, Miletus. Imo si credas Mimnermo, ne Miletus quidem est in Asia; sed ab Ionia ad Bithyniam, in qua erat Catullus, recte dicebatur Asia. Ejus versus hi sunt: Ἡμεῖς δ' αἰπύπυλον Νηλήϊον ἄστυ λιπόντες Ἱμερτὴν Ἀσίην νηυσὶν ἀφικόμεθα. Ἐς δ' ἄρα τὴν Κολοφῶνα βίην ὑπέροπλον ἔχοντες Ἑζόμεθ', ἀργαλέης ὕβριος ἡγεμόνες. Κεῖθεν δ' ἀστύεντος ἀπορνύμενοι ποταμοῖο Θεῶν βουλῇ Σμύρνην εἵλομεν Αἰολίδα. Sic Libyam Latine Africam vocamus: quum vera Africa sit, in qua Carthago, non in qua Numidia et Mauritania. *Idem.*

CARMEN XLVII.

1 *Porci et Socration*] Interpungendum puto, *Porci, et Socration, duæ sinistræ Pisonis, scabies famesque Memmi.* Significat enim eorum opera furari et compilare socios solitum esse Pisonem. Lævam esse furtificam notum ex Plauto, et Catullo ipso. *Passer.* Distinxeram: *Porci et Socratio duæ sinistræ Pisonis, scabies, &c.* 'duas' autem 'sinistras Pisonis' vocat, quod ei operam navarent. Sinistram enim furtis aptam esse, patet ex Catullo. 'Manu sinistra nox belle uteris:' h. e. furaris. *Meleager.*

2 *Famesque Memmi*] Ita liber noster: sed mendose. Quare viderint docti. Alii *Mandi:* alii *Mundi.* Omnino aliquod mendum latet. *Scal.*

Scabies famesque Memmi] Indicat Scaliger sub *Memmi* cubare mendum: id et ego sentio, Mss. præsertim vel *mundi*, vel *myndi*, vel *mandi* suggerentibus. Simplicius legendum puto. *Scabies famesque mundi*, quasi dicas 'Scabiosissimi et jejuniosissimi in mundo.' *Meleager.*

6 *De die facitis*] 'De die fieri' convivia dicebantur, quæ de meridie fiebant; tunc enim dies κατ' ἐξοχὴν sumitur pro meridie. Ut 'de mane' aliquid fieri dicebant, quod mane fiebat: sic 'de die,' quod meridie. Hinc Ciceronis dictum in homines gulæ et ventri deditos, 'de die,' et 'in diem eos vivere.' Corrigendus in hac re et loquutione sic Livius lib. xxv. 'Inde ubi id temporis visum, quo de die epulatis vini satias, principium-

que somni esset.' Hora quinta vel sexta epulari hoc 'de die epulari' vocabant, et convivia illud horæ agitata, 'tempestiva' dicebantur, a medio die ad mediam noctem trahebantur. *Salmas.*

CARMEN L.

3 *Ut convenerat esse delicatos*] Cave τὸ *Esse* ab *Edo* derivandum putes. Nam qui condicebant operam ad cœnam, ita dicebant: Una erimus hodie. Juvenal. 'Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto, Una simus, ait.' Terent. 'Dionysia hic sunt: hodie apud me sis volo.' Id est, apud me cænes. Post: 'Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum esset hodie amplius.' id est, ampliore cæna exciperetur: τὸ *Ut* autem est τοπικῶς dictum, ubi. Cicero in Arateis: 'ut prius illæ chelæ.' Aratus: ἧχι περ ἄκραι χηλαί. *Scal.*

18 *Nunc audax cavesis*] Præcipit μὴ μέγα φρονεῖν. Ne scilicet νεμεσητόν τι πάσχῃ. Hoc est enim, *Ne pœnas Nemesis reposcat a te.* Sic Græci quum aliquem supra modum felicem laudarent, ita dicebant, εὐτυχεῖς· φθόνος δ' ἀπέστω. Itaque plus est arguti sensus in hoc Epigrammate, quam primo limine quis inspicere possit. *Idem.*

19 *Despuas ocelle*] Noster scriptus *ocello.* Idem.

CARMEN LI.

1 *Ille mi*] Elegantissimum carmen ad Lesbiam est, in qua Sapphus suavissimam Oden expressit Veronensis Poëta, quæ comparare invicem ac contendere operæ pretium est. Nam et secundum versum totum adjecit de suo, et in tertio detraxit illud Ἀδὺ φωνούσας, cujus loco posuit *spectat*, quod in Græco non est. In nouo autem ac sequentibus sententiæ ordinem invertit plane ut non tam Latinam eam reddere, quam certare cum ea voluisse videatur. *Dousa F.*

11 *Tinniunt aures*] Recte liber scriptus, *Tintinant aures.* Afranius, 'Ostiarii impedimenta tintinare audio.' Nævius, 'Tantum ubi molle crepitum facient tintinabunt compedes.' Inde Tintinabulum. *Scal.*

CARMEN LII.

2 *Struma Nonius*] Victorino citatur non semel, 'Scrofa Nonius.' At est μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sed et Boëtius hallucinatur, qui Strumam non cognomen Nonii putat, sed convicium. Verba ejus ex Consol. Philos. lib. III. Pros. 4. 'Unde Catullus licet in curuli sedentem Nonium strumam vocat.' Cicero ad Att. lib. II. 9. 'Denique etiam Vatinii strumam sacerdotii dibapho vestiant.' Videtur eodem anno Consul designatus et Nonius Struma Prætor fuisse. Cicero in Vatiniana corrigendus: 'Si Strumæ deni-

que ab ore improbo dimigrarunt.' Lege, 'Si Strumæ denique ebore improbo dimigrarunt:' id est, sella curuli. Plinius XXXVII. cap. 6. 'Siquidem extat hodieque hujus generis gemma, propter quam ab Antonio proscriptus Nonius Senator est, filius Strumæ Nonii ejus, quem Catullus poëta in sella curuli visum indigne tulit.' *Scal.*

CARMEN LIII.

1 *In corona*] Papir. Palat. habet *et corona:* Comel. liber *e corona*, recte hoc posterius.' 'Homo' enim 'nescio quis e corona' dicitur ut 'puer e triviis' apud Tibul. ὁ τυχών. *Meleager.*

5 *Di magni salaputium*] Hæc est omnium antiquitus excusorum lectio; item noster ita habet: denique Senecæ exemplar non aliter clamat. Olim quid esset explicavimus. Nutrices pueros ita solent appellare. Festivissima conclusio hujus epigrammatis tota versatur in ea voce. Nam quum esset Calvus staturæ perexiguæ, ut testatur etiam Seneca, ille de corona, qui admiratus est Calvum recitantem, revera ac serio putavit Calvum esse puerum, non virum. Itaque erupit in exclamationem, in quam solebant nutrices, quum plausu pueros exciperent, o festivissimum, o lepidissimum salaputium. Itaque festivius, quam argutius est epigramma. Quantum autem iste locus Grammaticorum vulgus torserit, notius est, quam ut a me repetatur. Tantum hac in re, ubi multum sibi placere videntur, nobis ferendi non sunt. Calvum vero exiguum fuisse præter Senecam testatur et Ovidius: 'Par fuit exigui, similisque licentia Calvi.' Propterea salaputium, ut dixi, vocat. Græce, ut alibi docemus, πόσθων idem, quod Latine Salaputium. Idem erat et Pipinna, apud Martialem. Non audiendus summus vir Adr. Turnebus cum suo 'Calabotio,' quod hic nobis supponit. *Scal.*

Di magni salaputium disertum] In loco Catulli emendando, Salmas. nihilomagis est felix quam Scaliger. Ait namque, nullo tamen autore fretus, σαλοπύγιον vocari motacillam ἀπὸ τοῦ σαλεύειν τὴν πυγήν. Addit dein Catullum sic appellasse Calvum hominem pusillum et assidue subsultantem et fringutientem. Sed sane Calvus iste, si omnium Romanorum cum Cicerone disertissimus fuerit, non tam ridiculus fuit orator. Parum præterea urbanus et officiosus erga amicum suum fuisset Catullus, si tam obscœno vocabulo ipsum pupugisset. Miseret me non Turnebi tantum, ut inquit Scaliger, sed ipsius Scaligeri et Salmasii quod tales nugas produxerint, cum veram lectionem et jam ab aliis approbatam, ob oculos habuerint. *Di magni, Salicippium disertum.* Quid urbanius hoc dicto Catullo, quodque ne vel ipse Calvus male interpretari potuerit? Ipse siquidem cum cippum ascendit, ut constat ex Seneca, non inficiatus est staturam suam. Hoc Latinum vocabulum, dignum populo Romano, ac sensui Senecæ conveniens. Sed et antiquissimi codices hanc lectionem confirmant. *salii putum* habent veteres membranæ Senecæ. At vero optimus Catulli codex, qui olim fuit Commelini, manifeste hoc loco legit *salpiticium. Is. Vossius* in Melam. p. 219. *Salicipium disertum*, veram esse istius loci lectionem ex Senecæ suasoriis patet, quidquid alii dissentiant. *Heinsius* ad Ovid. Heroid. Epist. XVIII. vs. 102.

CARMEN LIV.

1 *Othonis caput*] Hic incipit Epigramma usque ad illud ad Camerium. 'Oramus, si forte non molestum est.' Est autem scriptum in quosdam ex decuria scribarum Cæsaris: postremo in ipsum Cæsarem invehitur. Quod Epigramma præter paucas maculas, quibus oblitum est, tantum abest, ut mutilum, aut ex diversis poëmatiis distractum sit, ut etiam non putem ullum stomachosius aut virulentius in toto Catullo extare. Videtur enim poëta ab officio Cæsaris læsus in Transpadana regione, ubi tum ipse et Mamurra erant, hæc scripsisse. Igitur totum adponam epigramma, ut et legendum et conjungendum censeo: *Othonis caput oppido pusillum Peri, rustice, semilauta crura, Subtile, et leve peditum Libonis: Si non omnia displicere vellem Tibi, et Fuffitio seni recocto. Irascere iterum meis Iambis Immerentibus, unice Imperator.* Nunc omnia singillatim explicanda. *Scal.*

Othonis caput] Sic in Prolusionibus Virgilianis, 'Superbe Noctuine, putidum caput.' Licinius Calvus, 'Sardi Tigelli putidum caput venit.' *Idem.*

2 *Peri rustice*] Ita minima licentia legimus, quum antea legeretur *Heri*. Nos *Peri* scribimus. Idque plane Græcorum ἔῤῥε, et φθείρου exprimit. Plautus Menæchmis, 'Seu tu Cylindrus seu Coriendrus, perieris.' id est, ἔῤῥοις. Est autem post *rustice* τελεία στιγμή. Nam *rustice*, non *rustica*, legendum, et scripti libri et antiquæ editiones probant. *Idem.*

Heri rustica semilauta crura, scribendum reor. Quod si quid hic mutandum esset, legerem, *heri rustica et armilausa curta.* Sic brevis vestis quædam ab Isidoro explicatur et a Paulino usurpatur. *Turn.*

Semilauta crura] Hæc omnia ad Libonem, in quem post Othonem invehitur, manifesto referuntur. Hæc autem κατὰ τὸ σημαινόμενον intelligenda sunt, quod revera et imbalnitie, ut Lucillius loquitur, squalleret, et laboraret eo morbo, qui ridiculosior, quam periculosior est. Notum, quid sit peditus. Morbum vocavi, quia quibusdam invitis id excidit. Exemplo erit Claudius Cæsar, qui eo laborabat. Glossæ, 'Peditus, Peditum, πορδή.' Duo recte exprimunt Græci, πορδὴν, si cum sonitu, βδεσμὸν, si nares potius, quam aures feriat. Videtur lingua Latina hoc carere; sed non ita est. In Glossariis enim βδέσμα seu βδεσμὸς dicitur 'Visium,' βδεῖν, 'Visire.' Quod hodie et Italorum, et Gallorum idiotismus retinet. Sed non credes fortasse illi Glossario. Utinam meliores nunquam Grammaticos haberemus, modo omnium pædagogulorum barbariem a nobis amoliri liceret. Sed age alium ἐγγυητὴν tibi dabo. Cicero Pæto, 'Quid enim? num honestum verbum divisio? At inest obscœnum, cui respondet intercapedo.' Cedo sis mihi unum ex istis Ciceronianis, qui nihil obscurum in Cicerone esse dicunt. Profecto hic hæreat necesse est. Sed luce clarius est ex animadversione nostra in verbo 'Divisio' esse obscœnum. Nam in eo τὸ 'Visio' est βδέω· sicut in verbo 'intercapedo,' τὸ 'pedo' non sine flagitio est. Est enim πέρδω. Dices, non multum referre utrum hæc quis sciat, an nesciat. Si ita vis, age pergamus ad reliqua: verbum non amplius addam. *Scal.*

3 *Peditum*] Satis supra de hoc. Græci vocant etiam ματαϊσμὸν, verbo non tam flagitioso ac πορδή. Herodotus, ἐπάρας [τὸ σκέλος] ἀπεματάϊσε.

Athenæus lib. III. Γλυκυσίδην τινὰ καλεῖσθαί φησι σύκῳ τὴν μορφὴν μάλιστα ἐοικυῖαν· φυλάττεσθαι δὲ τὰς γυναῖκας ἐσθίειν, διὰ τὸ ποιεῖν ματαϊσμούς. *Idem.*

4 *Si non omnia displicere*] Subintelligendum est: Dispeream. Hæc autem nonnullæ editiones et scripti libri improbe a superioribus disjunxerant: ergo his verbis non minus Liboni, quam superioribus Othoni imprecatur. *Idem.*

5 *Tibi et Suffetio*] Scripta lectio, *Suffitio*, propius accedit ad germanam lectionem. Legendum enim *Fuffitio* ex Dione, ubi est φουφίτιος. *Idem.*

Seni recocto] Glossarium interpretatur ἀπεφθον γέροντα, quum hunc locum in animo haberet. Sed fallitur, meo judicio, quanquam illum Grammaticum sequutus sit Turnebus, ut in aliis. Intelligit enim non recoctum senem, sed recoctum scribam. Horat. 'sæpe recoctus Scriba ex quinqueviro corvum delusit hiantem.' Ibi Helenius Acro, 'Recocti dicuntur Scribæ, qui sæpius cum proconsulibus ad provincias missi, exercitatiores facti sunt usu ipso, et frequentia. Solent autem mitti quinque viri: qui quum rediissent, vendebant decurias suas, et Quinqueviri dicebantur. Quod si voluissent iterum magistratibus apparere, et fructus priores percipere, Cocti dicebantur, quique sæpius hoc factitabant, Recocti.' Si quis senem recoctum, non scribam intelligit, eodem modo dictum putet a Catullo, quo dixit Petronius; 'Anus recocta vino Trementibus labellis.' *Idem.*

6 *Irascere iterum*] Et hæc quoque male a superioribus divulsa erant. Postquam satis officio Cæsaris imprecatus est, nunc ipsi proconsuli comminatur, et jubet illum iterum Iambos suos expectare, quibus impetitus iterum sibi pœnas det. Virulentum, ut dixi, Epigramma est, ac stomachi plenum: quod nos primi, sicut multa alia Catulliana, in integrum restituimus. *Idem.*

CARMEN LV.

2 *Demonstres ubi sint tuæ tenebræ*] Repono *tabernæ* pro *tenebræ* ex antiqua scriptura. Jam supra attigimus hunc locum, quum tabernas λέσχας Græce dici notavimus, ad quas scilicet confabulandi causa convenirent, ut Hesiodus etiam docet, quum ait καὶ ἐπαλέα λέσχην· unde λεσχηνεύεσθαι. Nam sane parum putum Syriacum est λέσχη, quo usus est Esdra magnus ille divinæ legis scriba. Scripsit enim Babylonica lingua. Ad pilas autem sitæ erant tabernæ illæ. Horat. 'Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.' Et supra: 'Salax taberna, vosque contubernales, A pileatis nona fratribus pila.' *Scal.*

3 *Te quæsivimus in minore campo*] Scribe ex nostro libro, *Te campo quæsivimus minore*. De industria enim captat spondeum in secunda sede. *Idem.*

In minore campo] In Cælio. Quum Campus Martius diluvio Tiberis stagnabat, Circenses fiebant in Cælio. Ovid. 'Cælius accipiet pulverulentus equos.' *Idem.*

4 *Te in omnibus tabellis*] Palladius primus *labellis* reposuit, quum in antiquis editionibus et manuscriptis legeretur *libellis*, quod rectum erat: *in omnibus libellis*, hoc est in tabernis librariis. Eo enim confabulandi gratia honestiores personæ confluebant; ut in tonstrinas viliores. Gellius, 'Apud Sigillaria forte in libraria ego, et L. Paulus convenerámus.' Dictum autem *in libellis* μετωνυμικῶς

pro in librariis tabernis, Attico more, qui ἐν ἰχθύσιν, ἐν λαχάνοις dicebant, pro ἐν ἰχθυοπωλείοις, ἐν λαχανοπωλείοις.' At *labellis*, quod olim reposuit Palladius, non magis hic convenit, quam labra pro balneis accipere. Labrum enim, aut labellum est ποδόνιπτρον, aut saltem solium: Glossæ, 'labrum, λουτήρ.' At λουτὴρ non est balneum. *Idem.*

9 *Avelli sinite*] Ita emendavit Avantius. Noster liber sic: *Ah vel te sic ipse flagitabam: Camerium mihi pessimæ puellæ.* Recte, et lepide: ego te illas sic flagitabam: O pessimæ puellæ, Camerium mihi: ἐλλειπτικῶς· hoc est, reddite. Hæc sane meliora sunt, quam illa commentitia. Sed non dubium quin ita legendum, *Quas voltu tamen vidi sereno Has vel te sic ipse flagitabam.* Duo accusativi. Plautus, 'Quas sponsiones pronuper tu exactus es.' *Idem.*

13 *Sed te quærere jam Herculis labos est*] Et hæc quoque de correctorum officina. Noster codex optime: *Sed te jam ferre Herculei labos est:* ubi *Herculei* genitivus antiquus; ut apud Cic. in Epist. probissimus ac doctissimus senex P. Victorius notavit scriptum in veteribus libris, 'Themistoclei,' 'Theophanei.' Sic 'Simonidei' apud Ausonium. 'Concedat Cei Musa Simonidei.' Est autem proverbialiter dictum. Propert. 'Deinde, ubi pertuleris, quos dicit fama, labores Herculis.' *Idem.*

14 *Tanto ten' fastu*] Et hæc quoque pessime accepta a correctorum temeritate. Legendum enim ex nostro libro sine interrogatione, *Tanto te in fastu negas amice.* Est enim ἐπιφώνημα. *Idem.*

16 *Committe. lucet*] In Gallicano exemplari puto fuisse, *lucei*, antiquo more scribendi. Neque dubium, quin ita fuerit. Committere luci est in medium proferre, vel, ut veteres loquebantur, propalare. *Idem.*

22 *Sis nostri quoque particeps*] Vetus scriptura, *Dum nostri sis particeps amoris.* Sensus communis expertem esse oportet, cui non pateat legendum, *Dum vostri sim particeps amoris.* Nam *vostri* in *nostri* mutaverant, qui non meminerant ἀρχαϊκὸν esse characterem hujus auctoris. *Idem.*

23 *Non custos*] Quædam editiones hunc versiculum cum illis novem sequentibus conjungunt cum superiore versiculo: quod non displicet. Alii medium Epigramma his insititiis diffindunt, ut Aldus. Noster liber diversum Epigramma facit, et alio loco ponit. *Idem.*

Non custos si fingar ille Cretum] Ærei gigantis, qui singulis diebus totam circumibat Cretam, quemque veneficiis suis sustulit Medea, meminere complures. Historiam fuse describit Apollonius in Argonauticis. Catullus vocat hunc 'custodem Cretum,' quod perperam de Dædalo interpretati sunt omnes hactenus interpretes. *Is. Vossius* in Melam pag. 213.

CARMEN LVI.

1 *O rem ridiculam Cato*] Cato iste autor Dirarum, ut suo loco ostendimus. De quo Ovid. 'Et par Cornifici, parque Catonis opus.' Et Suetonius in libro de claris Grammaticis, quod non admonuissem, nisi error diserti viri aurem mihi velleret. *Scal.*

2 *Dignamque auribus, et tuo cachinno*] Profecto legendum est, *Dignam naribus, et tuo cachinno:* ut Satyricus, 'rides, ais, et nimis uncis Naribus indulges:' et 'naso suspendere adun-

eo.' Sic apud Tibullum vicissim naribus pro auribus mutatum erat. 'Oscula comprensis naribus eripiet.' Legendum enim 'auribus.' *Idem.*

7 *Pro telo*] *Protelo* conjunctim legendum. *Protelo* est quod Jurisconsultus dicit, 'in continenti.' De hoc satis in Varronis libros rerum rusticarum diximus. *Idem.*

CARMEN LVII.

6 *Gemelli*] Latine 'gemellum' pro 'simili' recte dixeris. Horat. II. Sat. 3. 'par nobile fratrum Nequitia et nugis, pravorum et amore gemellum.' Et I. Epist. 10. 'hac in re scilicet una Multum dissimiles, ad cætera pene gemelli.' *Bochartus.*

9 *Rivales, socii et*] Lego *Rivales sociei puellularum.* Scriptum *sociei*, antiquitus, pro *socii*, ut *lucei*, pro *luci* supra. *Rivales socii*, ut distinguantur a Rivalibus æmulis. *Scal.*

CARMEN LIX.

1 *Bononiensem Rufa*] Hic spurci homines verbum spurcum substituerunt: in quo non solum eos reprehendo, sed etiam quum eorum temeritate, qua hunc locum contaminarunt, ex uno Epigrammate duo non integra facta sunt. Atqui integrum totum hoc epigramma, si veterem lectionem in suas sedes restituas: plane enim exaratum est, *Bononiensem Rufa Rufulum fallat.* 'Fallare,' est 'fallere:' verbum antiquum eodem modo, quo et 'vanare.' Attius Alcmena, 'Tanta ut frustrando vanans, lactans, protrahat.' 'Lactare,' 'Vanare,' 'Fallare,' idem prope significare videntur. Id enim est, falsa spe producere: est ergo manifesta sententia Epigrammatis: Rufam, quæ nuper postremum mendicimonium erat, ut pote quæ e media flamma cibum petebat, nunc delitias facere, ac superbo astu amantis Rufuli preces eludere. Miror tam pueriliter omnes in hujus epigrammatis enarratione lapsos, ut putarent hæc esse diversorum poëmatiorum fragmenta. At quid clarius illo, si veterem lectionem restituas? Si enim considerassent quid esset verbum *fallat*, et illud, 'ut supplicis vocem,' &c. profecto aliter pronunciassent. *Scal.*

Bononiensis] Subjunge signum interrogantis, *Bononiensis Rufa Rufulum fallat? Uxorne Moni?* Stomachantis est. *Meleager.*

2 *Uxor Meneni*] Vetus scriptura: *Uxor nemeni:* lege... *Uxorne Meni?* Horat. 'Menius, ut rebus maternis atque paternis:' et profecto ἐμφατικώτερον est cum interrogatione. Illane, quæ nuper in sepulchretis rapiebat silicernium? Neque dubium, quin sit is ipse Menius, de quo Horatius scripsit paterna atque materna bona abligurisse: adeo, ut propterea dicatur ejus uxor coacta silicernia in sepulchretis vorare. De columna Meniana notum. *Scal.*

3 *Rapere de rogo cœnam*] In sepulchretis ustrinæ erant, quæ sepulchris ipsis applicabantur, ad quas culinæ erant. Græci εὔστρας vocant, in quibus Silicernium, hoc est, funebris cœna coquebatur. Inter prolusiones Virgilianas, 'Neque in culinam, et uncta

compitalia, Dapesque ducis sordidas.' Silicernia autem in illis culinis a pauperibus absumebantur, ut in Græcia *τὸ τῆς ἑκάτης δεῖπνον*. In illis ustrinis sæpe prostabant scortilla. Artemidorus scribit bonum esse *γυναιξὶν ἑταίραις ταῖς ἐπὶ τοῖς καυστηρίοις ἑστώσαις μίγνυσθαι, διὰ τὸ οὐδενὶ ἀρνησαμένας παρέχειν ἑαυτάς*. Quo magis stomachatur Catullus, eam, quæ nemini negaret, Ruffulo negare. Quare insigniter hallucinatur is, qui hanc Rufam veneficam esse ait, quod raperet ossa de tepidis rogis, ut illa apud Ovid. 'Raptaque de tepidis colligit ossa rogis.' Nam pauperem, et ignobile scortum intelligit. *Scal.*

5 *A semiraso*] Vel, ut vetus scriptura, *Ab semiraso*. Ustor *νεκροκαύτης* redditur a vetere magistro. Id genus hominum servilis conditionis erat. Horat. 'Huc prius angustis ejecta cadavera cellis Conservus vili portanda locabat in arca.' Atque adeo abjectissimum genus mancipiorum. Nam ejusmodi semirasi erant, qui ad aliquod opus publicum damnati erant, ut ad molendinas, ad remum, ad vilia cadavera efferenda; qui 'vespillones' dicebantur. Artemidorus, '*Ὁπότερον δὲ ἂν τῆς κεφαλῆς ψιλὸν ἔχοι τις οὐκ ὢν εὐσυνείδητος, κατακριθήσεται τὴν εἰς ἔργον δημόσιον καταδίκην· τοῦτο γὰρ κἀκεῖ παράσημόν ἐστι τοῖς δικαζομένοις*. Apuleius, 'Frontem literati, et capillum semirasi, et pedes annulati.' Nam et stigmatias, et catenatos innuit. Martial. 'Has cum gemina compede dedicat catenas, Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.' Idem, 'Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus.' Horat. 'jamne catenam Ex voto Laribus donasset.' *Idem.*

Ustore] Ustores sunt pyrarum, in quibus mortui cremabantur, ædificatores, et cadavera in ustrinam conjiciebant, ut cremarentur, et silicernium, id est, feralem cœnam custodiebant a pauperibus et mendicis, qui eas dapes in rogum conjectas semiustulatas sibi solebant rapere. *Ramirez.*

CARMEN LX.

1 *Montibus Libyssinis*] Male. Lege *Libystinis*: ut, 'et pelle Libystidos ursæ.' *Scal.*

CARMEN LXI.

1 *Collis o Heliconei*] A. Ticida hoc genere carminis Hymenæon scripsit. Sappho non Hymenæon, sed Epithalamion. Servius nondum excusus, 'Sappho,' inquit, 'in libro, qui inscribitur, Ἐπιθάλαμοι· *χαῖρε δὲ νύμφα, Χαῖρε τίμιε γαμβρέ*. Quod et ipsum est ejusdem generis metrum. *Scal.*

Heliconii] Vetus, *Heliconei*. Ita omnino scribere necessitas carminis cogit. Ἑλικώνειος, Ἑλικώνεος· Κυκλώπειος, Κυκλώπεος. 'vos et Cyclopea saxa Experti.' Sic Διώνειος, Διώνεος· *Sacra Dioneæ matri*, non Dionææ. Διώνη, Διώνεια, ut Πηνελόπη, Πηνελόπεια. *Idem.*

15 *Pineam*] Non *Spineam*. Seneca Medea: 'Candida thyrsigeri proles generosa Lyæi, Multifidam jam tempus erat succendere pinum. Excute solennem digitis marcentibus ignem. Festa dicax fundat convicia Fescenninus.' At qui *Spineam* hic ponebant, dicant mihi, ubi viderint tædam in spinu, quæ propria est resiniferarum arborum. *Idem.*

Pineam] Hoc loco Palladius Fus-

cus, Anton. Parthenius, Muretus, et Beroaldus in lib. IV. et X. Apul. ex Festo et Plinio reponunt *Spineam:* ejusdem opinionis est Alex. Sardius lib. I. de Morib. et Rit. Gent. E. VII. Me autem valde movent omnia Senecæ exemplaria, quæ semper 'pinum' continent. Virgil. etiam in Ciri scripsit, 'Pronuba nec castos incendet pinus odores:' nec est qui eo loci aliter legerit. Quid? quod in Nonio, ubi Varroni hac de re verba ponuntur, quas vidi membranæ omnes vulgatis libris consentiunt? Et vero ex diversis arborum generibus hæ faces confici potuerunt. Plinius sane suis temporibus ex corylo fieri consuevisse scribit. Quamobrem Brissonio adsentior, existimanti tam *Pineam* quam *Spineam tedam* huic usui solitam accommodari. *Delrio*. *Pineam* lego, non *Spineam*. Livin.

21 *Floridis velut enitens*] Lyricus Græcus: Τέῳ σ', ὦ φίλε γαμβρὲ, καλῶς εἰκάσδω; Ὄρπακι βραδινῷ σ' μάλιστ' εἰκάσδω. *Scal.*

31 *Ac domum*] Vet. libri inquit Achilles Statius *Ad domum:* sed veretur ne Latini non ita loquantur. Atqui Gellius lib. XII. cap. 1. 'prosequuti cum sumus ad domum quo pergebat.' Fortasse legendum *Ac domu:* pro 'e domo evoca,' vel, *Ab domo*, ut Horat. IV. Od. 5. 'dulci distinet ab domo.' *Passer.*

46 *Quis Deus magis optimis*] Audacia Avantii, qui *optimis* reposuit, ubi prisca scriptura habebat, *Quis Deus magis amatis*. In Langobardico charactere nihil omnino T differt a C; et vicissim altera pro altera hic positæ sunt. At illo optimo Gallicano, *a macis*, scriptum erat, C, pro G. ut alibi 'juncier' pro 'jungier,' 'porcentur' pro 'porgentur.' Scribe igitur, *Quis Deus magis ah magis Est petendus amantibus? A* semper habet etiam noster liber pro *Ah*. 'Magis ah magis,' 'nimis ah nimis,' 'Miser ah miser,' veteris elegantiæ sunt. *Scal.*

Magis an magis] Malim *magis ac magis:* ut 'magis magis,' 'magis magisque,' 'magis atque magis.' *Passer.*

53 *Zonula*] Non putem ζώνην pro claustro virginali poni. Zona enim est inter ornamenta muliebria I. Vestis §. muliebria, ff. de Aur. et Argent. quod autem 'solvere virgineam Zonam' honeste de concubitu dicatur, hinc ortum est, quod, ut notat Scholiastes Apollonii, quæ primum pariunt, *Zonas solvunt et deponunt apud Dianam:* Λύουσι τὰς ζώνας αἱ πρώτως τίκτουσαι, καὶ ἀνατιθέασιν Ἀρτέμιδι· quanquam illustr. Scaliger pro πρώτως τίκτουσαι, legendum putet, πρώτως διαπαρθενευθεῖσαι. Hinc 'Solvizonæ Dianæ' Athenis templum, et quæ pepererunt, βαθύζωνοι. Pindaro Olymp. III. dicuntur. Ex hoc ritu manavit, quod virgines Zonula cingebantur, quæ a viro, primo nuptiarum die solvebatur, hinc illud apud nostrum, *tibi virgines Zonula, &c.* hujus cinguli meminit Festus: laneum autem erat, et hoc puellarum virginalis venter, pro pudicitiæ custodia, cinctus servabatur, nec licebat sponso potiri sponsa, nisi hac zona soluta. *B. Lydius.* Adde quæ adnotata sunt ad Ep. II.

67 *Nec parens Stirpe dicier*] Scriptus liber, et priscæ editiones *Stirpe vincier*. Male assecutus est lectionem Gallicani exemplaris librarius. Nam in eo scriptum fuit: *juncier*. C pro G, ut modo notabamus, 'macis' pro 'magis,' in eo scriptum fuisse. Elegantissime Catullus dixit parentes ex non justo conjugio non posse jungi stirpe, h. e. non posse transmittere hereditatem ad liberos, quia ex non justo conjugio susceptus est peregrinæ conditionis. Peregrinus autem nihil capit de bonis civis Romani. At suus heres, quum immiscet se hereditati, continuat jus patris sui potius, quam patri succedit. Hoc est, quod Catullus dixit, jungi stirpe parentes, quum eorum jus ab heredibus, qui sui

dicuntur, continuatur. At *nitier*, quod Avantius reposuerat, omnino cum ipsius Avantii fautoribus exibilandum est. *Scal.*

72 *Non queat dare præsides*] Pendent ab eodem jure. Nam qui ex non justis nuptiis concepti sunt, peregrini sunt, quibus nulla erat munerum populi Romani participatio. Non ergo magistratum capere poterant. Nihil est apertius hac sententia. Putant tamen docti viri hic abstrusum nescio quid latere, cujus historia penitus nos fugerit. In quo sane in sirpo nodum quærunt. *Idem.*

77 *Virgo adest, viden' ut faces Splendidas quatiunt comas*] Ad eum modum Callimachus: Καὶ δήπου τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει. Οὐχ ὁράᾳς; ἐπένευσεν ὁ Δάλιος ἁδύ τι φοίνιξ. *Idem.*

78 *Splendidas quatiunt*] Vibrant flammas diffusas in comarum modum: *comas* dixit, quia in modum comarum et capillorum diffunditur lumen. Itaque Festus, 'Jubar quem Græci φωσφόρον, quod splendor ejus diffunditur in modum jubæ Leonis.' *Passer.*

81 *Tardat ingenuus pudor*] Et vetus scriptura et primæ editiones constanter habent *Tardet*, quod retinendum est omnino. Sic veteres 'denset' pro 'densat' dicebant. Virgil. 'Denset enim quæ laxa.' *Scal.*

82 *Quem tamen magis audiens*] Legendum sine dubio, *Quæ tamen.* Error hinc fluxit, quod Gallicanum exemplar ut conjicimus, sine diphthongo *Que* pro *Quæ* scriptum habuit: id quod in aliis nobis suboluit. *Quæ tamen* dictum pro 'Quæ tandem.' Horatius: 'si tamen Non tangenda rates transiliunt vada.' Hoc est, si tandem. Propert. 'Quippe ubi nec caussas, nec apertos cernimus ictus, Unde tamen veniant tot mala, cæca via est.' Vel potius παρέλκει, ut alibi pronunciamus. *Idem.*

86 *Aurunculeia*] Ita omnino legendum, ut habent scripti codices. Media autem syllaba exteritur, ut in 'Singulum:' 'Singulum fœcundum semen adulterio.' Aurunculeius est Cottarum alterum cognomen; ex qua familia hæc nostra videtur fuisse: mirum tamen ei fuisse nomen Juliæ, quod adoptione contigisse putamus. *Idem.*

88 *Ne qua fœmina pulcrior*] Nota morem antiquum laudandi novam nuptam: ita enim fere accinebant, 'nulla te hodie pulcrior:' id diligenter hoc loco observavit Catullus. *Guilielmus.*

96 *Prodeas nova nupta si Jam videtur*] Qui has literas tractant, oportet eos non id tantum spectare quomodo qualitercunque levi interpretatione defungantur: sed videre num quid lateat, quod etsi prima fronte vulgo patere videtur, tamen, si diligentius inspiciatur, etiam doctioribus negotium facessere possit. Id, quod nunc præ manibus habemus, ejusmodi est. Quum Catullus dixerit paulo ante nuptam nimium morari, quare nunc illam vult prodire sub ea conditione, modo illi ita videatur? Id enim sonat, *Prodeas, nova nupta, si Jam videtur.* Sed nemo hactenus leporem horum versuum assecutus est. Nos levissimo adminiculo adjuti, veram, ut speramus, lectionem eruimus. Legimus ergo: *Prodeas nova nupta sis: (Jam videtur) ut audias Nostra verba. (viden'? faces Aureas quatiunt comas.) Prodeas nova nupta.* Non est elegantior locus, meo judicio, in hoc toto poëmatio. Elegantissimus poëta imitatur festinationem votorum in vulgo. Nam cum vulgus optat aliquid, tametsi id non evenit, tamen quasi id evenerit, sibi ipsum persuadere conatur. Rutilius Numat. 'Pulsato notæ redduntur ab æthere voces, Vel quia perveniunt, vel quia fingit amor.' Sic simillimus locus apud Callim. Λουτροῖς Παλλάδος. Ὦ ἴτ' Ἀχαιίδες, καὶ μὴ μύρα, μηδ' ἀλαβάστρως, (Συρίγγων ἀΐω φθόγγον ὑπαξονίων,) Μὴ μύρα, λωτροχόοι, τᾷ Παλλάδι, μηδ' ἀλαβάστρως, κ. τ. λ.

Nam Parenthesis illa, *συρίγγων...ὑπαζονίων*, eadem est cum istis, *Jam videtur*, et *viden? faces Aureas quatiunt comas*. Quæ omnia *μιμητικῶς*, ut dixi, ex vulgi persona dicta sunt. Illud, *sis*, notum est apud Latinos idem esse, quod, 'age,' 'agedum.' Est exhortantis. Negari non potest, quin hujus egregii loci restitutionem studiosi nobis acceptam referre debeant. *Scal.*

103 *Probra turpia persequens*] Probra turpia. Sic alibi turpe probrum, 'a turpi mentem inhibere probro.' Vetus tamen lectio disertim habet, *Proca turpia*. Ego interpretor adulteram procam, virosam. Neque aliter scripsit Catullus; et quamvis in hoc toto poëmatio Iambum prima sede non posuerit, tamen in Hymno Dianæ posuit: 'Puellæ, et pueri integri.' *Idem.*

106 *Lenta quin velut*] Τὸ *quin* confictum ex veteri scriptura, *que*. Ita non semel hic *que* pro *qui* scriptum notavimus, quod putamus ex archaica scriptione manasse. Videtur enim *quei* in exemplari Gallicano scriptum fuisse, ut supra 'lucei' pro 'luci.' Ita scribebant veteres illi longam I. Lucillius libro nono de orthographia scribens id videtur præcipere, quum ait: 'Jam puerei venere: e postremum facito, atque i, Ut plures puerei fiant: i si faci' solum Pupilli, pueri, Lucilli: hoc uniu' fiet. Hoc illi factum est uni: tenue hoc facies i. Hæc illei fecere: addes e, ut pinguiu' fiat. Meile hominum, duo meilia, item huic utroque opu', meiles, Meilitiam. tenues i, pilam qua ludimu'. pilum, Quo piso, tenues i, plura hæc feceri', pila. Quæ jacimus, addes e, peila, ut pleniu' fiat.' *Idem.*

114 *O cubile, quot omine*] Incredibile dictu, quam hæc corrupta sint, quæ tamen nos nullo negotio divinavimus. Nam illud, *Gaudeas*, quantum absurditatis habeat, nemo non videt: quum Catullus non lectum velit gaudere, (quæ enim hæc esset præpostera gratulatio;) sed ipsum herum lecti. Non est enim obscurum gaudia illa non ad cubile, sed ad herum spectare, siquidem aliquis *κοινὸς λόγος* est in nobis. Quid igitur? Haud dubie tres postremi versiculi hujus Strophæ huc ab ineptis magistris inculcati sunt, quum Strophen mutilam tribus primis versibus viderent. Absunt enim illi tres versiculi ab omnibus manu scriptis, sine ulla exceptione: item ab omnibus vetustioribus editionibus. Itaque sunt *παρακεχαραγμένοι*. Ita enim hæc digerenda erant: * * * *O cubile, quot (o nimis Candido pede lecti) Quæ tuo veniunt hero, Quanta gaudia, quæ vaga Nocte, quæ media die Gaudeat?* Horum ratio nobis reddenda, quanquam sententia aperta, et elegans. *Scal.*

Quot omine] Vetus scriptura, itemque antiquitus excusi libri non *omine* habent, sed *omnibus*. Non dubium, quin primitus scriptum fuerit, *omnis*, non *omnibus*. Ita semper scriptum reperies, 'omnis' pro 'o nimis:' sic supra, 'omnis fero corde,' pro 'o nimis fero corde:' et in nuptiis Pelei, 'omnis optato,' pro, 'o nimis optato.' *Idem.*

115 *Candido pede lectuli*] Qui putabant ab his incipere initium Strophæ, pro *lecti*, quæ erat germana scriptura, ut etiamnum in nostro disertim apparet, reposuerunt *lectuli*. Sed quum legatur *lecti*, hæc manifesto convincunt superiora *νοθείας*, quum et tres illi versus importuna et aliena sententia hic inculcati fuerint, et sequentia tam bene cohæreant. Quod autem dicit, *o nimis Candido pede lecti*, est, *μακαριοι τῆς τύχης*· ut Horat. 'I pede fausto,' hoc est, *ἀγαθῇ τύχῃ*. *Idem.*

118 *Quæ media die gaudeas*] *Gaudeat* reponimus, ita et sententia, et scriptura vetere postulante. *Idem.*

122 *Flammeum videor venire*] *Videor venire δοκῶ ἐλθεῖν*. Non enim solum

dicitur Videor hoc dixisse, id est, puto me hoc dixisse; sed etiam Videor illum hoc dixisse. Terent. Prologo Phorm. ‘Cervam videri fugere. sectari canis.’ Nam procul dubio ita scriptum reliquit Comicus: quod verbum magis aptum personæ insanienti, de qua intelligit; quia *videri*, id est, *τὸ δοκεῖν καὶ φαντάζεσθαι*, longe accommodatius turbatæ menti, quam *τὸ ὁρᾶν*. Nam ejusmodi homines putant se videre quod non vident. Et hoc est *δοκεῖν*. In nostro tamen scripto legebatur *video* non *videor*: unde correctores legunt, *Flammeum video venire*. Idem.

128 *Neu nuces pueris neget Desertum domini audiens*] Pueri meritorii, qui erant in domo patrisfamilias, quum a turpi officio dimitterentur, nuces a novo sponso accipiebant, quas spargerent, nuptialia et fescennina canentes. Ideo Plinius nuces nuptialium ac fescenninorum vocat comites. Hoc institutum e Græcis fontibus manasse perspicue verum est. Nam in ea gente novus sponsus nuces juglandes, amygdalas, et id genus spargebat, quæ ipsi *καταχύσματα* vocabant. Addunt Grammatici nuces ob hoc spargi, ut strepitum ederent pueri, ne clamor nuptæ audiretur. Et sane Græci idem simile, quanquam non nucibus, prope faciebant. Nam apud eorum Grammaticos hæc leguntur: *Κτυπίων, τῶν ἐπικρουμάτων τοῦ θαλάμου, ἃ ἐπικτυποῦσιν ἔξωθεν, ὅταν συγκατακλίνηται τῷ νυμφίῳ ἡ γημαμένη.* Hinc intelligitur, quare desertum amorem domini dicat, utpote quem dominus a concubino ad novam nuptam transtulerit. *Idem.*

136 *Sordebant tibi villicæ*] Omnino legendum: *Sordebant tibi villice Concubine hodie atque heri*, verba sponsi. Nuper delitias faciebas ac me despiciebas. Nunc tibi nascente barba hic fastus excidit. Villicum concubinum, id est, rusticum vocat: et exoletum ex eo intelligit, quod eum tradat Cinerario. *Idem.*

137 *Hodie atque heri*] Proverbium Græcorum, *χθὲς καὶ πρώην*. Quod inepte Avantius mutare voluit. *Idem.*

138 *Cinerarius*] Glossæ: *Cinerarius, δοῦλος ἑταίρας· Cinifio, γυναικῶν κοσμητής. Idem.*

Cinerarius] Qui et Cinifio test. Porphyr. et Acron. ad Horat. I. Sat. 2. Dicti ‘Cinifiones’ quod in cinerem flant ad ferrum calefaciendum. M. Cato, ut author est Sosipater lib. I. in Originib. scripsit, Cinerarium muliebre ministerium esse, qui unguenta ex cinere composita, quibus mulieres capillum ungitabant, ut rutilior esset crinis, conficiebat. Varr. de L. L. lib. IV. ‘Calamistri, quod heis califacteis in cinere capillus ornatur. Qui ea ministrabat a Cinere Cinerarius est adpellatus.’ ‘Cinerarii fines,’ sunt Sepulturarii. Auctor de Limit. ‘Fines cinerarios, sive sepulturarios, sic intelligis quo vadant rigores inter possessiones.’ ‘Cinerarium’ etiam sunt ollæ et urnæ cinerum, seu vasculum, quo condebantur mortua corpora. Ex Veteri Inscriptione, quæ in D. Pauli Æde ad primum ab urbe Roma lapidem, via Ostiensi, legitur id elici posse videtur.

T. CLAVDIVS
ZOSIMVS. FECIT
LICINIÆ. PRISCÆ. MAMM.
CLAVDIÆ—ROSCHODO. SOR
MASSA—CVM. CINERARIO
ET. TIBERIO. VERCVN
DO. PATRONO. ET. SIBI
ET. SVIS. POSTERISQ. EORVM.
LONG. PED. IV. LAT. PED. VI.

139 *Tondet os*] Tonsio in pueris signum erat emeritæ libidinosæ militiæ; quod jam pubertatem ingrederentur. Martial. lib. I. Epigr. 32. lib. V. Epigr. 44. Et nova nupta domum cum ducebatur, primo die capillatos mariti pueros tondebat. Mart. lib. II. Epigr. 79. *Ramirez.*

141 *Diceris male*] Ita docti viri, quum vetus scriptura haberet, *Diceres*.

Nam E pro I non raro in Gallicano exemplari fuit, ut supra 'acquiescet' pro 'acquiescit.' *Scal.*

146 *Hæc tibi quæ licent*] Lege, *qua licent:* item tertio versiculo, *Ista non eadem licent*, Spondeus est pro Dactylo. Nam τὸ *eadem* est adverbium. *Idem.*

158 *Quæ tibi sine fine erit*] Et scriptus liber, et veteres editiones, non *erit*, sed *serviet* habent. Ego puto τὸ *fine* vacare, et leviter immutatam esse veram lectionem, quæ videtur ita fuisse: *Quæ tibi sene serviet:* 'sene' pro 'seni.' Lucill. 'Esuriente leoni ex ore exculpere prædam.' Propert. 'Si placet insultet, Lygdame, morte mea.' Boetius, 'Et longa site perditus spernit flumina Tantalus.' 'Site' pro 'siti.' *Idem.*

163 *Omnia omnibus annuit*] Τὸ *annuit* conjunctivi modi, ut 'Edim, edis, edit.' Est autem lepida sententia de tremulis senibus: quod antea Sophocles Œdipode Coloneo: εἴτε νεαρὸς, εἴτε γῆρα σημαίνων. *Idem.*

171 *Adspice, intus ut accubans*] Lege: *Adspice, imus ut accubans:* hoc est in interiore lecti sponda. Unde apud Horatium 'imus faber:' hoc est, interiore angulo fori. In interiore igitur sponda præstolatur novam nuptam maritus, ut ostendat præceps studium re cupita potiundi. Non enim, ut ipse loquitur, potest imminere sponsæ, nisi sponsa introducatur exteriore sponda, sponsus autem sit in interiore: quod quare cuidam docto viro displicuerit, satis mirari non possum. Itaque melius mutaverit sententiam. Nam præter jus est iniquus huic emendationi. *Idem.*

Aspice imus] Male exponit et corrigit vir maximus versus hos: qui sic legendi sunt et intelligendi, *Aspice intus et accubans Vir tuus Tyrio ut toro Totus immineat tibi.* In sinu mariti, cui totus imminet maritus, utpote supra accubans. Sic illi versus exponendi. Apuleius, 'Accumbebat summum torum maritus, Psychen gremio suo complexus.' *Salmasius.*

176 *Ille non minus atque tu*] Aliam lectionem in nostro reperimus, quæ nihilo hac deterior est: *Illi non minus ac tibi Pectore uritur intimo Flamma, sed penite magis.* Quæ sane sunt γνήσια Catulliana. Offendit correctores insolens locutio, *Flamma uritur:* quum tamen id Catullus more Græcorum dixerit, πῦρ δαίεται. Tertull. in Marcionem lib. I. cap. 37. 'Cui nullus ignis coquitur in gehenna.' Claudian. 'largos hæc nectaris imbres Irrigat.' Lucanus ita quoque loquitur. Hanc eandem lectionem retinent antiquæ editiones. Itaque apparet haud pridem a sciolis hæc mutata esse. *Scal.*

181 *Mitte brachiolum*] Missum fac brachium puellæ; nam patrimi matrimi pueri deducebant novam nuptam, quod et in Græcia fiebat. Callimachus Αὐτίκα τὰν τᾶλιν παιδὶ σὺν ἀμφιθαλεῖ. Nam τᾶλις est nova nupta: παῖς ἀμφιθαλὴς, puer patrimus matrimus. *Idem.*

183 *Jam cubile adeat viri*] Vel, ut noster liber, *adeant;* pronubæ scilicet quæ cum ipsa nupta sunt: et hæc est vera lectio. *Idem.*

186 *Vos unis senibus bonæ*] Scriptus liber, *Vos bone senibus unis Cognite breve femine.* Lege, *Vos bonæ senibus viris Cognitæ breve feminæ:* *breve* est præteriti temporis, *brevi* futuri. *Cognitæ breve*, hoc est paulo ante. Servius in schedis. 'Varro pronubam dixit, quæ ante nupserit, et quæ uni tantum nupserit.' In Glossis Isidori: 'Unicuba, unius viri uxor.' Dicuntur et 'univiræ.' *Idem.*

196 *At marita tuum tamen*] Locus inquinatissimus, quem ita, uti hodie legitur, reconcinnavit Parthenius. Mallem veterem lectionem depravatam reliquisset, quam suum somnium nobis interpretaretur. Nam ante illius interpolationem ita legebatur, ut etiam in nostro inveni: *Ad mari-*

tum tamen juvenem Cœlites nihilominus Pulcre res. Monstrum lectionis, ut vides: sed in quo solo istius loci depravandi et emendandi cardo versetur. Transposita hæc Strophe locum cum superiore commutare debet, itaque sic omnia suo ordini reponimus, et tunc facile menda ipsa tollemus: *Jam licet venias, marite. Uxor in thalamo est tibi Ore floridulo nitens, Alba Parthenice velut, Luteumve Papaver. At, marite, ita me juvent Cœlites, nihilominus Pulcher es: neque te Venus Negligit. sed abit dies: Perge, ne remorare. Non diu remoratus es. Jam venis.* Nolo eruditorum judicio diffidere. Nam et mediocriter docti facile videre possunt quantum commissum erat illo transpositu Stropharum, et quam bene inter se cohæreant illo, quo posuimus, ordine. At multum Grammaticos torsit hic locus, sed præter omnes vir summæ eruditionis Turnebus mirum quantum in hoc nodo solvendo æstuat; ut mihi non minus laborandum fuerit ejus lectionem legendo, quam illi hoc pravum Parthenii commentum interpretando. Quia igitur dixit novam sponsam pulchram esse, nihilominus tamen ipsum sponsum pulchrum ait. *Idem.*

202 *Jam Venus*] Lege, *Jam venis:* veteres editiones, et manu scriptus liber. *Idem.*

206 *Ille polueris erithei*] Ita habebat prisca scriptura. Cui opem ego ferre non possum. Nam vulgatam, ut commentitiam rejicimus. Scriptura præ se ferre videtur *enthei*, ut alludi possit ad entheos Bellonæ, quos bellonarios vocabant, qui sursum vim magnam pulveris subjectabant. Sic abreptitia illa loquitur apud Tibul. 'Attigerit, labentur opes, ut vulnere nostro Sanguis: ut hic ventis diripiturque cinis.' *Idem.*

210 *Multa millia lusuum*] Versus hypermeter: noster codex, *Multa millia ludere.* Quæ lectio ex prisca scriptione manavit. Habuit enim Gallicanus codex *ludei*, pro *ludi*, ut sæpe: ex quo fecerunt *ludere. Millia ludi*, ut 'Mille æris.' *Idem.*

219 *Dulce rideat ad patrem*] Virgilius sine præpositione: 'Incipe parve puer risu cognoscere matrem. Incipe parve puer, qui non risere parentes, Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.' Manifesto hortatur puerum, ut ad matrem rideat, non contra ut illi parentes. Itaque adversatur hoc Quintiliano, qui τὸ 'qui' pro 'quoi' accipit. At si Virgilius dixit, 'risere parentes,' pro risere ad parentes, ut hic loquitur Catullus, jam explodenda erit Quintiliani sententia: et sane apud Martial. depravatissime similis locus legitur, 'Nec cito ridebit peregrini gloria partus, Romanam ducat quam magis esse nurum.' Nam quid est, 'gloria peregrini partus?' Satis mendosa illa se produnt. Itaque lego, 'Te cito ridebit peregrinus Clodia partus, Romanam ducat quam magis esse nurum.' Martialis enim uxori Marcellæ cognomen erat. Cui necesse est Clodiæ nomen esse. Nam notum qui fuerint in gente Claudia Marcelli: qui erant plebeii, et ab iis patricii Clodii distinguebantur Pulchrorum cognomine. Apud Virgilium est ἐναλλαγὴ numerorum, 'qui non risere,' et postea dicit 'hunc.' Nam nascentibus putabant adesse mari Genium, qui est deus mensæ, feminæ Junonem, quæ Dea est cubilis. Qui, inquit, non risere parentes, nec Genius illum accepit mensa, nec Dea hanc cubili. Quæ, si verum fateri volumus, etiam sine enallage ulla, sed simpliciter dicta sunt; quanquam et enallage numerorum ipsum Virgilium hactenus corruperit in Georg. III. 'Quod surgente die mulsere, horisque diurnis, Nocte premunt: quod jam tenebris et sole cadente, Sub lucem exportant calathis (adit oppida pastor) Aut parco sale contingunt.' Omnium poëtarum principem ita interrupte cum suis

parenthesibus loquentem faciunt, ne in jure apud Grammaticum tribunal solœcismi postuletur. Atqui una literula mutanda germanam Virgilii lectionem effeceris: 'quod jam tenebris, et Sole cadente, Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor, Aut parco sale contingunt.' Sed ad locum superiorem Virgilii revertamur. Qui non ridebant parentes, ii putabantur tota vita ἀγέλαστοι· et contra, qui nolunt se paulo liberalius invitare, ii Genium suum defraudare dicuntur. Propterea in Natali die invocabatur Genius: ne mireris quare hic Virgilius ejus meminerit. Virgilio, ut diximus, ridere parentes est ridere ad parentes, ut infantes, quibus blandiuntur nutrices. Eodem modo usurpavit Plautus Capit. 'quasi muti silent, Neque me rident:' προσγελῶσιν ἐμοί. Statius Theb. I. 'umbrasque petunt, et nubila latrant:' προσυλακτοῦσι. Græci etiam dicunt ὑλακτεῖν τινά. Herodotus in vita Homeri: Τῶν δὲ κυνῶν μὴ ἐσθιόντων, καὶ ὑλακτούντων αὐτόν. Itaque Politianus, qui mentem Virgilii assecutus est, dictionem capere non potuit. Nam 'parentes,' quod ipsi videtur, non est vocativi casus, sed accusativi. *Idem.*

220 *Sed micante labello*] Melior pars erratorum in hoc poëta accepta referenda est Hieronymo Avantio; qui etiam hic *sed micante* posuit, pro eo quod legebatur antea *sed mihi ante*. Una litera minus veram lectionem expresseris, *Semihiante labello*. Gellius, 'Dum semihiulco basio Meum puellum savior.' Quis de hujus loci emendatione potius dubitabit, quam elegantiam mirabitur? *Idem.*

CARMEN LXII.

7 *Nimirum eoos*] Hæc omnia interpolata sunt ex veteri scriptura, quæ ita concepta est: *Nimirum hoceos ostendit noctifer imber.* Nullam opem adferre possumus. Valde arridet adhuc conjectura nostra prior, qua legebamus, *Nimirum Oceano se ostendit Noctifer imbre.* Nam vetus scriptura *hoceos*, videtur esse *hoceãos*', id est, *Oceano se.* Oceanus imber, ut Oceanum mare. Sic Ennius dixit imber Neptuni, pro mari. 'ratibusque fremebat Imber Neptuni,' id est, aqua marina. *Scal.*

Noctifer] Calpurnius, 'Frigidus æstivas impellit Noctifer horas.' *Idem.*

9 *Canent quo vincere par est*] Ineptissime: cui lectioni depravandæ non postremus audaciam suam contulit Avantius, ut jam in multis fecit: vetus scriptura erat, *cavent quo visere parent.* Neque hic mihi suppetit conjectura, quæ expleat animum meum. *Idem.*

14 *Nec mirum tota*] Abest hic versiculus a nostro libro. Et profecto nullam bonam sententiam concipit. *Idem.*

20 *Hespere, qui cælo fertur*] *Fertur* de astro dixit, quemadmodum Aratus semper, ut, θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται. *Idem.*

32 *Hesperus a nobis*] Desunt post hunc versiculum. Id sine ope melioris codicis explere non possumus. *Idem.*

35 *Vespere mutato*] Lege, ut in veteri scriptura est, *Hespere*, vocandi casu. *Idem.*

37 *Tacita quod mente requirunt*] *Quod* non legebatur in nostro, sed *quem*, et melius. At juvenes illi apud Callimachum citante Olympiodoro primo Commentario in Meteora, aliter ac diverse ab his puellis faciunt. Αὐτὸν μὲν φιλέουσ', αὐτὸν δέ τε πεφρίκασι· Ἑσ-

τέρμον φιλέουσιν, ἀποστυγέουσιν ἰδὼν. Contra puellæ in Ciri Virgil. divino poëmate: ' Quem pavidæ alternis fugiunt, optantque puellæ. Hesperium fugitant, cupiunt ardescere solem.' Seneca in Medea facit cum Callimacho; ' Et tu, quæ gemini prævia temporis Tarde, Stella, redis semper amantibus. Te matres avidæ, te cupiunt nurus Quam primum radios spargere lucidos.' *Idem.*

CARMEN LXIII.

1 *Super alta vectus Attys*] In nostro scripto titulus legebatur, *De Attine furore percito.* Et sane ita legitur apud Macrobium et in veteri inscriptione Hispana.

M. BADIVS. HONO
ET. CORNELIVS. SILV
TEMPLVM. T. MA
ATTHIN. DE. S. P

Nam *Ἀττὶν, Ἀττῖνος*, et *Ἄττυς, Ἄττυος*· ut *Φόρκυν, Φόρκυνος*, et *Φόρκυς, Φόρκυος.* Nero enim dixit, ' Berecynthius Attin.' Persius irridens versum Neronis, ' Claudere sic didicit versum Berecynthius Attin.' Dio de Nerone, *Ἐκιθαρῴδησεν Ἄττεν τινὰ, ἢ Βάκχας.* Lege, *Ἐκιθαρῴδησεν Ἀττῖνα, ἢ Βάκχας.* Quibus etiam explicatur sequens versus Neronis apud eundem Persium, ' Torva Mimalloneos implerunt cornua bombos.' Nam inde cognoscimus esse versiculum Neronis. *Scal.*

4 *Stimulatus ut furenti*] Melius noster liber, *Stimulatus ubi furenti.* At secundo versu *ut*, quod legitur, omnem sententiam perturbat. Itaque deleo, quanquam legitur apud Terentianum Maurum. Sed, ut dixi, infultum est. *Idem.*

5 *Devoluit lactos*] Noster, *illectas:* alii, *illactas:* quæ propius ad germanam lectionem accedunt. Legendum enim sine ullo dubio, *Devoluit ill' acuta sibi pondera silice.* Hic synalœphen notaverat doctus librarius in Codice Gallicano: quod genus plures ita temporibus Catulli perscribebantur, ut auctor est Cicero libris de Oratore. Quare, ignoratio hujus synalœphæ alios locos veterum depravavit: ut illud in Iambo Dei hortorum, ' Agellulum hunc, sinistra tute quem vides.' Nam scriptum fuerat, ' sinisterante,' pro ' sinistra ante,' quod tam verum, quam falsum quod vulgo editum, ubi ultima in ' sinistra ' est longa. *Acuta silice* protulit feminino. Virgil. ' ah! silice in nuda connixa reliquit.' *Illa pondera* quod dixit, non cuivis statim obvium est. In rebus, quas nominare pudor non sinebat, semper hoc pronomine *ille* utebantur. Supra: ' Ibi illa multa tam jocosa fiebant.' Infra, ' Et quærendum unde unde foret nervosius illud.' Sed clarius Arnobius, ' Priapum circunferentem res illas præliorum semper expeditioni paratas.' Itali in suo idiotismo dicunt, *El cotale. Devoluit* autem legendum ex illius scripturæ auctoritate. Hoc est in terram projecit. Qui vero antea legebant *ille*, non *illa*, quomodo Latine loqui Catullum intelligunt, ipsi viderint. Non enim, opinor, Catullus dixisset, ' Atys, ille devoluit,' sed, ' Atys devoluit.' *Idem.*

6 *Membra sine viro*] Arnobius, quum de Atti loqueretur, ita etiam loquutus est. In quo sequutus Græcorum morem dicendi, qui viros exectos *ἠνδροτομημένους* vocant. Sextus Empiricus, *Κρόνος τὸν πατέρα ἠνδροτόμησε.* Hieronymus ad Gerontiam, ' Hierophanta apud Athenas evirat virum.' *Idem.*

8 *Manibus leve tympanum*] Et hic, et insequenti versiculo legendum sine consonante, *typanum*, ut apud Homer. *Ἡ κροτάλων, τυπάνων τ' ἰαχὴ, σύν τε*

τρόμος αὐλῶν. Apollonius, *Ῥόμβῳ καὶ τυπάνῳ Ῥείην Φρύγες ἱλάσκονται.* Sic infra ' Didymi,' non ' Dindymi:' ' Dea, magna Dea, Cybele, Didymi Dea domina.' *Idem.*

9 *Tua, mater, initia*] Non hic sacra, sed plane crepundia. Apuleius in Apologetico, ' Etiamne cuiquam mirum videri potest, cui sit ulla memoria religionis, hominem tot mysteriis Deum conscium, quædam sacrorum crepundia domi adservare?' Nam tuba, et tympanum sunt crepundia Cybeles, quum adhuc in cunis esset, ut Bacchi *κῶνος καὶ ῥόμβος, καὶ παίγνια καμπεσίγυια. παίγνια,* crepundia, initia: et Pindarus in Hyporchemasin vocat *καταρχάς· Σοὶ μὲν καταρχαὶ, μᾶτερ, πάρα Μεγάλοι ῥόμβοι κυμβάλων, Ἐν δὲ καχλάδων κρόταλα, Αἰθομένα τε δαῒς ὑπὸ ξανθαῖσι πεύκαις.* Hic locus apud Strabonem libro x. corrupte legitur. *Idem.*

16 *Truculentaque pelagi*] Horat. ' acuta belli.' Propert. ' Sæpe ego multa tuæ levitatis dura timebam.' Alii tamen Græca inflexione legunt, *pelage:* ut apud Lucretium ' pelageque sonora.' Utrum melius nescio. utrumque sane mihi probatur. *Idem.*

26 *Celerare tripudiis*] Noster liber *celebrare:* quod germanum Catullianum puto. Sic celebrem gradum pro celeri dicebant. Attius Ægystho, ' Celebri gradu gressum adceleravisse addecet.' *Idem.*

27 *Nova mulier*] Sic in nostro, non *notha,* ut in Aldino. *Idem.*

33 *Onus indomita jugi*] Hoc fecerunt docti viri ex veteri scriptura *juci.* C pro G, ut sæpe jam docuimus, ut supra, ' juncier,' ' macis.' *Idem.*

47 *Animo æstuante rursus*] In nostro, *usum,* non *rursus.* Quæ sunt vestigia priscæ scripturæ olim extantia in exemplari Gallicano. Nam prisco et Archaico more scriptum erat *rusum,* pro *rursum.* Quam lectionem veteres excusi retinent, in quibus legitur: *Animo æstuantur usum reditum i. n. t.* Idem.

49 *Patriam adlocuta*] Pro *mæsta* quidam libri habuerunt *majestas;* quod nihil aliud est quam priscus mos scribendi; *maistus* pro *mæstus,* ut Aimilius pro Æmilius. Sic infra ' nainia' pro ' nænia;' unde fecerant ' janua.' *Idem.*

51 *Dominos ut herifugæ Famuli*] Idem etiam extulit Pindarus Pyth. IV. *Ὁ γὰρ Καιρὸς πρὸς ἀνθρώπων βραχὺ μέτρον ἔχει. Εὖ νιν ἔγνωκε· θεράπων δὲ οἱ, οὐ δράστας, ὀπαδεῖ.* *Idem.*

53 *Ut apud nivem et ferarum*] Τὸ *nivem* commentum est correctorum: noster liber liquido habet, *Ut apud, miser, ferarum,* quod retinemus. Interjectum illud *miser σχετλιαστικῶς,* ut *τάλας,* et *τλήμων,* apud Tragicos Græcos. *Idem.*

54 *Et earum omnia*] Legendum, *Et ut omnia earum adirem.* Ita enim ratio versus postulat. *Idem.*

62 *Quod enim genus figuræ est*] Versus etiam in manuscripto corruptissimus. Et tamen nemo hactenus, quod sciam, ne de mendo quidem admonuit. Legendum vero, *Quod enim genus figuræ est, ego non quod habuerim?* Sequentia, ut alia taceam, et conjecturam nostram probant, et quid velit poëta, declarant. *Idem.*

63 *Ego mulier*] Ne hic quoque ineptissimam lectionem odorati sunt. Quum deploraret mutationem fortunæ suæ, inter alia, conquereretur se mulierem fuisse, imo nunc est, quod conqueratur, se esse. Sed, quia jam certissime constat, depravatum locum esse, non dubium quin legendum sit, *Ego puber, ego adulescens.* Vide quid in Festum annotavimus. Ibi enim, si bene memini, hunc locum attigimus. *Idem.*

65 *Mihi limina tepida*] Tepida limina, frequentia. Sic Virgil. et alii poëtæ vias et litora fervere populo dicunt. Contra Persius ' ne majorum tibi forte Limina frigescant:' id est, ne parum teras veterum scripta. *Idem.*

70 *Nive amicta loca colam*] Nihil

muto. Vereor tamen ne commentitia sit hæc lectio. Nam, quæ in nostro scripto est, valde mihi probatur. Est autem hæc, *Ego viridis algida Idæ neamicta loca colam. neamicta*, ut nemancupi, nefunera, nesapus; hoc est, non sapiens. Qu. Terentius Scaurus: 'Nam,' inquit, '*ne* pro *non* positum est apud antiquos, ut nefrendes porcos, qui fabam frendere non possunt: nesapus, qui non sapit,' &c. *Idem.*

71 *Phrygiæ columinibus*] Male Turnebus columina hic interpretatur arbores. Cavesis illi fidem habueris. *Idem.*

74 *Palam sonitus abit*] Lege, *palans sonitus abiit.* Idem.

75 *Geminas deorum ad auris*] Corruptus versiculus: et, quod non leve est, loco suo motus. Quæ transpositio illi has mendas creavit. Totus igitur locus ita legendus, *Roseis ut huic labellis palans sonitus abiit Ibi juncta juga resolvens Cybele leonibus, Geminas eorum ad auris nova nunciat ferens, Lævumque pecoris hostem stimulans ita loquitur.* Vides et ordini suo et integritati hunc locum restitutum. Geminas aures, ut olim monuimus, etiam dixit Virgilius Culice: vide quæ in eum locum notavimus. Non interpretabor verba Catulli, quæ ipsa per se clara sunt. *Idem.*

78 *Agedum, inquit*] Hæc omnia interpolata sunt ab iis, quibus nimis otii supererat ab re sua. Et liber noster, et priscæ editiones ita habent: *Agedum, inquit, age ferox, fac ut hunc furoribus, Fac ut hunc furoris ictu reditum in nemora ferat.* Parum licentiæ in illis emendandis ab æquo lectore peto. Ita enim scripsit Catullus: *Agedum, inquit, age ferox, i: face ut hinc furoribus, Face ut hinc furoris ictu reditum in nemora ferat.* Quæ omnia concitatum animum, ac contentam ὁμοκλὴν exprimunt. *Idem.*

80 *Mea libere*] Aliquantum variat scriptura in nostro, *Mea libera nimis qui.* Profecto legendum, *Mea liber ah nimis qui. A* pro *Ah*, ut jam monuimus, semper in hoc libro scriptum fuit. *Idem.*

81 *Tua verbera patere*] Sic recte docti viri ex scriptura corrupta, *tua verumvera patere:* quia scilicet Gallicanum exemplar habuerat *ververa*, ut non semel in Pandectis Florentinis scriptum fuit. Est autem ad verbum ex Homero: Οὐρῇ δὲ πλευράς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν Μαστίεται, ἓε δ' αὐτὸν ἐποτρύνει μαχέσασθαι. *Idem.*

91 *Dea domina Dindymi*] Transposita a Correctoribus. Lege, *Dea, magna Dea, Cybele, Didymi, Dea, domina. Didymi* sine *n*: ut supra 'typanum.' Martial. 'Quales nec Didymi sciunt puellæ.' *Idem.*

CARMEN LXIV.

1 *Peliaco quondam*] Epithalamium Pelei et Thetis scripsit exemplo Hesiodi τοῦ ἐπιθαλάμια εἰς Πηλέα καὶ Θέτιν γραψαμένου, inquiunt Græcorum magistri, qui ex illo poëmate hæc adducunt· Τρὶς μάκαρ Αἰακίδη καὶ τετράκις ὄλβιε Πηλεῦ, Ὃς τοῖσδ' ἐν μεγάροις ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνεις. *Scal.*

9 *Ipsa levi fecit*] Ad verbum Apollonius: αὐτὴ γὰρ καὶ νῆα θοὴν κάμε. Sed Argus Arestorides eam fecit Ἀθηναίης ὑποθημοσύνῃσιν. Nam Argum πανόπτην male Arestoridea vocat Ovid. quum Argus Arestorides fuerit faber Argus navis, Argus autem πανόπτης custos Ius erat filius Agenoris. *Idem.*

10 *Texta carinæ*] Texere naves veteres dicebant, a quo locus, quo naves fabricantur, 'Textrinum' dicebatur; auctor Servius in schedis nondum

vulgatis. Ennius, ‘ Idem campus habet textrinum navibu’ longis.’ hoc est, ναυπήγιον. τὰ ὕφη νεὼς dixit Archimelus poëta in navem Hieronis: Ἄστρων γὰρ ψαύει καρχήσια, καὶ τριπλίκτους Θώρακας μεγάλων ἐντὸς ἔχει ὑφέων. Male enim apud Athenæum νεφέων. Ovid. ‘ Texitur et costis panda carina suis.’ Silius, ‘ Flumineam texit, qua transvehat agmina, classem.’ Panegyristes ad Maximianum, ‘ Ut navalia texerentur, ut trabes cæderentur :’ dixit navalia pro navibus. Silius lib. XI. ‘ Æratas jussi texamus mille carinas.’ *Idem.*

18 *Nutricum tenus*] Eleganter sane; sed mirum in nostro liquide scriptum, *Jam crurum tenus.* Atqui Avantius hoc se dicit in suo reperisse: quem omnes editiones secutæ sunt, imo et libri, qui ante hos centum annos scripti sunt, habent *Nutricum.* Idem.

16 *Illaque atque alia luce*] An die nuptiarum Pelei Thetis nuda visa? An legend. *haudque;* ut sensus sit: Illo tantum die, nec ullo alio hominum oculi viderunt Nereidas sine veste et nube, eminentes e mari mammarum tenus. Ea sane lectio probatur Ant. Sabellico in annot. in Var. Auth. *Passer.*

25 *Teque adeo eximie*] Haud placet nobis Mureti expositio super vocem, *eximie:* ‘ cum alios heroas compellabo, tum te, o Peleu, eximie, ac præter cæteros.’ Mihi enim adverbialiter positum accipi id ipsum, melius æquiusque videtur, et *tædis felicibus* conjungi; quod si admittant Critici, inducendum erit comma ante τὸ *tædis,* rescribendumque hoc modo, *Teque adeo, eximie tædis felicibus aucte.* Dousa P.

36 *Grajugenasque domos et mœnia Larissea*] Ita omnino habet noster codex, quod cur mutem, non habeo, quanquam *Grajugenumque domos,* non *Grajugenas,* scribendum est. Quos Græci Ἕλληνας vocant, eos Latine Graios dicimus. At Ἕλληνες proprie dicti sunt, qui in ea Thessaliæ parte, ubi est Larissa, habitarunt. Strabo lib. VIII. Ἀπολλόδωρος μόνους τοὺς ἐν Θετταλίᾳ καλεῖσθαί φησιν Ἕλληνας. Quæ de Grannone etiam ante eruditissimum P. Victorium dicta sunt, ea scimus a mente Catulli abhorrere. *Scal.*

Grajugenasque domos] Petrus Victorius lib. XX. cap. ult. ex conjectura, *Granonisque domos,* legit. Sunt enim Crannonii sive Grannonii in Thessalia, apud Strab. lib. VIII. Et Κραννώνιον πέδιον, commemorat Callim. in Hymnis: et Cic. de Orat. lib. II. ‘ Cum cœnarat Crannone in Thessalia Simonides.’ Veteres libri *Critonisque* sive *Gritonis.* Grytona urbem commemorat Apollonius lib. I. *Passer.*

37 *Pharsaliam coëunt*] Manifesto legendum *Pharsalon coëunt.* Lucan. ‘ Emathis æquorei regnum Pharsalos Achillis.’ Nam syllaba aliter repugnat: et in eo oppido nuptiæ Thetidis celebratæ sunt: unde Thetideon vocatum est. Euripides Androm. Φθίας δὲ τῆσδε καὶ πόλεως Φαρσαλίας Ξύγχορτα ναίω πεδί’, ἵν’ ἡ θαλασσία Πηλεῖ ξυνῴκει χωρὶς ἀνθρώπων Θέτις, Φεύγουσ’ ὅμιλον. Θεσσαλὸς δέ νιν λεὼς Θετίδειον αὐδᾷ, θεᾶς χάριν νυμφευμάτων. Ἔνθ’ οἶκον ἔσχε τόνδε παῖς Ἀχιλλέως. Poëtica autem circumlocutione πόλιν Φαρσαλίαν pro Pharsalo ipso, ut Varro ‘ Meliam, Chiam insulam,’ pro ‘ Melo, Chio.’ Et fortasse *Pharsalica tecta,* aut *Pharsali tecta* melius legeretur. Vulgarem lectionem non male tueri possumus, si licentiam hanc Poëtæ concedamus. Sic in eodem versu eandem syllabam producere et corripere non raro solebant veteres. Lucret. ‘ Crassaque pugnabant liquidis, et liquida crassis.’ Theocr. τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. Horat. ‘ Me fabulosæ vulture in Apulo, Altricis extra limen Apuliæ.’ Notum illud Martial. ‘ Dicunt Earinon tamen poëtæ. Sed Græci, quibus est nihil negatum. Et quos Ἆρες, Ἄρες decet sonare.’ Lucill. lib. IX.

'A primum est: hinc incipiam, et quæ nomina ab hoc sunt. A primum longibrevi syllaba: nos tamen unum Hoc faciemus, et uno eodem, ut dicimu', pacto Scribemus pacem, placide, Janum, aridum, acetum, Ἄπες, Ἄπες Græci ut faciunt.' *Scal.*

47 *Pulvinar*] Notus mos sternendi thalamos. Hieronym. in Epist. ad Demet. 'Cum jam nuptiarum appropinquaret dies, et futuro matrimonio thalamus pararetur,' &c. Apul. lib. x. 'Et jam thorus genialis scilicet noster futurus, accuratissime desternebatur lectus Indica testudine pellucidus, plumea congerie tumidus, veste serica floridus.' Atque iste 'Genialis lectus' dicebatur. Serv. Æn. vi. 'Geniales (lecti) proprie dicuntur, qui sternuntur puellis nubentibus.' Sternebatur autem in honorem Genii, qui natalis mariti præses. Fest. 'Genialis lectus, qui nuptiis sternitur in honorem Genii.' *Meursius.*

49 *Conchylis purpura*] Si vera est lectio hæc, conchylis est κογχυλὶς, κογχυλίδος. Vetus tamen scriptura præfert *conchyli*, non *conchylis*. Sic Serenus, 'Purpura torretur conchyli perlita fuco.' Credo igitur *conchyli* legendum. *Scal.*

50 *Hæc vestis*] 'Catullus vero,' inquit Sebastianus Corradus, 'quamvis doctus quasi cognomento dicatur, in ea re tamen reprehendi solet, quod ad Thesei et Ariadnes fabulam digrediatur ita, ut propositi oblitus esse videatur, et mehercule in ea digressione ita multus est, ut vix defendi possit; nisi dicat aliquis, illum poëtas Lyricos esse imitatum, qui quum neque gravia neque magna, sed amores, cænas, et alia id genus profiteantur, longius evagare possunt: ut Pindarus non sæpe modo sed semper fere facit, et præsertim in Pythiis, ubi quum Arcesilaum pro Demophilo rogare constituisset, a re tamen ad nautas longissime discedit.' Recte profecto Corradus. Nam oratorum quidem est celerius regredi ad propositum, quia imprimis iis propositum est docere: eoque digrediendi pausam faciunt, ubi existimant auditorem satis esse delectatione perfusum. Longe vero secus comparatum est cum Poëtis, cum hi vix aliud quam delectationem spectent. Quin sæpe ne quidem hos uti epanodo, indicio est Maro, qui Georg. i. occasione arrepta ex Solis indiciis, digressionem facit de morte Cæsaris, eaque librum claudit. Id ipsum quoque comprobat Horat. iii. Od. 11. de Mercur. qua, arrepta occasione e fabula e filiarum Danai supplicio, digreditur ad Lyden puellam, atque eam similes ait pœnas manere, si porro contumax esse pergat. *Vossius.*

51 *Heroum mira virtutes*] Heroum virtutes ἀρχαϊκῶς dictum pro heroibus ipsis, ut 'virtus Catonis' Horatio, Homero βίη Πριάμοιο. Apollonius, παλαιγενέων κλέα ἀνδρῶν, hoc est, Heroas ipsos. *Scal.*

55 *Nec dum etiam seseque sui tum credidit esse*] Ultima pars hujus versiculi conficta est a correctoribus. Nam vetus scriptura ita concepta est in nostro libro: *Nec dum etiam seseque sui cui—credet.* Puto minorem lacunam relinquendam, sed minimo labore legi posse: *Nec dum etiam sese quæ sit vix et sibi credit.* Nam *credet* haud dubie pro *credit* positum est; ut supra, 'acquiescet' pro 'acquiescit.' scriptum fuerat: *Necdum etiam sese que sit vis et siui credet.* Ex quo formata est illa quorundam scriptorum librorum lectio, *Nec dum etiam sese que sui tui se credet.* Parum puto me a veræ lectionis vestigiis discessisse. *Idem.*

61 *Bacchantis prospicit evoe*] Βακχευούσης εὐοῖ, id est, τῆς εὐαζούσης. Nam *Evoe* hic non est nomen, quod putavit Parthenius, et fortasse doctiores illo credere potuerunt. *Idem.*

63 *Mitram*] 'Mitram' dici aiunt a dictione μίτος, id est, *filum*. Mitra,

inquit Hesychius, ænea lamina, diadema, hoc est, fascia, zona, thorax, tænia. Addit Suidas, μίτρας esse zonas, et indutum purpureum, et Laconicos peplos, ac talia, cujusmodi est ὁ περιτραχήλιος κόσμος, ornatus qui cervicem circumdat. Primum discimus Mitram esse ornamentum, seu redimiculum capitis muliebris. Herod. lib. I. Hujus mitræ frequens mentio apud Auctores. Catul. hic; Achil. Tatius, lib. III. Parthen. in Polyer. Θ. Solinus ait cap. 36. 'Arabas gestare capita mitrata et redimita.' Huic mitræ affinis fuit illa, cui apud Pollucem nomen στελεγγὶς, quod ait esse δέρμα κεχρυσωμένον, ὃ περὶ τὴν κεφαλὴν φοροῦσι, nempe γυναῖκες: *pellem deauratam, quam circa caput ferunt* mulieres. Quia muliebribus mitris, plerumque adduntur flores, eas vocarunt πολυανθέμους: *floridas, florentes, corollis et coronis insignes.* Et αἰολομίτραν vocarunt ποικίλην μίτραν ἔχοντα. Interdum 'mitra' est corona plexa e fasciis. In usu tamen est ut omnis corona vocetur μίτρα, inquit author Etymologici. Quandoque hæc dictio significat laminam ferri. Homer. Il. Δ. Fuit quoque 'mitra' fascia seu lamina quæ pectus muliebre tuebatur, qualis illa, in quam Medea condidit φάρμακον προμήθειον. Apollon. Rhod. III. &c. fuse Carol. Paschal. Coronar. lib. IV. cap. 20. et 21.

65 *Non tereti strophio*] Fugit Isidorum memoria, qui hæc ex Cinna adducat. *Scal.*

Strophio] Nonius, 'Strophium est fascia brevis quæ virginalem tumorem cohibet papillarum.' Turpil. Phil. 'Me miseram quid agam? inter vias epistola excidit mihi, infelix inter tunicam ac strophium quam collocaveram.' Ut inter aurea ornamenta referam suadet Isidorus: is enim lib. XIX. cap. 33. 'Strophium,' inquit, 'est cingulum aureum cum gemmis, de quo ait Cinna: Strophio lactantes cincta (scribo cum Dousa F. Catull. *vincta*) papillas.' Prudentius: 'Nomen hoc gemmæ Strophio illigatæ.' *Bernartius.*

Lactantes] Scrib. cum Dousa F. ac vetustioribus editionib. *luctantes*, id est, quasi pugnantes ac repellentes strophium: seu 'sororiantes;' ita dicuntur cum intumescunt. 'Fratriare' puerorum est, Festus. Plaut. Frivolaria, 'Tunc papillæ primitus Fraterculabant; illud volui dicere, Sororiabant.' Eleganter Dousa P. hunc locum sibi imitandum proposuit, in hoc epigram. 'Fraterculantes jam mamillæ primulum: Illud sororiantes volui dicere,' &c. Nos ad calcem harum notarum totum epigramma hoc propter venustatem et hujus loci dilucidationem dabimus, ex autographo ipsiusmet nobilissimi authoris; cujus opera poëtica, manu authoris passim correcta, ad manus nostras pervenerunt.

70 *Tota pendebat perdita mente*] Hic emendatius legitur in nostro manuscripto, *toto te pectore, Theseu, Toto animo, tota prodebat perdita mente.* Ita ergo reponito. *Scal.*

75 *Gortinia tecta*] Noster liber *templa;* quod ἀρχαϊκῶς dictum ab illo: nam omnia loca templa vocabant veteres. Vide Varronem. *Idem.*

77 *Androgeoneæ*] Recte emendarunt docti viri, quum in libris scriptis legeretur *Quom Androgeneæ:* 'Ανδρόγεως' sed quidam fecerunt metaplasticως 'Ανδρογέων' Propert. 'Restituit patriis Androgeona focis.' Oraculum autem, quod acceperunt Athenienses de persolvenda pœna Androgeoneæ cædis, hujusmodi est. Id enim, quia passim omnibus obvium non est, apponere volui. Λοιμοῦ καὶ λιμοῦ τέλος ἔσσεται, ἤνπερ ἑαυτῶν Σώματ' ἀπὸ κλήρου ἄῤῥεν καὶ θῆλυ νέμητε Μίνωϊ εἰς ἅλα δῖαν ἀποστέλλοντες, ἀμοιβὴν Τῶν ἀδίκων ἔργων· οὕτω θεὸς ἵλαος ἔσται. *Idem.*

80 *Quis angusta malis*] Noli dubitare, quin legendum sit *angusta*.

Perpetuum epithetum mœniorum 'augusta :' Ennius : ' Augusto augurio postquam incluta condita Roma est.' Quia igitur augusto augurio ponuntur mœnia, ob id augusta dicta. Romane ergo de rebus Græcis loquitur: ut ne addam, quod *θεόκτιστον ἄστυ* potuit indicare. Nam Minerva cum Neptuno condidit. *Idem.*

83 *Funera Cecropeæ nefunera*] Ita junctim legendum. Græci, quibus licet esse tam disertis, possunt uno verbo contraria duo ponere : *γάμος ἄγαμος*. Latini voluerunt exprimere, ut ille poëta apud Cic. qui dixit, ' innuptis nuptiis.' Ovid. Met. II. ' Ut dedit amplexus, injustaque justa peregit.' Aliquando non possunt, ut hic *funera nefunera*, *τάφος ἄταφος*. Sic aliquando Græci penuria laborant : ut Sophocles dixit *γυναῖκα οὐ γυναῖκα*. Dio, cui nulla est imposita necessitas figurate loquendi, ita pene loquitur; ut quum dicit, *Διὰ τὴν τῶν σφαγέων οὐ τιμωρίαν*: noluit enim dicere *ἀτιμωρησίαν* lib. XLV. et XLIX. *Αἴτιον τῆς οὐ διώξεως αὐτῷ*. Asperum enim fuisset, *ἀδιωξίας*· quanquam et sic nihilominus Græce loqui potuisset. Thuc. lib. V. *Κατὰ τὴν οὐκ ἐξουσίαν τῆς ἀγωνίσεως*. In primo capite prioris Macabæorum *Τοῦ ἀσεβοῦς καὶ οὐκ ἀρχιερέως Ἰάσονος*. *Idem.*

Funera ne funera] Sic Euripides in Hippolyto *πότμον ἄποτμον* : in Helena *ἔργα ἄνεργα*. Sophocles in Electra *μήτηρ ἀμήτωρ* dixit : quæ addi possunt iis quæ ad h. l. notarunt Scaliger et Muretus. *Dousa F.*

89 *Progignunt flumina myrios*] Repone *ἀρχαϊσμὸν* ex veteri scriptura *myrtus*. Sic Virgil. in Culice, ' Aëriæ platanus.' Hæc minima, quæ magistelli vocant, tanti momenti sunt, ut sine illis ne seria quidem sæpenumero tractari possint. Exemplum esto in Georg. II. ' Et steriles platani malos gessere valentes, Castaneæ fagos.' Quid ? Castaneæ inseritur fagus ? o me hominem vacui capitis, si puto hæc ad agricolationem facere, nisi iterum ad chaonias glandes revertamur. Legendum enim profecto, ' Castaneas fagus.' Fagus enim pluraliter, ut hic *myrtus*, ut in Culice ' platanus.' Sed fortasse objicientur illa Plinii ex libro XV. cap. 16. ' Quippe quum Virgilius insitam nucibus arbutum, malis platanum, cerasis ulmum dicat.' Nam hunc locum Virgilii habebat in animo Plin. ubi vides eum non malum platano, sed contra malo platanum inseri. Quid ni et eodem modo fagum castaneæ ? Quis non videt ipsum hallucinatum esse, et Virgilium non malo platanum inseri, sed contra sensisse ? Præterea ipsum confudisse hunc locum cum alio, ' Pullulat ab radice aliis densissima silva Ut cerasis ulmisque.' *Scal.*

92 *Quam toto concepit pectore flammam*] Repone, *Quam cuncto concepit p. f.* ex veteri libro. *Idem.*

96 *Quæque Idalium frondosum*] Lego *frondosam*. Sic apud Ovid. ' Ilion defensa.' *Idem.*

102 *Aut mortem oppeteret Theseus*] Ita magis placet, quam scriptura libri nostri *expeteret*. Pacuvius Niptris : ' Priusquam oppeto malam pestim hostili mandatam manu.' *Idem.*

104 *Suspendit vota labello*] In nostro scripto et in omnibus fere aliis *succendit*. Idem.

108 *Illa procul*] Totum hunc locum ex nostro libro ita legito : *illa procul radicibus exturbata Prona cadit, lateque et comminus obvia frangens*. Tibull. ' lento perfregerit obvia pilo.' Quod autem ex *obvia* factum sit *omnia*, hoc debetur priscæ scripturæ. Nam sine ullo dubio scriptum fuerat, *ouuia*, ex quo *omnia* conflatum. Hic enim fuit priscus scribendi modus. Victorinus, ' Ob autem mutatur in cognatas easdem, ut offert, officit, et ommovet, ommutescit, et oppandit, opperitur, et ouuertit, ouuius.' *Idem.*

110 *Sic domito sævum prostravit*] Noster liber, *prosternit*. Ita solebant ex præsenti præteritum facere, ut olim

in Varronem docuimus. Sic atteruisse, discedisse, relinquisse. *Idem.*

111 *Nequicquam vanis jactantem cornua ventis*] Apud Cic. in Epist. ad Att. legitur versiculus, qui ne verbo quidem uno minus eandem sententiam concipit, Πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμαίνοντα. *Idem.*

112 *Inde pedem victor*] Repone ex scriptura veteri *sospes;* ut etiam olim Aldus excudit. *Idem.*

118 *Ut consanguineæ complexum*] Dissentit ab aliis. Nam consanguineam illam, hoc est Phædram, avexit secum. *Idem.*

119 *Quæ misera*] Sic fere nostri libri; alii libri habent *lecto* pro *leta:* pro *ignara* Pal. Membr. habet *agnata.* Nos totum versum ita concinnamus: *Quæ misera agnato fuerit deperdita letho.* Quin ipse liber Commelini totum versum sic legit, *Quæ fuit ingratæ misero deperdita leto.* Malo tamen, ut ego emendavi. 'Lethum agnatum' vocat Minotauri vel Androgei cædem. *Meleager.*

Quæ misera ignaro fleret deperdita luctu] Non Catulli, sed correctorum hæc sunt. Vetus scriptura in nostro libro ita concepta fuit: *Quæ misera ingrata....deperdita leta.* Illud *leta* sine ullo dubio transpositum censeo. Nam *tela* legendum: verbum, quo illam lacunam explendum est, quod aliud putem, quam *vixit? Quæ misera ingrata vixit deperdita tela.* Quæ, inquit, solata est suum dolorem tela facienda. Hoc videtur, ut alia, imitatus Virgilius lib. IX. 'et tela curas solabar aniles.' *Scal.*

120 *Thesei præferret amorem*] Liquida scriptura in nostro, *Omnibus his Thesei dulcem præoptavit amorem.* Quam qui mutavit flagro dignus non fuit? Attici dicunt προτιμᾶσθαι, *optare,* αἱρεῖν. Sallust. Historia tertia: 'Atque eum Cæpio laudatum, accensumque præmiorum spe, quibuscum optavisset, ire jubet.' Vide Nonium. *Idem.*

122 *Aut ut eam dulci devinctam lumina somno*] Noster codex non *dulci,* sed *tristi:* quæ lectio verior est. Nam tristem somnum dicit propter ea quæ consequuta sunt. Non enim hic locum habet Homeri νήδυμος ὕπνος, neque utitur perpetuo epitheto. *Idem.*

125 *Clarisonas imo*] Neque hoc γνήσιον puto. Nam noster liber planam scripturam præfert, *clarificas:* hoc est simpliciter, claras: sic infra 'Justificam mentem,' justam. *Idem.*

129 *Tollentem tegmina suræ*] 'Tegmina,' cothurnos. Virg. 'Purpureoque alte suras vincire cothurno.' *Idem.*

132 *Abductam perfide*] Latinum sane: sed cur illis displicuit antiqua lectio, *avectam?* quæ melior sane est: quia navi eam avexit. Sed ex prisca scriptura manavit error. Nam, *abvectam* scriptum fuit. *Idem.*

138 *Vellet miserescere*] Mirum constantem esse scripturam in calamo exaratis, *mitescere.* Plane puto scriptum fuisse, *Immite ut mostri vellet mitescere pectus: mostri* antique enunciatum pro *monstri,* 'Mostellaria,' pro 'Monstellaria,' 'Mostellum.' Quis dubitat elegantissime dictum 'monstri pectus' ἐπὶ τοῦ ὠμόφρονος; Propterea dixit, *mitescere:* ἡμεροῦσθαι, τιθασσεύεσθαι· monstrum enim θῆρα et feram belluam intelligit. Manifestum ergo commentitiam esse vulgatam lectionem. Ita autem construendum, quasi dixisset, ut tuum pectus monstri. Ausonius, 'Anticipesque tuum Samii lucumonis acumen,' ut a nobis olim emendatum est. Acumen tuum Lucumonis. M. Cato Ciceroni, 'Ut tuam virtutem cognitam in maximis rebus domi togati, armati foris.' Virtutem tuam togati dixit. Cicero L. Paulo Cós. 'Me consulem tuum studium adolescentis perspexisse.' Quæ omnia dicta sunt per ἔλλειψιν 'tui:' studium tui adolescentis. In Græcis minus laboramus: Τὴν σπουδήν σου

μειρακίου. Hic ergo *monstri pectus*, hoc est, pectus tuum, qui monstrum es. Vix est, ut aliter scripserit Catullus. *Idem.*

139 *At non hæc quondam*] Quia hæc, ut pleraque alia ab imperitis correctoribus interpolata sunt, nihil periculi est veterem lectionem in suas sedes reponere: *At non hæc quondam nobis promissa dedisti Voce: mihi non hoc miseræ sperare jubebas.* Idem.

142 *Quæ cuncta aërii*] Liber noster, *Quæ contra aërii.* Idem.

159 *Sæva quod horrebas*] Explicandum hic reor *priscum* pro severo et antiquo, quod tales veteres et antiquos fuisse opinio sit, ut severioris et censorii judicii et acerbitatis: si verebaris, inquit, sine consensu severi tui patris Ægei uxorem me ducere, quod ejus jussa et monita pertimesceres, qui tibi districte edixerat, ne se inscio et ignaro ullam duceres. *Turneb.*

164 *Sed quid ego ignaris*] Lycophron: *Τί μακρὰ τλήμων εἰς ἀνηκόους πέτρας, Εἰς κῦμα κωφὸν, εἰς νάπας δασιπλήτιδας Βάζω, κενὸν ψάλλουσα μάσταxος κρότον*; *Scal.*

171 *Utinam ne tempore primo*] Apollonius, *αἴθε σε πόντος Ξεῖνε διέῤῥαισεν, πρὶν κολχίδα γαῖαν ἱκέσθαι. Idem.*

174 *Religasset navita*] Ligare funem est *ἐπ' ἀγκυρῶν ὁρμίζεσθαι*. Quod Græcorum poëtarum more dictum, qui id exprimunt per, *πείσματ' ἀνάψαι*. *Idem.*

176 *Consilium, in nostris quæsisset*] Noster, *reliquisset*, alii *requisisset*: non est obscurum legendum *requiesset*, *Nec malus hic, celans dulci crudelia forma Consilia in nostris requiesset sedibus hospes.* Idem.

178 *Idmoneosne petam*] Satis constat hæc a malis correctoribus an corruptoribus contaminata esse, aliis *Idmeneos*, aliis *Idomenis* legentibus. At si priscam scripturam reponamus, nihil est præterea quod desideremus. Est autem ejusmodi: *Isthmoneosne petam montis.* Lege, *Isthmon, eosne petam montis, ah gurgite lato Discernens pontum truculentum ubi dividit æquor?* Isthmon ne petam, inquit, an eos montes, ubi æquor discernens dividit pontum truculentum? Obsecro te, candide lector, quid est in hac lectione, quod te offendere possit? Multi sunt Isthmi in Creta, quorum meminit Strabo. Quemnam habuerit in animo Catullus, quum hæc scriberet, tuum est quærere, et invenies apud Strabonem, qui non unius *ἰσθμοῦ* in Creta mentionem facit. *Idem.*

183 *Quine fugit lentos*] Illud *lentos* conformatum ex prisca scriptura *vetitos*. Quod fortasse non male excogitatum. Virgil. 'remus lentandus in unda.' *Idem.*

184 *Prætereo litus*] Inepte. Lege, *Præterea litus solum: nullo insula tecto:* vel, quod idem est, *Præterea litus nullo, sola insula, tecto:* quæ proculdubio vera est lectio. *Idem.*

204 *Numine*] Dignum nota, 'numen' hic pro nutu accipi, ut et in illo Virgil. Æn. XII. 'Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem, Quod potius reor et potius Di numine firment.' Sic 'momen' pro 'momento' sæpissime, et. 'fulmen,' pro 'fulmento' alibi legas apud Manilium. *Dousa F.*

227 *Ferrugine Hibera*] Glossæ: *Ferrugo, πορφύρα μέλαινα. Scal.*

229 *Ac sedes defendere sueta annuerit*] Ex veteri scriptura lege, *Quæ nostrum genus ac sedes defendere fretis Annuit, ut.* Idem.

238 *Quum te reducem sors prospera sistet*] Haud diu est, quum hæc adulterina lectio in alienas sedes inrepsit. Nam et vetus scriptura, et antiquitus emissæ editiones non *sors*, sed *ætas* habebant. Quare illud retine. Virgil. Æn. VIII. 'Adtulit et nobis aliquando optantibus ætas Auxilium, adventumque Dei.' *Idem.*

250 *Quæ tum prospectans*] Et hic quoque grassatores isti ac insessores bonorum audaciæ suæ ac temeritatis

vestigia reliquerunt. Nam bene habet vetus, *Quæ tamen adspectans.* Est idem cum illo, quod superius notavimus, 'Tardet ingenuus pudor, Quæ tamen magis audiens Flet, quod ire necesse sit.' *Idem.*

258 *Pars e divolso raptabant*] Ita habet noster, non *Jactabant.* Idem.

260 *Pars obscura, &c.*] Græci uno verbo dicunt ὀργιάζειν, celebrare orgia, quæ non sunt Bacchi tantum; nam dicuntur et ὄργια πόθων, i. e. amorum, in epigram. et ab Aristoph. ὄργια μουσῶν, de sacris Adonidis Aristoph. ἀπὸ τῆς ὀργῆς, *a furore*, vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, *a montibus*, inquit Servius, Latinis *cerimoniæ.* Idem, 'tertio quoque anno celebrabantur: unde Trieterica Virgilio dicuntur.' *Orgia* Bacchi *obscura;* quia occulta et mystica, sive quia κρύφια μυστήρια. Sacra autem illa Bacchi in arculis vimineis capacibus erant, quas cistas poëta vocat. *Passer.*

261 *Orgia quæ frustra*] Apuleius Apologetico, 'Vel unius Liberi patris symmystæ, qui adestis, scitis quid domi conditum celetis, et absque omnibus profanis tacite veneremini.' *Scal.*

262 *Plangebant alii*] Scripta lectio *aliæ:* quæ recta est. Bacchæ enim intelliguntur, de quibus sermo. *Idem.*

264 *Multaque raucisonos*] Omnis vetus scriptura *multi.* Fortasse verum est quod habent multæ editiones, *Multi raucisonis efflabant cornua bombis.* Sed *Multæ* legendum esset. Nam ut dixi, Bacchæ intelliguntur; vel, *Multis raucisonos efflabant cornua bombos.* Porro ejusmodi pompa Bacchantium fere eodem modo ab Æschylo ἐν Ἠδωνοῖς describitur, Σεμνὰ Κότυς ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς· Ὄργια δ' ὀργάν τιν' ἔχοντα· Ὁ μὲν ἐν χερσὶ Βέμβικας ἔχων τόρνου κάματον, Δακτυλόδεικτον, πίμπλησι μέλος Μανίας ἐπαρωγὸν ὁμοκλάν. Ὁ δὲ χαλκοθροῖς κοτύλαις ὀτόβεῖ. *ψαλμὸς δ' ἀλαλάζει. Ταυρόφθογγοι δ' Ὑπομυκῶνταί ποθεν ἐξ ἀφανοῦς Φοβεροὶ μῖμοι. τυπάνου δ' ἀχὼ Ὥσθ' ὑπογείου Βροντῆς φέρεται βαρυταρβής. *Idem.*

266 *Talibus amplificæ*] Hactenus vestis illa descripta. Vestibus etiam toros geniales contegi solitos auctor Lucan. 'Legitimæque faces, gradibusque adclivis eburnis Stat torus, et picto vestes discrimina tauro.' *Idem.*

274 *Procedunt leviterque sonant*] Non leviter hæc contaminata esse fidem fecerit ea, quæ in nostro libro extat, scriptura, *Procedunt, leni resonant plangore cachinni.* Cachinnus vero non significat crispationem undarum, quod disertis viris videtur, sed sonitum illum, quem plangore undæ ad litus edunt. Attius Phinidis: 'Ac ubi curvo litore latrans Unda sub undis labunda sonit, Simul et circum magnisonantibus Excita saxis sæva sonando Crepitu clangente cachinnat.' Cachinnare in undis Græci καγχάζειν, καχλάζειν, καχάζειν dicunt. Euripides Hippolyto: καὶ πέριξ ἀφρὸν Πολὺν καχάζον ποντίῳ φυσήματι. At γέλασμα apud Æschylum aliud est. *Idem.*

276 *Purpureaque procul nantes a luce refulgent*] Ἀμαρύσσουσι. *Idem.*

284 *Plexos tulit ipse corollis*] Coronæ diminutivum est corolla, hoc est, tenuis, sive gracilis corona, eademque plerumque florea, aut herbacea, ut scire licet ex his Catulli versibus, quod unico versu Palladius complexus est, *ver placidum vario nectit de flore corollas.* Græcis corollæ sunt στεφανίσκοι, ut apud Longum lib. I. ποιμεν. describentem Daphnin et Chloën ludentes inter delitias veris. 'Et apum,' inquit, 'imitatione simul flores legebant.' Et hos quidem in sinus jaciebant; ex aliis στεφανίσκους πλέκοντες, *corollas plectentes*, nymphis ferebant. Possumus dicere corollas fuisse subitarias coronas ex eo flore plexas qui vigeret. Has corollas plerumque imponebant statuis numinum, quæ domi servabantur, ac si illo quotidiano et qualicunque cultu ea sibi propitiarent. Hujus moris meminit Fotis apud Appul. lib. III. *Paschal.*

288 *Nereidum linquens claris*] Conspurcata hæc sunt ab illis bonorum auctorum carnificibus. Nullus liber manu scriptus, nulla editio antiquitus emissa extat, quæ non habeat *Minosin linquens doris*. Parva dictu labes, sed non parvi momenti. Legendum enim: *Minyasin linquens Doris celebranda choreis*. *Minyasin* archaica scriptura, et Græca declinatio, μινυάσιν. Sic Propert. ut notamus suo loco: 'Grata domus nymphis humida Thyniasin.' Idem: 'Non minor Ausoniis est amor ah Dryasin.' Item: 'Ah dolor ibat Hylas ibat Hamadryasin.' Primam in *Minyasin* produxit non aliter, quam poëtæ alii primam in Italia, Phylacides, et aliis. 'Doras choreas' quas vocet, non obscurum est. Alludit enim ad morem Doricarum puellarum, quæ in phænomeridibus saltabant. Idque Græci vocabant δωριάζειν. Si τὸ *doris* est corruptum, corrigatur ergo. Ego in præsentia nihil potui. *Scal.*

Doris celebranda Choreis] 'Doræ Choreæ' dicuntur, cum puellæ Doricæ in Phænomeridibus saltabant, quod dicitur δωριάζειν· significat etiam nudari, quia nudæ fere saltabant, maxime Spartanæ. 'Dorus,' pro 'Doricus;' ut 'Romula gens,' et 'Tros Æneas,' et 'Dardanus,' pro 'Romulea,' 'Troius,' 'Dardanius.' *Passer.*

Celebranda choreis] Claudianus, III. Cons. Honor. 'post Pelion intrat Nereis illustre choris.' *Scal.*

289 *Non vacuus; namque ille tulit*] Hæc non minore incommodo ac illa accepta sunt. Vetus et scriptorum et excusorum lectio: *Nonacrios: namque ille tulit*. Sed τὸ *ille* additum ad fulciendum versum. Itaque non difficilis est conjectura hæc investigandi. Deest igitur prima syllaba in prima voce *Nonacrios*. Lege vero: *Cranona erisonamque tulit*. Cranon est urbs intra Tempe: auctor præter alios Stephanus. *Erisonam* pro *Ærisonam* prisco illo more scribendi. De fodinis metallorum Thessaliæ satis Plinius. 'Ærisonam' vocat, propter metalla, quomodo eodem omnino locutus est modo Martialis, 'Et ferro Plateam suo sonantem.' Id est Plateam ærisonam: in qua scilicet ferrum aut æs foderetur. Totus vero egregius iste locus ita et legendus et distinguendus: *Confestim Peneos adest: viridantia Tempe, Tempe, quæ sylvæ cingunt superimpendentes, Minyasin linquens doris celebranda choreis, Cranona erisonamque, tulit radicitus altas Fagos*. Scio quid super hoc loco docti viri conati sunt, frustra, ut apparet. Peneus igitur adfuit, linquens Tempe et Cranona. Sic Græci λιπὼν τὴν πόλιν. Euripides Hecuba: Ἥκω, νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας Λιπὼν, ἵν' ᾅδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν. Ennius, ea ita circumlocutus est, 'Adsum atque advenio Acherunte vix via alta atque ardua, Per speluncas saxeis structas aspereis pendentibus Maxumeis, ubi rigida constat crassa caligo inferum.' Cranon autem feminino, quamvis Narbo, Martius, Hippo regius dicatur. Sic supra, 'Sirmio venusta.' Sic Silius dixit, 'regia Pleuron.' Juvenal. 'quam Dorica sustinet Ancon:' et in commune omnes urbes feminino genere efferunt. Ovid. 'Tum quum tristis erat, defensa est Ilion armis.' Item: 'Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis Ilion?' Ubi alia lectio habet Ilios; ut Ἴλιος ἱρή. *Idem.*

291 *Non sine nutanti platano*] Recte quidem Ennius 'Capitibu' nutantes pinos:' quia illæ arbores desinunt in conum, et a vento flecti possunt, quod poëtis est ἠμύειν. At platanus quomodo nutans dici potest, cujus rami in latum sparguntur, non in acutum coëunt? *Idem.*

Lentaque sorore Flammati Phaëthontis] Vetus lectio, 'letaque sorore.' Lege 'fletaque sorore.' Nota fabula de Heliadum lacrimis. *Idem.*

301 *Unigenamque simul cultricem*

montibus Idæ] Vetus scriptura, *montibus idri*, veteri more scriptum *idri* pro *hydri*, hoc est, serpentis Pythonis: montes hydri sunt delphici montes propter Pythonem serpentem ibi ab Apolline sagittis confixum. Quod autem hic Phœbum cum Diana mansisse solos, neque Pelei nuptiis interfuisse dicit, falsum convincit Æschylus, apud quem Thetis ita de Phœbo conqueritur: *τὰς δ' ἐμὰς εὐπαιδίας Νόσων τ' ἀπείρους καὶ μακραίωνος βίου, Ξύμπαντά τ' εἰπὼν, θεοφιλεῖς ἐμὰς τύχας Παιὰν ἐπευφήμησεν εὐθυμῶν ἐμέ· Κἀγὼ τὸ Φοίβου θεῖον ἀψευδὲς στόμα Ἤλπιζον εἶναι, μαντικῇ βρύον τέχνῃ· Ὁ δ' αὐτὸς ὑμνῶν, αὐτὸς ἐν θοίνῃ παρὼν, Αὐτὸς τάδ' εἰπὼν, αὐτός ἐστιν ὁ κτανὼν Τὸν παῖδα τὸν ἐμόν.* *Idem.*

309 *Candida purpurea talos*] Apponam priscam lectionem, *Candida purpurea Tyrios extinxerat ora.* Sed in margine erat emendatum, *intexerat:* cui conveniens est, quod alii libri habent *intinxerat:* quod procul dubio est pro *intexerat.* Significat igitur in illa veste Tyrios intextos fuisse, non ut Virgil. 'Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.' Tyrii intexti in illa essent, quemadmodum Britanni in aulæis: sed Tyrii hic pro Tyriorum purpura, ut apud Horat. 'in æquali tonsore capillos:' id est, tonsura: ut multa ad illud exemplum apud veteres. Vult igitur illam vestem candidam purpura Tyria prætextam fuisse. Quare oram illam purpuream interpretare institam: quæ propria matronarum erat. Instita, ut veteres magistri interpretantur, est *περιπόδιον, περιπόδιλον*: et ita Ptolemæus usurpat, *περιπόδιον* in asterismo Virginis et Heniochi. In Hygin. Fab. LXXXVIII. 'acropodium Minervæ' in eam mentem accipitur. In veteribus libris pro *vestis* legebatur *quercus:* quod nos olim licet mendosum enarrare conati sumus. Id si cui placet, per me quidem sequatur licet. Hæc tamen vera lectio, quam nunc publicamus, et quam priore editione non assequebamur. *Idem.*

323 *Carmine perfidiæ*] Ita docti viri emendarunt ex antiqua scriptura illa, *Carmine, perflabat.* Id accidit, quod in Langobardicis literis nulla est omnino inter I et L differentia: item diphthongus divisim legitur in veteribus libris *ae, oe, &c.* Idem.

325 *Clarissime nato*] Illepide sane, ac insipienter, uti ego hariolor: proinde non dubito, quin, *clarissime natu*, h. e. genere ac natalibus, scriptum fuerit a Catullo nostro, orto errore ex cognatione literarum O et U in Mss. Adde quod natus iste Peleo necdum natus erat, quo tempore hæc a Parcis, si Poëtæ fides habenda, ad pulvinar ejus Geniale canebantur: cui rei fidem facit consequens illa de Achille, etiamnum in oras adhuc luminis prodituro, disertissima vaticinatio, 'Nascetur vobis expers terroris Achilles.' *Dousa P.*

335 *Nulla domus tales*] Tres hi versiculi ut adulterini neque in nostro libro et quibusdam antiquis editionibus adscripti, a nobis rejiciuntur. Et sane si quis propius spectet, eos superfluos judicabit. Suspicor esse Marulli, aut similis frontis. Nam putarunt abruptum nimis esse a nuptiis ad liberorum mentionem descendere. In quo decipit eos acutum suum judicium. *Scal.*

351 *Quum tremulo in canos*] Interpolatitia lectio. Vetus est, *Quum cinerem canos.* Lege, *Quum cinere incanos*: *cinere incanos*, albicantes cinere, quod fit in luctu; *πεπαλαγμένους κόνει* poëtæ dicunt. *Idem.*

Incanos] *Incanos crines* pro 'valde canis' accipit, ut 'invinctum' pro 'valide vincto et compedito.' *Dousa F.*

354 *Prosternens messor aristas*] Hæc mutarunt quibus ad saporem vetustatis palatum obbrutuerat: nam diserte vetus scriptura ita concepta est, *Nanque velut densas præcernens cultor aristas.* *Cultor* est agricola, co-

lonus: *præcernens*, quod toties apud Homerum τιτυσκόμενος. Referenda igitur hæc ad priscorum morem, quem servabant in metendo. Nam pro nationum diversitate diversi et metendi hodieque sunt modi. Nisi forte quis malit *præsternens*. Scal.

360 *Quojus iter cæsis angustans*] Attius Epinausimache: 'En Scamandriam undam sanctam salso obtexi sanguine, Atque acervos alta in amni corpore explevi hostico.' Manifesto sunt ipsius Achillis verba. *Idem.*

369 *Madefient cæde sepulchra*] *Madefient* recte ex *madescent*, quod in veteri scriptura erat, fecerunt docti viri; neque ullum negotium fuit hoc divinare. *Idem.*

378 *Hesterno collum, &c.*] Cum virgo nupta prima nocte cum marito concubitura erat, colli mensuram filo circumdato capiebant. Postero mane eodem filo collum mensurabant: quod si latius quam ut filo comprehenderetur, inveniebant, defloratam esse ea nocte pro certo habebant: sin vero nihilo majus evaserat, adhuc pro integra habebant, aut antea fuisse devirginatam censebant. Neque id absque ratione factum videtur: siquidem ut memoriæ proditum est ab Aristot. de Hist. Anim. VII. c. 1. præcipue vox mutatur in asperiorem et minus acutam, quo tempore coitus inchoatur, ut qui vocem conservare velint, a coitu ipsis abstinendum sit. Unde et facile conjici potest instrumenta voci famulantia, quæ intra collum posita sunt, primo coitu dilatari, et consequenter collum augeri, forsan quod semen dum ab universo corpore, et præsertim a capite, secundum Hippocratem et alios veteres, per colli vasa præcipitatur, vias illas vi quadam cogat, atque ampliores reddat; vel quod corpus in primo coitu magnopere agitatum ubique, et maxime circa collum spiritibus et humoribus diffusis repleatur atque in majorem molem attollatur. *Mercurialis.*

Hesterno collum poterit] Etiam Calpurnius tumentem cervicem ponit inter argumenta διακορεύσεως: 'Sed postquam Donacen duri clausere parentis, Quod non tam tenui filo de voce sonaret, Solicitusque foret linguæ sonus, improba cervix, Suffususque rubor crebro, venæque tumentes.' *Scal.*

383 *Felicia Pelei Carmina*] Pelei, τῷ Πηλεῖ. Virgil. 'Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo:' τῷ Ὀρφεῖ. *Idem.*

384 *Cecinerunt pectore Parcæ*] Noster *omine*, non *pectore:* et ita legatur omnino necesse est. Nam hic intelligitur de ominibus, quæ in nuptiis captabantur. An non ea sunt vera omina, quæ Parcæ cecinerunt? Sed quid argutamur? Canere divino omine est plane θεσπίζειν, θεσπιῳδεῖν. Divino omine cecinerunt ἐμαντεύσαντο. *Idem.*

386 *Sæpius et sese*] Prodigiosa lectio vetus, *Nereus ut sese mortali ostendere cœtu.* Ego quid pro illa, quod verum sit, substituam, non habeo. Fortasse nullum est mendum, et constat lectio. Sæpius, inquit, cælicolæ solebant invisere castas domos, ut ecce Nereus, qui se ostendit mortali cœtui ob nuptias Thetidis filiæ. *Idem.*

388 *Templo in fulgente revisens*] Archaica locutio: ut 'Reviso domi:' 'Reviso ad eum.' *Idem.*

390 *Conspexit terra centum*] Inepte pro *centum* quædam editiones habebant *Cretum.* Virgil. illud eos satis refellit, 'Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.' *Idem.*

397 *Armatas hominum est*] Nam Nemesis seu Rhamnusia Dea victoriæ, et tropæorum. Ausonius in Epigr. quod vertit ex Græco de Nemesi. *Idem.*

405 *Divos scelerare penates*] Non *penates*, sed *parentes* habet liber nos-

ter. Recte πατρῴους θεοὺς, *parentes deos*, vertit: et ita postulat sententia. Nam quum scelus hoc cum privigno commiserit, quid aliud quam in paternos Deos impiavit se? Patri enim ipsi injuriam facit. Parentes igitur Dei, πατρῷοι, γεννήτορες. *Idem.*

CARMEN LXV.

2 *Nec potis est dulcis Musarum*] Non displicet quod in ora libri nostri eadem manu notatum est: *Nec potis est harum dulcis:* imo verum esse putamus. Neque enim bis idem repetere, Latinum est. Nam quum dixit virgines pro Musis, quare Musarum iterum meminit, nisi δὶς ταὐτὸ εἰπεῖν vult, quod est in proverbio Græcorum? *Scal.*

8 *Obterit ex oculis*] Græcissat. *Obterit*, ἀμαθύνει, ἀφανίζει. *Idem.*

9 *Adloquar*] Expunximus hunc versiculum. Siquis id queritur injuria factum, habet lacunam in nostro libro, quacum de eo expostulet. *Idem.*

Carmina morte canam] Veteres editiones *legam*. Ejus extant in nostro vestigia. Legitur enim, *tegam*. Idem.

14 *Fata gemens Ituli*] Ἴτυς, Ἰτύλος· Ἔρως, Ἐρωτύλος. Sed reclamat vetus scriptura, *absumti fata gemens Prothei.* Protheum ego Tenthredonis filium ex Homero et Lycophrone scio, nullum præterea scio. *Idem.*

16 *Hæc expressa*] Vetus liber *excerpta;* ab eo Eclogæ dictæ. *Idem.*

19 *Ut missum sponsi*] Alii legunt, *sponsæ*, ut respondeat τῷ *missum:* si *sponsi* legimus, respondebit τῷ *munere*. Fortasse legendum: *Ut missa sponsi furtivum munere malum.* 'Munus' in leg. 53. de Verb. Signif. definitur, 'Donum cum causa,' ut Natalitium, Sponsalitium, Nuptiale. *Passer.*

23 *Atque illud, &c.*] *Atque* pro 'statim' positum accipio, id quod ex Enniano illo perspicue planum: 'Atque atque accedit muros Romana juventus.' Quomodo etiam Maronis illud intelligendum, 'si brachia forte remisit, Atque illum in præceps prono rapit alveus amni:' docuit nos jampridem Gellius lib. x. cap. 29. *Dousa P.*

CARMEN LXVI.

6 *Dulcis amor gyro*] Ita docti viri ex *govero* aut *givodero*. Nam et illud corruptum ex *goero*. 'Goerus' est 'Gyrus.' Ausonius, 'Octo et octoginta goeris, et super trihorio.' Idem, 'Additis ad hos priores goeros geminis orbibus.' Idem doctissimus poëta dixit 'cœbum' pro 'cubo,' ut olim in nostris Ausonianis lectionibus notavimus. 'Gyrus' autem est, flexus metæ; ut, 'Interiore diem gyro rapit:' hoc est, sinisteriore flexu. Spatium Lunæ et Solis non mirabitur, qui scit eis bigas, et quadrigas adtribui. Si quis gyrum simpliciter pro circuitione Solis accipere malit, per me liceto. *Scal.*

Aërio] Pro 'cœlesti' dictum, ut apud Callim. ἐν ἠέρι pro 'in cælo.' Hinc et ἠερόφοιτος Luna cognominatur Græcis, et Ἄρτεμις quasi ἀερότομις, i. e. *aërem secans*, dicitur teste Macro-

bio. Glossarium, 'Aërium, cæleste.' *Dousa F.*

11 *Novis auctus Hymenæis*] Repone, *novo auctus Hymenæo.* Hoc facimus auctore vetere scriptura. *Scal.*

15 *Anne parentum*] Elegiam quidem Callim. in comam Berenices non habemus; sed extat similis locus ex ejus dactylicis: 'Α παῖς ἁ κατάκλειστος Τὰν οἱ φασὶ τεκόντες Εὐναίους δαρισμοὺς Ἔχθειν ἶσον ὀλέθρῳ. Plane ipsissima est sententia. *Idem.*

18 *Non ita me Divi vera gemunt juverint*] Prima in *juverint* est correpta ἀρχαϊκῶς quomodo dicebant 'vellerunt' pro 'vulserunt;' 'scinderunt,' a 'scindo.' Sic præteritum 'juvi' nihil mutat a præsenti 'juvo.' Sic Terentio in Hecyra 'impellerim;' 'qui illum ad laborem impellerim.' Quare non sequimur eos qui legunt *juerint.* Idem.

27 *Anne bonum oblita es*] Ex vestigiis priscæ scripturæ colligimus ita Catullum scripsisse, *Anne bonum oblita 's facinus: quod regium adepta 's conjugium?* Sic apud Cic. in Epist. 'Imminuta 'st, appellanda 'st, nulla 'st,' ut observat doctissimus P. Victorius. *Idem.*

28 *Quod non fortior auxit alis*] Lege, *quod non fortior aut sit alis?* Anne oblita es, et quod nupsisti Regi, et quod nemo te fortior sit? Historia hujus rei extat apud Hyginum, quare magnanimam vocet eam. *Idem.*

33 *At quæ ibi pro cunctis*] Ita concinnandus locus, *At quæ ibi, proh! cunctis pro dulci conjuge Divis Non sine taurino sanguine pollicita es, Si reditum tetulisset is, aut in tempore longo Captam Asiam Ægypti finibus adjiceceret?* Idem.

43 *Ille quoque, &c.*] Montem autem Atho crediderim significari, quem ducta fossa, admissoque mari continenti abscidit Xerxes: quamquam autem est maximus mons ille, tamen eum gloriæ suæ magnitudine et claritate supervehitur et superat Achilles, Phthiæ clara progenies: nisi si dicat, ultra eum montem Thessaliam esse, ejusque partem Phthiam, in qua divinis honoribus colatur Achilles. *Turneb.*

Quem maxima in oris] Scriptura plane characteris Langobardici: A pro U, et contra. Nam *maximu' in oris* scribendum erat; sed, ut jam dixi, in eo charactere nihil inter se differunt hæ literæ duæ. Quem, inquit, Atho maximum in oris Phthiæ progenies clara supervehitur. Progeniem claram dixit Macedones, adulans Ptolemæo propter Alexandrum et ejus successores Ptolemæos. *Scal.*

45 *Quum Medi irrupere*] Correctores antiqua lectione offensi, eam mutarunt, quæ erat, *Quum Medi properare novum mare.* Infinitivus modus pro definito tempore, creberrimus apud Sallustium. Sic ad eundem modum Claudianus de nuptiis Honorii et Mariæ, 'Quum procul augeri nitor, et jucundior aër Attonitam lustrare domum:' ubi dictum 'Quum augeri,' 'quum lustrare,' ut hic *quum properare.* Quum, inquit, Medi properabant novum mare. In Æn. VIII. 'Interea quum jam stabulis saturata moveret Amphitryoniades armenta, abitumque pararet, Discessu mugire boves, atque omne querelis Impleri nemus, et colles clamore relinqui.' Hic 'impleri,' et 'relinqui' eodem tempore censeri debent, quo *moveret,* et *pararet,* quanquam scio vulgus Grammaticorum eum locum aliter accipere: ubi sane plane Grammatici sunt, hoc est, ἀκανθολόγοι. At Virgilius dixit, 'quum impleri,' 'quum relinqui' eodem modo, quo hic dictum, *quum properare.* Vide quam male hunc politissimum poëtam habuerunt scioli isti. *Properare mare,* ut Horat. 'properare apio coronas.' Virgil. 'Et quamvis igni exiguo properata

maderent.' *Idem.*

Quum Medi properare] Sic restituimus ope libri vetusti, *Cum Medi peperere novum mare, cumque juventus Per medium classi barbara navit Athon.* Xerxis fossam, quæ erat mille quingentorum passuum sive duodecim stadiorum, *mare* vocat, ut Plinius 'fretum.' Meliores authores passim 'Atho' dicunt, τὸν Ἄθω, non 'Athon.' *Is. Vossius* ad Melam, pag. 188. *Medi* pro *Persis*. Horat. 'Neu sinas Medos equitare inultos.' Μῆδος est Persarum rex vel Darius vel Xerxes apud Xenophontem: ita etiam Græci præsertim Attici Persas nominant. *Casaubonus* ad Athen. lib. II. c. 14.

47 *Quid facient crines*] Virgil. pene ad verbum, 'Quid facient domini, audent quum talia fures?' Et constat, quum Xerxes tot millia hominum impenderet ad montem perfodiendum brevi opus totum explicasse: unde verbo properandi usus poëta festinationi operis accommodo. *Scal.*

48 *Juppiter, ut Chalybon*] Ingeniose quidem Politianus ex Græco Callimachi restituit: sed quam vere, haud dum scio, quum editiones, quæ ante hanc emendationem Politiani emissæ sunt, constanter habeant, *celicum:* quod et Grammatici ejus sæculi testantur in manuscriptis etiam extare: nam unde hanc corruptam vocem hausissent formis excusi, nisi ex scripta lectione? Certe in nostro liquide scriptum fuit, *telitum*. Sed jam toties monuimus in his exemplaribus manuscriptis C, pro T, et contra scriptum fuisse. Itaque et illud *Celicum* nostro quoque exemplari confirmari potest. Quanquam ex *telitum*, *telorum* fecit Parthenius. Certe *Chalybon* non scripsit Catullus: quare? quia nimium quantum discedit a vestigiis priscæ lectionis. Quid ergo? Puto, ut ingenue fatear, Catullum τὸ Χαλύβων in Græco poëta non pro natione, sed pro ipso ferro accepisse. Nam chalybs passim apud Græcos etiam τὸ στόμωμα, acies ferri. Itaque unam syllabam desiderari puto, *Juppiter, ut sicelicum omne genus pereat.* Nam prima syllaba *si*, extrita erat, ut in illo hujus poëmatii versiculo: 'Sanguinis expertem non veris esse tuam me.' Deest haud dubie prima syllaba *si. non siveris.* 'Sicelices,' aut 'Sicilices,' cultra tonsoria vocat. 'Sicilire' est cædere. 'Sicilices sunt quas in sibynis, aut lanceis, aut venabulis, αἰχμὰς Græci vocant. Ennius, 'Incedit veles volgo sicelicibu' latis.' Vide quæ ad Festum eo loco notavimus. Hic vero ut diximus, 'sicilices' sunt cultri tonsorii, quibus abscissa coma. In Glossis autem Sicilicum est ξυρὸν σκυτέως. Notum quid sit 'sicilire prata.' Hoc enim est circumcidere. Apud Isidorum præclara sunt veterum scriptorum testimonia, tanquam preciosiorum pavimentorum tessellamenta. Sed ea non raro pervertit Isidorus, in quibus illud succurrit: libro VI. cap. 12. Circumcidi libros Siciliæ primum increbuit. Nam initio pumicabantur. Nihil temere asseram. Sed videtur auctor, unde desumpsit, scripsisse, *Circumcidi libros, id est, sicilire.* Reliqua sunt ab Isidoro. Apud Martial. lib. IX. Epigr. 78. 'Et libata semel, summos modo purpura cultros Sparserat.' Ita legendum ex scriptis libris. Nam 'cultros' intelligit, quos hic Catullus dixerat 'sicilices.' Purpura autem est prima lanugo barbæ, ut etiam vestis. Et vesticeps ὁ πρωθήβης. Sane sequentia manifesto docent Catullum τὸ Χαλύβων non pro natione accepisse, sed pro chalybe ipso. Aliter enim accipit ac Callim. scripsit. Quum enim scribit, *Et qui principio sub terras, &c.* vertens ex illo, Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος, Τηλόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν· ostendit se aliter legisse, ac citatum invenimus: nempe,

Τηλόθεν ἀντέλλοντε κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν· et μὶν, τὸν Χάλυβα interpretatur, quum Callimachus τῷ *ferro* referat, *quum ferro talia cedant*, ut si scripsisset, Καὶ τί κόμαι ῥέξειαν, ἐπεὶ τάδε εἴκαθε χαλκῷ; Ζεῦ πάτερ, ὡς Χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος, Τηλόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν. μὶν, hoc est, τὸν χαλκὸν, seu σίδηρον, quod antea dixerat. *Idem.*

Juppiter, ut Χαλύβων omne genus pereat] Advertendum adverbium, *ut*, tam hic, quam apud Horat. 'Juppiter, ut pereat positum rubigine telum,' non tam significare 'utinam,' quomodo apud Charisium explicat Aruntius Celsus, quam quod Comici alias cum excandescentia, ac devotione quadam per 'qui' efferunt: ut illud Terentii, 'Qui illum Di omnes perduint:' sic enim idem alibi, 'Ut te omnes equidem Di Deæque perduint:' et Plautus plusquam sexcenties, 'Ut te magnus perdat Juppiter:' quod ipsum et nos vernaculo sermone totidem pæne verbis efferimus *Dat u God schende.* Dousa P.

51 *Abjunctæ*] Noster liber *Abruptæ*. Nimirum hæc bona lectio ac sincera minutulis magistris displicuit; quare, nescio: sententia enim plana. *Scal.*

53 *Unigena*] Unigenas fratres et sorores vocat Catullus. Sic supra Dianam 'Phœbi unigenam' dixit. Ergo Memnonis unigena Pegasus quia Auroræ filius. Sane Pegasum ab Aurora dono Jovi datum scribunt Græcorum commentarii. Lycophron autem et alatum Pegasum, et eo vehi Auroram scribit, Ἠὼς μὲν αἰπὺν ἄρτι Φηγίου πάγον Κραιπνοῖς ὑπερποτᾶτο Πηγάσου πτεροῖς. Quare igitur alitem et pinnatum facit, haud obscurum est. *Idem.*

54 *Chloridos ales equus*] Antiqua scriptura in nostro libro, *alis equos: alis*, ut 'germin,' 'rumin,' pro 'ales,' 'germen,' 'rumen' ut olim in libros rerum rusticarum notavimus, *equos*, ut supra 'maritos' pro maritus. Arsinoën pro Venere Zephyritide cultam ex Callimacho ante hos quindecim plus minus annos admodum adolescentes notaveramus. Possemus et illos versus Callimachi adducere ex Athenæo, nisi jam eos Turnebus libris suis Adversariorum inseruissent. Chloris et Zephyritis συνώνυμα sunt. *Idem.*

55 *Me tollens advolat oras*] Noster codex, *umbras*, non *auras*. Quod meo periculo reponas licet. Nam noctu rapta fuit ea coma. Itaque mane in templo non comparuit: umbras ergo noctem dixit. Hoc plane pertinet ad historiam: quod tamen auduces homines, quum minime intelligerent, perverterunt. *Idem.*

57 *Ipsa suum Zephyritis*] Quemadmodum Arsinoë pro Venere colebatur, ita ex his colligemus equum, quem in delitiis habuit, Pegasi nomine appellari: tanquam et ipse inter astra collocatus esset: unde 'famulum' ipsius vocat. Sane a studio equorum ἱππεία vocata fuit Arsinoë. Auctor Hesychius in Glossis. *Idem.*

58 *Grata canopæis*] Omnia luxata, perversa, contaminata sunt ab ineptis pædagogis, qui insigni aliqua temeritate plus sibi gloriæ apud homines sui similes pariunt, quam viri docti ex aliqua egregia emendatione. Tanta penuria est hominum, qui in istis literis aliquid videre possunt. Ego aio, atque iterum aio, Catullum ita scripsisse, *Gnata Canopiis incola litoribus Ludit ubi.* Canopiis est Κανωπείοις. ut Alexandria ex Græco Ἀλεξάνδρεια. Antiochia, Ἀντιόχεια. Prisca lectio fuerat, *Canopicis:* nempe propter similitudinem hic C, pro E positum fuerat. Nam antiquo illo more scriptum fuit *Canopicis* ut supra, 'ludei,' 'lucei.' Hæc perpetua erat in I longo veterum illorum orthographia. Illud, *Ludit ubi*, ex perturbatis vestigiis scripturæ, quæ in nostro libro est, odorati sumus. Quæ sunt omnia γνήσια Catulli, et elegantissima. Ze-

phyritis Arsinoë, inquit, eo miserat famulum suum Pegasum. Quo? nempe ubi Gnata Berenice ludere cum aliis æqualibus solet. Nam Berenice, ut et pueri sciunt, Arsinoës filia. *Grata* pro *Gnata* etiam in exemplari Gallicano potuit exaratum fuisse, ut apud Plautum in Truculento, 'E re grata' scriptum extabat, et editum est, pro 'E re gnata;' quod aliis est, 'E re nata.' Quantum autem hæc antea deformata erant? Quam male isti homines meriti sunt de politissimo poëta, quem tot vibicibus pene stigmatiam fecerant? *Idem.*

59 *Vario ne solum limite cæli*] Hæc quoque Catulliana non sunt, sed eorundem hominum commenta. Noster liber habet, *vario ne solum in limine cæli Aut Ariadneis aurea temporibus Fixa corona foret:* quæ proba lectio est, modo pro *limine* legas *lumine:* lumen cæli est cælum ipsum περιφραστικῶς. Juvenal. 'Nil præter nubes, et cæli lumen adorant.' Sed ibi vulgo legebatur *numen*, ut supra eodem errore, 'Cælesti lumine vidit,' perperam 'numine' et scriptum in nostro extat, et vulgo editum est. 'Cæleste lumen,' et 'cæli lumen,' hoc est cælum. *Idem.*

60 *Ex Ariadneis*] Ostendimus jam scriptum esse, *Aut Ariadneis:* quod probum et verum est. Ne solum, inquit, corona in cælo, aut in capite Ariadnæ fixa esset. Nam alii coronam simplicem in cælo ponunt, ut major pars Astronom. alii ipsam Ariadnam in cælo collocant; ut quidam Mythologi. Propert. 'Te quoque enim non esse rudem testatur in astris Lyncibus in cælum vecta Ariadna tuis.' *Idem.*

63 *Uvidulam a fletu*] Et hic ore correctorum Catullus loquitur. Nam vetus scriptura longe aliter habet, *Vividulum a fluctu.* Sed profecto Gallicanus codex habuisse videtur *a flutu* unde factum *fluctu.* Nam qui *a fletu* legunt, ut habet melior pars editionum, videntur secuti illam lectionem, *a flutu*, quæ proxime a vero abest; nam *u* pro *a* positum, imo *u* et *a* eadem sunt in Langobardicis characteribus. Legemus vero *a flatu:* et, ne solœcismum committamus, *Vividulo a flatu:* 'Vividulum flatum' vocat, quem Græci poëtæ ἀκραέα ῥιπὴν. Nam sublatus fuerat in cælum Bostrychus Berenices. Itaque his verbis innuit se vento secundo sublatum in auras. Qui dubitat hanc nostram emendationem veram esse, eum ego jubeo ἅπτειν λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ. Non quod ita judicio nostro confidimus; sed quia ut nolumus adversus animi nostri sententiam verum oppugnare, καὶ ὀμόσε τῇ ἀληθείᾳ χωρεῖν, sic adversus ineptorum magistellorum audaciam illud tueri nullum prorsus periculum esse puto. *Idem.*

66 *Callisto juncta Lycaoniæ*] Qui hæc mutarunt, vellem mihi dicerent qua fiducia id fecerint: an quod ullam analogiam sua correctione restitutam putent? minime: neque enim efficient unquam, ut *Callisto* tertio casu dictum fuerit. Dixissem saltem *Callistæ*, nempe, Καλλιστοῖ. Noster liber minimum abest a vero. Legit enim, *Callisto justa Lycaonia.* Si literulam addas, ut pro *Lycaonia* legas *Lycaonida*, veram, ut puto, et germanam lectionem erueris. 'Justa' veteres pronunciabant, pro quo, nescio quo fato, 'juxta' nunc dicimus: eodem modo 'mixta' librarii nobis transmiserunt pro 'mista,' 'Ulyxes' pro 'Ulysses.' Infra, 'Mentula habet justa triginta jugera prati.' *Idem.*

67 *Vertor in occasum*] Nam Coma Berenices habet ab oriente Booten, ab occidente terga leonis, a Septentrione posteriores pedes Ursæ majoris, a meridie Virginem, media prorsus quatuor asterismorum. *Idem.*

69 *Sed quanquam me nocte premunt vestigia divum*] Aratus, θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται. *Idem.*

77 *Quicum ego, dum virgo*] Noster,

quom virgo. *Expers* autem dictum eodem modo, quo ‘defrens, defrensis.’ Sic ‘expers, expersis;’ sic ‘præsex, præsicis:’ et ut Græci a futuro hæc nomina formant, sic Latini a supino: Græci enim *οἰστρόπληξ*, *κατώβλεψ*, *ἐπίτεξ*, *αἰγίλιψ*, et similia: ‘expers’ ergo, ‘expersis,’ idem quod ‘expersus,’ verbum est ‘expergo,’ *διαραίνω*. Sed alii malunt *expers* hic esse *ἄμοιρος*, vulgata significatione. Quod, si ita malunt, concedimus. Erunt igitur contrarium, *expersa unguentis*, et *expers unguentorum*. Idem.

Omnibus expers] Probo Joh. Aurati conjecturam, *ominis expers*. Fortasse autem ita legendus est posterior versus: *Unguenti Assyrii millia multa bibi;* vel *Unguenti Surii*, pro Assyrii vel Syrii: et dixit *millia unguenti*, ut in Epithalamio ‘multa millia ludi.’ *Passeratius.*

79 *Nunc vos optato quas*] Correctores, si literas spectes, quæ paucæ numero sunt, leviter hæc mutarunt; si sententiam, non leviter peccarunt. Ita enim ex nostro libro legendum: *Nunc vos, optato quæ junxit lumine tæda, Non post unanimis, corpora, conjugibus.* O vos, inquit, corpora, quæ diu quidem desideratis viris copulata estis, sed quibus postea vobiscum non bene convenit. Vos, quæ speratis quidem vestris tandem nupsistis, sed ita, ut inito matrimonio, non bene inter vos congruat. Manifesto huic comæ jubet rem divinam facere matronas castas, quæ male concordes viros sibi cupide restitui volebant: quod mox ex sequentibus apparet. Tamen, quum hæc correctores non animadverterent, omnia hæc perverterunt. Hujus autem temeritatis signifer fuit Avantius. *Scal.*

82 *Quam jucunda*] Lege, *Qua*, id est, ut. *Idem.*

83 *Casto colitis quæ jura cubili*] En cacoëthes correctorum: nam ut paucularum literarum levissima immutatione graviter commiserant, ita hic unius verbi depravatione quam alienam a mente poëtæ sententiam effecerunt? Legendum enim plane ex nostro libro non *colitis*, sed *petitis.* Vester, inquam, onyx, quæ petitis jura maritorum vestrorum, integro pudicitiæ nomine. Quæ, inquit, petitis restitui vos viris vestris, modo constet pudicitiæ fama. Imo: Quæ vultis, ut mariti jus suum pudori conservent: recte. Virgil. ‘Ante, pudor, quam te violem, aut tua jura resolvam.’ *Idem.*

85 *Illius aura*] Repone antiquam lectionem, *Illius ah mala dona levis bibat irrita pulvis.* Idem.

91 *Non votis esse tuam me*] Vetus lectio, *veris*, aut *vestris* præfert. Si *veris*, deest prima syllaba, ut supra dixi. Sin, quod verius est, *vestris*, profecto inversum est pro *Siveris*. Ita distingue et lege: *Tu vero, Regina, tuens quum sidera Divam Placabis festis luminibus Venerem, Sanguinis expertem non siveris esse tuam me, Sed potius largis adfice muneribus.* Si quis hic interpretationem quæsierit, ego eum ad primos magistros redire censeo, ut qui non intelligat, quæ vix primis literis tinctum ignorare nefas esse arbitror. Male enim hactenus interpretati quidam sunt nescio quam Venerem sanguinis expertem: quum hoc voluerit Veronensis nostras, O Berenice, quum Hecatomba facies Arsinoæ Veneri ne me immunem ejus sacrificii facias: ne postremam me in illo epulo memoraveris. *Idem.*

92 *Sed potius largis effice*] Illud *effice* Pontani est, ut *τὸ votis*, quod superius suppositum erat. At recte noster, *adfice:* Noli me immunem tanti epuli relinquere, sed potius largis muneribus adfice. Si veterem lectionem recte perpendisset Pontanus, non minorem gloriam Criticus, quam poëta consequutus esset. *Idem.*

94 *Proximus hydrochoi fulgeret Oarion*] Est scripta membrana, et veteres editiones hanc lectionem testantur.

Qui Erigonem et Arcturum hic supposuerunt, dum bonos Astrologos se profitentur, profecto malos Criticos se prodiderunt. Non enim hic de thesi illius astri sermo est; sed aliud vult poëta: nempe, quum fulgidum astrum sit ipsa coma, quod poëtica αὐξήσει intelligitur dictum, quum revera sint ἀμυδροὶ ἀστέρες, et velle repetere caput Reginæ testetur, mandat Orioni astro fulgentissimo, ut pro se lucere velit. Quod si quis objiciat, Orionem non posse dici proximum Hydrochoo, quum ab eo sit remotissimus: ego respondeo tantam ἀκρίβειαν a poëtis non esse exigendam. Quid? nonne Euripides dixit: σείριος ἐγγὺς ἑπταπόρου πλειάδος ᾄσσων. Sane haud multo remotior est Sirius a Vergiliis, quam Orion ab Aquario. Itaque Ennius videns absurditatem, quum eam fabulam, id est Iphigeniam, verteret, non Vergilias, sed Ursam vertit: quia tam Ursa, quam Vergiliæ, est sidus ἑπτάποροv. Non tamen dissimulare possumus nobis mirum videri non solum Callimacho Orionem Aquario tam vicinum videri, sed etiam Sirium Pleiadi. Non tamen propterea mutandum esse dicamus, siquid absurde ab illis dictum. Simplicissimus ergo sensus hujus loci, quem non sine magnæ temeritatis conscientia correctores contaminarunt. Sed omnium maxime ridiculus Marullus, qui quum nullum aut admodum exiguum sensum harum literarum haberet, ridet Politianum virum non solum se majorem, sed et nullo nostræ ætatis inferiorem, qui non hæc commentus est, sed veterem lectionem, quam a magistellis depravari videbat, ab illorum audacia vindicare conabatur: et sane omnes vetustissimæ editiones, ut dixi, et quantum scriptorum exemplarium extat, non aliter habent. At Græculus ille putavit sibi licere in bonis auctoribus, quod ipse sibi in suis versibus voluit licere. Ausus est præterea annotationem doctissimi Politiani ineptissimo epigrammate exagitare. Sane quibus ille vir tantus videtur, tantique fit, debebant aliquid de pertinacia remittere, si ejus editionem Lucretianam diligenter perpenderent. Nullus enim veterum auctorum ita male ab ullo correctorum acceptus est, ut Lucretius ab illo audace Græculo. At nos illum non imitabimur, et si quæ extant ejus ac similium correctorum in bonis libris temeritatis atque audaciæ vestigia, ea prorsus abolere, atque de medio bonorum scriptorum penitus obterere nobis consilium est. Quis autem hujus ineptæ mutationis auctor fuerit, nondum comperire potui: nisi fuerit Marullus ipse. Nam tum recenter, quum illa scribebat Politianus, locus ille mutatus fuit: quod ansam præbuit homini eruditissimo veterem lectionem asserendi, quam videbat ob oculos suos ita ab audaculis labefactari. Rapidum quidem ingenium Marulli fuit, et torrens, sed quod versibus nunc bonis nunc malis ex tempore effutiendis potius, quam bonis auctoribus emendandis natum videtur. *Idem.*

Fulgeat Oarion] Ejusdem, cujus et illa superiora, officinæ est verbum *fulgeat*. Bonum quidem ipsum, sed quod Catullus tamen nunc non usurpat. *Fulgeret* enim posuit, ut præferunt scripti libri, et antiquæ editiones. 'Fulgerare' archaicum, ut 'pignerare,' 'temperare.' Glossæ: *Fulgero*, ἀστράπτω. *Idem.*

Proximus Hydrochoi] Conjungit, etiamsi sidera hæc minus sibi vicina sint; nisi pro *Hydrochoo* scribendum *Heniocho*. Heinsius ad Ovid. Art. lib. II. vs. 55.

CARMEN LXVII.

6 *Postquam es projecto*] Vetus lectio *porrecto*, et recte; hoc est, mortuo. Allusum ad gestum mortuorum. Homerus: Ὁ δ' ἐν κονίῃσι τανύσθη. Sophocles: γέροντα μόρῳ ἐκτανύσαι. Eurip. Phœnissis: τόδ' ἐκτάδην σοι κεῖσθον ἀλλήλοιν πέλας. Martial. 'Tu languore quidem subito fictoque laboras. Sed mea porrexit sportula, Paule, pedes.' Hoc est, mortua est. Horat. 'Opima quod si præda mergos juverit Porrecta curvo litore.' Utrum autem *es*, an *est*, legatur, id semper ad Januam refertur. Nam *es* refertur ad eam quidem vocandi casu. *Est* etiam tertia persona: ut illud antiqui poëtæ, *Danai, qui parent Atridis, quam primum arma sumite*. Idem ac si dixisset, Danai, qui paretis Atridis. Quare desinant Grammatici de verbo *es* aut *est* controversiam movere. *Scal.*

Facta marita] *Marita*, matrona; vel, si mavis, maritalis. Horatius Carmine Seculari, 'lege marita.' Acro Helenius: 'id est, maritali; ut Plautus, apud quem Senex, Polchra, inquit, ædepol pecunia est. Cui respondet alius: Quæ quidem non marita est, pro eo quod est: Quæ quidem non est maritalis.' Censorinus, 'Nonnulli binos Genios dumtaxat domibus, quæ essent maritæ, colendos putavere.' T. Livius lib. XXVII. 'Vagabatur enim cum uno aut altero comite per maritas domos dies noctesque.' Quare autem maritam, aut maritalem januam vocat? Diximus apud Festum, Matronæ Romanæ, simulac in mariti manum convenerant, lectum ante januam sibi in atrio sternebant, qui dicebatur adversus lectus. Propertius, 'Seu tamen adversum mutarit janua lectum, Sederit aut nostro cauta noverca toro.' Asconius quoque ejusdem lecti meminit. Vide quæ ad Festum superioribus annis notavimus. Unde Matronæ dicebantur Janitrices, præsertim duæ, quæ duobus fratribus in eandem domum innupserant. Lepide igitur dixit ad Januam, 'postquam es facta marita:' quod non obscure intelligi potest ex Propertii loco jam a nobis producto. Videmus igitur vulgare pene id fuisse, ut maritam januam vocarent, quum dominus uxorem duxisset. Aperta ergo sententia Catulli. Postquam, inquit, sene elato nupta ducta est domum. *Idem.*

8 *In dominum veterem*] Liber scriptus, *In dominum venerem*, ut *dominum* sit genitivus pluralis. Nam non uno domino functa erat. *Idem.*

12 *Verum isti populo*] Jam satis constat commentitium esse hunc versiculum, et correctorum ingenio fabricatum. In nostro libro legitur: *Verum isti populi janua quite facit*. Legimus, *Verum isti populi nainia, Quinte, facit*. *Nainia*, *nænia*, et similia in illo peroptimo exemplari Gallicano scripta fuisse videntur, pro *nænia* 'mæsta.' Nænia est aliquod dictum vulgare, ut illud, *Sorex indicio suo periit*. Plautus vocat Næniam in Bacchidibus, 'Qua quidem te faciam, si tu me irritaveris, Confossiorem soricina nænia.' Horat. vocat puerorum næniam illum versiculum: 'Rex eris, si recte faxis: si non faxis, non eris.' Ita enim ait, 'Roscia die, sodes, melior lex, an puerorum Nænia, quæ regnum recte facientibus offert.' Ita omne vulgatum dictum vocabant 'næniam,' nempe quod Græci αἶνον. Hic janua vocat 'næniam' populi illud dictum in se, *janua culpa tua est*. *Isti* est ἀρχαϊκῶς pro *Istius*. *Quinte*,

prænomen Catulli, ut disertim principio libri nostri exaratum est, *Qu. ValerI Catulli ad Cor. Nepotem libellus.* Catullus enim hæc Veronæ januam interrogat; ut male interpretati sint, qui viatores hic interrogantes inducunt. Nam quamvis janua respondet tanquam pluribus, quum dicit *vobis*, tamen unum tantum alloqui constat, quum dicit, *Ne dubita.* Sed hæc puerilia; neque in dubium revocanda. *Quite* igitur Pro *Quinte* hic scriptum fuerat, quomodo supra in Endecasyllabis, *Liquantur* pro *Linquantur*. Nihil, inquit, a me dictum aut factum quisquam dicere potest, nisi forte id næuia populi me fecisse dicat, et illi vulgari de me populi dicto fides adhibenda sit. *Idem.*

13 *Quin quacunque*] Liber, *qui*. Manifesto verum. *Qui populus.* Idem.

17 *Quod possum nemo*] Liber, *Quid possit:* lege, *Quid possis.* Quia dixerat, non potest dici a me quicquam factum, respondet Catullus, Quid possis nemo quærit, nec quid a te commissum, aut non commissum sit. Neque enim satis est te unico verbo dicere, perperam hæc vulgo in te dici. *Idem.*

20 *Namque illam vir prior*] Lege, *Non qui illam.* Nam hic aliquando *nam* pro *non* et contra alternatum est: *que* pro *qui* fere semper habuit liber noster; quod ex Gallicano exemplari manasse puto, in quo I longum semper per EI perscriptum fuit: *quei* ergo scriptum fuerat. *Attigerit* autem, non *attigerat*, ex eodem nostro libro. Non, inquit, qui illam vir prior attigisse dicatur. *Idem.*

21 *Languidior*] Languidior beta proverbium. Unde apud Suetonium in Augusto betizare, ἀντὶ τοῦ ἀτονεῖσθαι. *Idem.*

23 *Sed pater ipsius*] Liber, *illius.* Tantundem est. Lege *ille sui.* Idem.

27 *Nec quærendum aliunde*] Scriptus liber *Et quærendum*, geminandum autem *unde unde*. Ita loquitur Terentius in Phormione. *Idem.*

30 *Minxerit*] Nos olim adolescentes, *imminxerit*, ut etiam quidam scripti habent. *Idem.*

32 *Suppositum specula*] Invenerant librarii in Gallicano, *supposita*. Legerant enim U pro A, ut sæpe: quod jam non semel a nobis notatur. *Idem.*

33 *Mela*] Junius Philargyrius in illud: 'aut curva legunt prope flumina Melæ:' 'Mela,' inquit, 'amnis in Gallia Cisalpina vicinus Brixiæ, Oritur ex monte Brenno.' *Idem.*

34 *Brixia Veronæ mater amata meæ*] Ergo, hoc Veronæ agitur. Suspicor tamen legendum, *mater amata tuæ:* alloquitur enim Catullum: matrem Veronæ vocat, quasi dicat μητρόπολιν. Euripides Supplicibus: Ἄμυνε ματρὶ πόλις, ἄμυνε παλλάδος· ματρὶ, hoc est, ἄργει: et supra: ματέρος ἄγαλμα φόνιον ἐξέλοι. *Idem.*

42 *Solam consiliis*] Lege, ut olim emendabamus, *solam consciolis:* hoc est, ancillis. Horat. 'miseram se conscia clamet.' Idem: 'Quo te demisit peccati conscia herilis.' Ovid. 'Conscia quum possit scriptas portare tabellas.' Idem paulo post: 'pro charta conscia tergum Præbeat, inque suo corpore verba ferat.' Porro alienum a vero prorsus scribit Adr. Turnebus, Gallorum doctissimus, hunc esse Cæcilium, cui Clodia nupserit. Hoc enim non Romæ, sed Veronæ manifesto actum scribit Catullus. Deinde nihil tale de Clodia narratur, ut consuetudinem stupri nefandam cum patre suo habuerit. Hoc enim non tacuisset capitalis hostis ejus fratris Clodii Cicero. *Idem.*

46 *Tollat rubra supercilia*] Eleganter solemnem excandescentium et nubila fronte minas spirantium habitum et vultum expressit. Sic Philostratus in Imaginibus de Medea, Τίς ἡ βλοσυρὸν μὲν ἐπισκύνιον ὑπὲρ ὀφθαλμῶν αἴρουσα; Aristoph. in Ranis, Δεινὸν ἐπισκύνιον ξυνάγων βρυχώμενος ἥσει, ad quem locum Scholiast. vide. Quæ disertim explicant mentem Catulli. Atque hæc

quidem ad excandescentiam pertinent, quam superciliis homines declarant. De superbia ac fastu, quæ hic pendet ac sedem habet, ut loquitur Plinius, signate Petron. 'Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit. *Dousa F.* et similia *P.*

47 *Longus homo*] 'Longum hominem' pro insulso ac blenno homine accipio hoc loco; quemadmodum *μέγας* pro stolido et inepto ponitur apud Aristoph. *Dousa F.*

CARMEN LXVIII.

6 *Desertum in lecto cœlibe*] Male quidam audaculi, *in thalamo.* Quare illis *lecto* displicuit? Præterea si *thalamo* legeretur, legitimum torum acciperemus; nunc tantum de amatorio, quem sane thalamum non possis vocare. *Scal.*

19 *Fraterna mihi mors Abstulit*] Vetus scriptura, *Abscidit.* Idem.

41 *Qua Mallius in re Juverit*] Vetus scriptura, *quam salius in re.* Profecto legendum *qua m' Alius in re.* Synalœphas his exemplaribus perscriptas esse jam supra notavimus, ut, 'Devolvit ill' acuto:' cognomen huic Manlio fuit Alius, vel Allius. Infra, 'In deserto Ali nomine opus faciat.' Item, 'Pro multis, Ali, redditur officiis.' Quod a nemine hactenus observatum. Sane ab Alliis Allieni dicti, quæ fuit familia Romæ. Alliæ gentis mentio in veteri inscriptione Romana, M. ALLIVS. TYRANNVS. Concludimus igitur hunc Manlium ex Allia gente fuisse, adoptatum autem in Manliam. Itaque vocatum fuisse Manlium Allienum; pro quo Allium dixerit Catullus: quia aliter non posset includi in legem carminis. Alioqui quoties Octavius Cæsar pro Octaviano vocatur a priscis? Allius igitur sine ullo dubio est Allienus, cognomen ex nomine, ut in adoptionibus fit. Alioqui quam inepte legebatur sine pronomine *me?* Idem.

47 *Omnibus inque locis*] Expunximus hunc versum, quod alicujus audaculi esse constet, puta Marulli, aut eo non modestioris. Sane illum liber noster non agnoscit. In nostro autem aliena manu non melior illo suppositus erat, *Muscosi repetat vada remigiis Acherontis:* ut appareat vulgatum hunc non admodum vetustum esse, sed profecto subolet mihi aut Marulli, aut Pontani, aut Guarini esse. *Idem.*

50 *Deserto in Manli*] In veteri scriptura: *In deserto Ali.* Jam dixi hoc esse cognomen post adoptionem in Manliam gentem. *Idem.*

51 *Duplex Amathuntia*] *Amathusia* scriptus liber: in Ciri quoque, 'Nam te jactari non est Amathusia nostri Tam rudis.' quamvis aliter olim sensimus. Nam *Amathusia*, ut Acherusia, Rhamnusia. *Idem.*

Duplex Amathusia] Duas Veneres statuebant veteres, alteram *οὐρανίαν* dictam, quæ honestos excitare amores, alteram *πάνδημον*, quæ in libidinem impellere putata. Plato quoque in Symposio duas veneres ait: vide et Apul. in Apol. Huc pertinet quoque Epigramma Theocriti, cujus initium ita habet; 'Η κύπρις οὐ πάνδημος· ἱλάσκεο τὴν θεὸν εἰπὼν Οὐρανίαν, ἁγνᾶς ἄνθεμα χρυσογόνας. Vide etiam Artemid. lib. II. c. 42. Hinc lucem do Arnob. lib. VI. dicenti, 'Ubinam gentium fuerant una atque altera Veneres, ut impudicam petulantiam juvenum propulsarent ab se longe, et contactus impios cruciabili coërcitione punirent?' Ad Venerem πάνδη-

μον quod attinet, ejus simulacrum Athenis in foro consecratum fuit, eamque consecrationem ad Solonem quidam referunt. *Meursius.*

52 *Et in quo me torruerit*] *In quo genere torruerit*, id est, quomodo torruerit: more Græcorum, qui dicunt *ἐν ποίᾳ ἰδέᾳ*, pro *ἐν ποίῳ τρόπῳ*. Cic. Att. lib. III. 'Quod optimo genere facere non licuit:' et de Officiis, lib. I. 'Eum quicum bella geras, tam molli genere appellare.' *Scal.*

54 *Lymphaque in Œteis Manlia*] Hic Turnebus Manliam a quodam Manlio, qui montes illos primus ascenderit, dictam affirmat. Qui doctissimus vir, præter quam quod *ἀνιστόρητα* et absurda profert, adeo illi difficile fuit emendatiorum editionum fidem sequi, in quibus non *Manlia*, sed *Malia* publicatum est? Nam Malia est *μηλία*. Callim. *καὶ οὔρεα μηλίδος αἴης*. Interpres Sophoclis, *μηλιεῖς ἔθνος θεσσαλικὸν πλησίον τραχῖνος· μηλία δὲ ἡ πόλις καλεῖται·* et Sophocles ipse Philoct. *ὦ ναύλοχα καὶ πετραῖα Θερμὰ λοῦτρα, καὶ πάγους Οἴτας περιναιετάοντες, Οἴτε μέσσαν μηλίδα πὰρ λίμναν.* An dubium igitur quare Malia lympha dicta? Sophocles qui Attice loquebatur, *μηλίδα* dixit: sed ipsi Trachinii, qui loquebantur Dorice, *μαλίδα* dicebant, unde *μαλιακὸς κόλπος*. Propterea prima longa. Auctor *ἀνώνυμος ἐν περιηγήσει* ad Nicomedem regem: *Ἀγορὰ δ' ἐν αὐτῷ γίνετ' ἀμφικτυονική, Κόλπος δὲ κεῖται μαλιακὸς ἐν τῷ μυχῷ.* *Idem.*

67 *Clausum lato*] Lege ex eodem libro, *Is laxum lato.* Idem.

75 *Incepta frustra*] Recte doctissimus Turnebus, *Inceptam frustra: καὶ δόμος ἡμιτελὴς* Homero. Val. Flacc. VI. 'conjux miseranda Caico Linquitur, et primo domus imperfecta cubili.' *Idem.*

76 *Hostia cœlestis pacificasset*] Verbum *pacificasset* quidam Marulliani, quod aut barbarum aut insolens et Catullo indignum putarent, sustulerunt, et *conciliaret* pro eo reposuerunt. Profecto de illis nihil aliud dicam, quam indignos quibus respondeatur. *Idem.*

78 *Quod temere invitis*] Recte sane: sed unius voculæ mutatio in nostro longe diversum ac fortasse lepidiorem sensum efficit. Legitur enim ibi non *Quod*, sed *Quam*. Quæ lectio totam de integro interpolat sententiam. Nihil, inquit, tam libenter suscipere possunt homines, quam temere, si diis displiceat. Quæ rotundissima est Gnome. Qui hanc lectionem mutarunt, credibile est illos suam, non Catulli, mentem spectasse. *Idem.*

79 *Quam jejuna pium desideret*] In ora libri altera lectio notatur *deficeret*. Alii notant *disgeret*. Latet hic aliquod portentum mendi. *Idem.*

91 *Quæ nempe et nostro*] Reclamat vetus lectio, *Quæ vetet nostro*. Lege *Quæ (ve te) nostro: ve* est *σχετλιαστικόν*. *Mantua ve miseræ:* ve, te, proh, ah, *σχετλιαστικὰ* sunt Catullo familiaria: ut *σχετλιασμὸς* referatur ad fratrem ipsum. Subjicitur enim: *O misero frater adempte mihi: ve te, o frater.* Sic 've me' apud Senecam Apocolocynthosi. *Idem.*

97 *Non inter nota sepulchra*] *Nota*, hoc est, cognata, ut postea *κατ' ἐπεξήγησιν* interpretatur. Infra, 'Si tria notorum basia reppererit.' *Idem.*

100 *Detinet a nostro*] *Detinet extremo.* Vetus liber non male etiam *externo*, ut sit oppositum *τῷ nota sepulchra*. *Idem.*

109 *Pheneum prope Cylleneum*] Ratio postulabat Cylleneam. Est enim urbs. Stat. Theb. IV. 'Et Pheneos nigro Styga mittere credita Diti.' Male quidam legunt *Peneum*, *Πενειὸν*, pro *Φενεὸν*, obliti syllabarum. Nam pro duabus brevibus duas longas substituunt. Hoc sequutus est disertus vir in suo commentario. Itaque non mirum si in Thessalia, ubi est Peneus fluvius, contigisse dicat, non in Arcadia ubi erat Pheneos oppidum. Totam historiam habes apud Pausa-

niam; et quidem satis nota est. *Idem.*

112 *Ausus falsiparens*] Vetus lectio, *Audet:* tempus pro tempore, in quo frequentissimus Propertius. Uno exemplo contentus esto, 'At tu vix primas extollens gurgite palmas Sæpe meum nomen jam peritura vocas.' hoc est, 'vocabas.' *Idem.*

118 *Quo divum dominum*] Ineptissima hæc lectio. Itaque non Catulliana, sed correctorum. De Hercule est sermo; deinde isti docti homines de Jove loquuntur. Hoc est ἄλλο μὲν ὗς, ἄλλο δὲ ὁ μενεκλῆς. Sed sincera est antiqua scriptura: *Qui divum domitum: divum* est Herculem ipsum. I nunc, et istas egregias correctorum editiones amplectere, et eorum fide bonos auctores legito. Nihil enim hac lectione simplicius, ut quæ ne interpretationem quidem desideret. Domitum Herculem dicit subisse jugum Eurysthei, cujus imperio illa barathra exhauserit. *Idem.*

121 *Qui cum divitiis*] Legendum *quum.* Deest autem præpositio *in,* quæ fortasse reponenda est, *Qui, quum in divitiis vix tandem inventus avitis Nomen testatas intulit in tabulas: Impia derisi gentilis gaudia tollens Suscitat ah cano volturium capiti.* Ita enim interpungenda sunt illa; quia male accipiuntur vulgo. Inventus ergo in divitiis. Horat. 'Si cui præterea validus male filius in re Præclara sublatus aletur.' Græcum est, ἐπὶ μεγάλων χρημάτων τρεφόμενος. *Id.*

123 *Gaudia tollens*] In alium sensum, ac vulgus putat, 'Tollere gaudium' dicitur. Nam eodem modo, quo 'tollere risum' alicui, id est, inducere ad ridendum, vel in risum. Sic Varro dixit 'tollere alicui' proverbium, hoc est, ansam dare, ut de aliquo efferatur proverbium. Hic unicus suus necessarius heres dicitur proximo agnato gaudium tollere: quia ille imminet illius morti, ut ei succedat. Eodem modo dictum 'tollere gaudium,' quo suscitare. Volturium canum caput, ut dixi, ipsummet avum vocat. *Idem.*

124 *Suscitat et cano*] Vetus lectio: *Suscitat a cano volturium capite.* Hic more veteris scriptionis *a,* est *ah; capite, capitei,* quod toties monuimus. Qui, inquit, in magnis divitiis avitis sublatus, et heres scriptus, gaudium movet gentili deriso, quia si nepotem potest expungere, ipse, qui proximus est, jure agnationis in vacuum veniet. Itaque is est vulturius capiti cano, hoc est, avo. Sed explicanda sunt. *Idem.*

Suscitat ah cano] Legendum, *Suscitas a cano vulturium capite.* De parvo nepote loquitur, qui avo natus in extremo senio post signatas tabulas, et institutum hæredem aliquem ex gentilibus, qui proximus erat, testamentum rumpit, et frustatur gaudium gentilis, qui spe jam devoraverat hæreditatem, et imminebat quasi vulturius capiti senis, mortemque ejus expectabat expetebatque, ut frueretur bonis. At natus nepos, ubi tabulis avi nomen intulit, expuncto gentili, suscitat vulturium et amolitur a capite. *Salmasius.*

126 *Seu quicquid dicitur improbius*] Vetus scriptura, *quæ multo dicitur improbius.* Recte: qua nulla alia improbius dicitur oscula, &c. *Scal.*

128 *Quantum præcipue*] Repone ex eadem scriptura: *Quanquam.* Sententia tota hæc est: Tuus amor, inquit, altior fuit barathro illo; cui amori neque comparandus est amor avi in nepotulum unicum; neque columbarum in compares suas, quæ omnium animalium amores lascivia et procacitate vincunt. Unam excipio mulierem, quæ omnium impotentissime amat, et cujus amor desultorius est. Sed tu omnes vicisti. *Idem.*

129 *Sed tu harum magnos*] Subditia hæc: noster codex, *Sed tu olim magnos.* Græcanicum, *olim magnos,* τοὺς πάλαι μεγάλους. *Idem.*

134 *Fulgebat crocina*] Quem nudum

Cupidinem alii pingunt, eum in tunica proscribit Catullus imitatione Sapphus. Pollux lib. x. Πρώτη δὲ φάσι χλαμύδα ὠνόμασε Σαπφὼ ἐπὶ τοῦ Ἔρωτος εἰποῦσα, Ἐλθόντ' ἐξ οὐρανῶ πορφυρᾶν ἔχοντα προΐέμενον χλαμύδα. *Idem.*

142 *Ingratum tremuli*] Rara furta verecundæ heræ feremus, et reliqua tædia, præter patrem qui nostris amoribus insidiabundus observet nos querulus, labris demissis gemens. Reliqua ferre possim, hoc unum excipe. Molestum igitur senem, qui amoribus filiæ importunus intervenit, ingratum onus vocat. Hæc est vera hujus loci sententia. Sequitur enim, *dextra deducta paterna.* Idem.

145 *Sed furtiva dedit nigra*] Vetus lectio. *Mira*, non *nigra*. Idem.

147 *Si nobis id datur unis*] Ὑποβολιμαία hæc lectio. Vetus scriptura recte *unus*, non *unis;* et *is*, non *id;* et *Quem*, non *Quo*. Lege, *Quare illud satis est, si nobis is datur unus, Quem lapide illa diem candidiore notat.* Quare satis est, si unus, id est, alius dies talis sit, qualis fuit ille insignis, quem Lesbia felici nota signavit. Ovid. 'Proveniant medii sic mihi sæpe dies.' Si pro *Quo* legas *Quod*, vulgata lectio bonam quoque sententiam concipiet. Satis est si nobis unis, et nemini alii, impertiat id, quod felix illa dies notat candido lapillo. *Idem.*

150 *Pro multis aliis redditur officiis*] Imo pro illis officiis, quæ enumeravit. At proculdubio corruptus est locus. Nam legendum, *Pro multis, Alli, redditur officiis.* Quod jam supra monuimus. *Idem.*

151 *Ne nostrum scabra*] Legendum, *Ne vostrum scabra.* Idem.

156 *Et domus ipsa, in qua lusimus et dominæ*] Lege, *Et domus ipsi in qua lusimus et domina.* Domus, in qua ego ipse et domina lusimus. Trajectio lectionem mutaverat. *Idem.*

157 *Et qui principio nobis dominam dedit*] Non dici potest quam male hæc ab imperitis correctoribus accepta sint, qui nulla alia re, quam quod scriptam lectionem assequi non poterant, hæc mutarunt. Noster liber plane legit, *Et qui principio nobis terram dedit aufert A quo primo sunt omnia nata bona.* In secundo versiculo nihil detrimenti acceptum. In priore est καιρία πληγή. Sed age, quam possumus, medicinam illi faciamus: *Et qui principio nobis te trandedit oufens, A quo primo sunt omnia nata bona. Trandedit* notum ἀρχαϊσμὸν omnes norunt, ut 'Transdere in otium' Terentio in Phormione: ex *aufert* puto faciendum *oufens;* quod ita scriberent per *ov*. Si quis commodiorem lectionem comminisci potest, candidus impertiat. Nam constat nobis nomen ejus, qui primus Manlium commendavit Catullo, desiderari. Quid sit 'tradere in commendatitiis' omnes sciunt, saltem si tertium decimum Epist. Cic. legerint. *Idem.*

CARMEN LXIX.

3 *Non si illam raræ*] Ita reconcinnatum ex prisca scriptura. *No s' illa raræ.* Non enim M, aut N notabant, ut neque *bus* syllabam in dativis pluralibus tertiæ declinationis; quia illa nunquam obscurum est quomodo supplenda sint. De synalœphis jam supra sæpe monuimus. *Scal.*

6 *Caper*] Τράγος a Græcis, *Hircus* a Latinis, et *Caper*, vocatur 'fætor alarum.' Martial. 'Inde τράγος, celeresque pili, mirandaque matri Barba.'

Ovid. de Art. lib. III. 'Quam sæpe admonui ne trux caper iret in alas, Neve forent ducis aspera crura pilis.' Catul. Ep. LXXI. 'Si cui jure bono sacer alarum obstitit hircus.' Horat. Ep. 12. 'Namque sagacius unus odoror, Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis.' Acron, 'Dicit se nec fluorem narium, nec hircum ferre, quo illa laborabat: ab hircorum enim fœtore dicti sunt et olentes hirquitalli.' Inde *hirquitallire* Latini, Græci *τραγίζειν* et *τραγᾷν* dicebant. Censorinus de Die Nat. cap. 14. *Meursius.*

7 *Nam mala valde Bestia*] Plautus, 'mala bestia es.' Menander Ἐφεσίῳ· Οἶος δὲ καὶ τὴν ὄψιν εἶναι φαίνεται, Ἀφ' οὗ τοιοῦτος γέγονεν· οἷον θηρίον Τὸ μηδὲν ἀδικεῖν, καὶ καλοὺς ἡμᾶς ποιεῖ. In alium sensum usurpavit, ac Catullus: nempe quomodo alii ὅπλον· οἷον ὅπλον ἐστὶ σωφροσύνη. Et Latini: 'Quale telum.' *Scal.*

CARMEN LXX.

3 *Sed mulier cupido*] Παροιμιώδης versus: ἐγὼ γυναικὸς ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφω· facete; nam alii dicebant: ἐγὼ γυναικὸς ὅρκον εἰς οἶνον γράφω. *Scal.*

4 *In vento, &c.*] Eleganter has res conjungit, quæ eo ingenio, ut in iis imprimi nihil possit; quomodo et Propert. de ejusdem sequioris sexus sublesta ac levifida fide: 'quidquid jurarunt ventus et unda rapit.' Nam et aqua perpetuo fluit, et ventus nihil aliud est, quam 'fluens aër,' ut Seneca, aut 'multum et vehemens in unum coacti aëris flumen,' ut Apulei verbis utar. Ac tanta harum rerum cognatio est, ut quorundam philosophorum opinio fuerit, aërem cum fluit ventum, cum cogitur aquam esse: vid. Aristot. Meteor. l. I. c. 13. Fuisse autem Hippocratem hujus dogmatis auctorem testis est Olympiodorus ad eum Aristotelis locum. Et huc respexisse apparet Ennium in Epicharmo: 'Isthic est is Juppiter, quem dico, quem Græci vocant, Aërem qui ventus est, et nubes, imber postea, Atque ex imbre frigus, ventus, post fit aër denuo.' Ac fortasse etiam Tibull. 'venti temeraria vota, Aëriæ et nubes diripienda ferant.' Affine autem illi Catulliano dicto istud Nazianzeni est in Epistola ad Sophronium præfectum: Ὡς αὔραις μᾶλλον πιστεύειν καὶ γράμμασι τοῖς καθ' ὕδατος ἢ ἀνθρώπων εὐημερίᾳ. *Dousa F.*

CARMEN LXXI.

1 *Si cui jure bono*] Depravatissimus locus. Vetus scriptura, *Si qua, Viro, bono sacrorum obstitit hircus.* Non dubito recte correctum a doctis *sacer alarum* ex illo *sacrorum.* Sed nondum sanus est locus. *Viro* pro *Virro,* quia non geminabant literas. *Scal.*

2 *Podagra secat*] Ita, non *necat,* ut quidam voluerunt. Martial. 'podagra chiragraque secatur Caius.' Græci πρίεσθαι ἀλγηδόσι. *Idem.*

CARMEN LXXII.

6 *Multo ita me nec*] Lege, *Multo mi tamen es vilior, et levior.* Scal.

CARMEN LXXIII.

4 *Imo etiam tædet obstque*] Meliorem deteriore lectione mutarunt correctores. Quare enim mihi displiceat illud emendatissimum in manuscripto? *Imo etiam tædet statque magisque magis.* Quam lectionem præ se ferunt primæ editiones. *Stat* est ἐνίσταται. 'Manet alta mente repostum.' *Scal.*

5 *Ut mihi, quem nemo gravius*] *Ve mihi.* Ita repone. *Idem.*

CARMEN LXXIV.

3 *Pater vi perdespuit*] Primi omnium olim adolescentes docuimus *perdepsuit* legendum esse, quod et eximius vir Adrianus Turnebus in suis Adversariis testatum reliquit. Quam tamen emendationem mihi præripere quidam conati sunt. Non quod ego tanti mea faciam, neque quod hac existimationem meam stare aut cadere censeam, sed quia perfrictas frontes ferre non possum. *Scal.*

Perdepsuit] 'Depsere,' a δεψέω, *coquo, molo.* Cato de R. R. c. 76. 'Deinde manibus bene depsito.' Homer. Odyss. M. Κηρὸν δεψήσας μελιηδέα. 'Depsere' autem et 'molere' in obscœnum significatum accipiuntur interdum: quod etiam Cic. ad Pœtum ostendit. Varro Mysteriis, 'sed tibi fortasse alius molit ac depsit.' Idem Margopoli, περὶ ἀρχῆς, 'Depsistis, dicite Labda?'

Perdepsuit] *Perdesuit* puto. *Livin.*

CARMEN LXXV.

2 *Lesbia amata mea es*] Ita legendum secunda persona, non *est*, docet alterum pentametrum, quod in eadem persona conceptum est in veteri libro, in quo *amore tuo*, non *suo*, ut barbare in vulgatis editur, legendum est. Puto neminem hujus poëtæ studiosum esse, qui hujus aureoli epigrammatii vicem mihi gratias non agat. *Scal.*

5 *Huc est mens deducta*] Liber noster, *Nunc est mens adducta.* et sane est ἀποσπασμάτιον integri poëmatii. Cujus alterum membrum, tetrasticho constat, ejusque initium est, *Nulla potest mulier se tantum dicere amatam.* Igitur ita et conglutinandum et emendandum: *Nulla potest mulier tantum se dicere amatam Vere, quantum a me, Lesbia, amata mea es. Nulla fides ullo fuit unquam fœdere tanta, Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est. Nunc est mens adducta tua, mea Lesbia, culpa, Atque ita se officio perdidit ipsa pio, Ut jam nec bene velle queam tibi, si optuma fias, Nec desistere amare, omnia si facias.* Idem.

CARMEN LXXVI.

11 *Quin te animo affirmas*] Vetus scriptura jam dudum fuit, *Quin tu animo affirmans atque instructoque reducis.* Lege, *Quin tu animu offirmas itaque instructoque reducis? animu'* pro *animum.* Sic apud Varronem 'secundu ea.' In Pandectis, 'datu iri:' et in iisdem 'me Tu iri,' hoc est, 'Metutum iri.' Nam majuscula T geminat syllabam more scripturæ illius luculenti Archetypi. Præterea et Archaica scriptura est, *instructo* pro *instructu.* Fortasse etiam *animum firmas* melius legeretur, quam *affirmas.* Ovid. 'Quod nisi firmata properaris mente reverti, Inferet arma tibi sæva rebellis amor.' *Scal.*

Instructuque] Malim *instrictuque;* id est, incitabulo, incitamento. Apul. 'Insignis tutela nimietate instrictus atque inflammatus.' Et alibi: 'Mentes natura duce instrictæ.' *Idem.*

16 *Hoc facies sive id non pote*] Puto Catullum scripsisse, *Hoc face sis sive id non pote.* Idem.

21 *Quæ mihi subrepens*] In nostro, *Seu mihi subrepens:* seu pestis, inquit, seu torpor ille fuit. Torporem veternum vocat, hoc est, λήθαργον. *Idem.*

22 *Expulit ex omni*] Non damno hanc lectionem, fortasse tamen legendum uno verbo *exsomni.* Cassius Parmensis in Orpheo, 'nocturno exsomnis olivo immoritur.' *Passer.*

CARMEN LXXVII.

1 *Rufe mihi frustra*] Hoc epigramma lacerum est. Nam quum vulgo Hexastichon legatur, decastichon tamen fecerat Catullus. Præterea non satis emendate legitur, neque distincte. Ita igitur illum ex conjectura integritati restituimus, et ope veteris scripturæ maculas abstersimus: *Rufe mihi frustra, ac nequicquam cognite amice: Frustra? imo magno cum pretio atque malo: Siccine subrepsti mi, atque intestina perurens Mi misero eripuisti? omnia nostra bona Eripuisti, heu heu nostræ crudele venenum Vitæ, heu heu nostræ pestis amicitiæ? Sed nunc id doleo, quod puræ pura puellæ Savia comminxit spurca saliva tua. Verum id non impune feres: nam te omnia sæcla Noscent, et, qui sis, fama loquetur anus.* Non dubium est, quin duo postrema disticha cum tribus prioribus luxatis committenda sint. Alterum enim sine altero stare non potest, utpote quod imperfectam sententiam contineant. In olidum et hircosum Rufum scribit, cum quo expostulat ereptos sibi amores suos: hoc est enim quod vocat sua bona. *Scal.*

Siccine subrepsti mi] In nostro duo antiqui characteris extabant vestigia, *mei,* et *perures;* pro *mi,* et *perurens.* Sic supra, 'Antistas,' pro 'Antistans.' *Idem.*

CARMEN LXXVIII.

7 *Quod puræ impura puellæ*] Reposuimus ex prisca scriptura *puræ pura puellæ:* quod, inquit, spurca saliva tua oblevit pura savia puræ puellæ. Exprobrat illi os hircosum, ut apparet, *καὶ τὴν στοματομολυνσίαν*. *Scal.*

8 *Conjunxit*] Ineptissime. Legendum, *conminxit*. Infra, 'Tanquam conminctæ spurca saliva lupæ.' Ubi et perperam eodem errore legebatur, *conjunctæ*. Petronius, 'Consumtis versibus suis immundissimo me basio conspuit.' *Idem.*

9 *Nam te omnia sæcula Noscent*] Eodem modo in Hendecasyllabis, 'Quid vis? qualibet esse notus optas? Eris: quandoquidem meos amores Cum longa voluisti amare pœna.' *Idem.*

CARMEN LXXIX.

1 *Lesbius*] In nostro, *Cælius:* nonnullæ editiones *Gellius;* recte: hanc fœditatem enim eidem exprobrat, 'Vis dicam Gelli,' &c. Lesbiam autem ab eodem amatam et alio epigrammate testatur, 'Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum.' *Scal.*

4 *Si tria amatorum*] Audacia correctorum est ista. Nam *amatorum* supposuerunt pro eo, quod vetus scriptura præ se ferebat, *natorum*. quod et priscæ editiones etiamnum constanter servant. Sed minima mutatione *notorum* legendum, non *natorum*. Virgil. in Ciri, 'Nec mihi notorum declinant lumina voltus.' Nævius Tarentilla, 'nunquam quisquam amica Amanti amico nimis siet fidelis, Nec nimis erit morigera nota quisque.' 'Nota,' ἡ φίλη, vel potius ἡ ἐρωμένη· *notorum* igitur, amicorum: notus mos ille veterum osculo tam propinquos, quam amicos excipiendi. *Idem.*

Savia reppererit] Cicero in Sextiana de hoc ipso, 'quum illo ore inimicos meos est saviatus.' Loquitur de hoc ipso Gellio, eique eandem fœditatem oris exprobrat. Nimis argutantur, qui non *Gellius* hic, sed *Lesbius* legunt, ut Catullus de Clodio, quem constat sororem constuprasse, intellexerit, et eodem modo Clodium Lesbium vocet, quo Clodiam Lesbiam vocat, hoc uno argumento ducti, quia ille appellatus sit pulcher: quod hic videtur Catullus item objicere. Sed si Clodius, qui dictus est pulcher, inimicus Ciceronis, ea infamia flagrasset, sane Cicero talentum non meruisset, ut hoc tacere vellet. Præterea non meminerunt Clodiæ gentis patriciæ hunc fuisse quam cognomen Pulchrorum a plebeia Clodia distinguebat. *Pulcher* igitur non casu sed jure familiæ, aut gentilitio. *Idem.*

CARMEN LXXX.

4 *E molli longo*] Scriptura nostra, *Et mollis longo:* Magnis æstibus anni solebant, ut Varro loquitur, insititio pomeridiano somno diem diffindere. Itaque ex eo somno edormiendi et expergiscendi tempus erat octava, ut

ratio postulat: propterea mollem vocat, quia jam remittunt calores intenti, quum duo trientes diei confecti sunt. *Scal.*

5 *Nescio, &c.*] Λεσβιάζειν quid esset ab aliquibus explicatur, obscœnum fuisse turpitudinis genus, quo viri inguina puerorum vel virorum ore et labiis tractabant, inrumationem alias vocatam, et sicuti Phœnicissantes labra rubicunda sibi reddebant, sic Lesbiantes alba: ob quod Catullus ad Gellium, *Nescio quid certe est, &c.* Mercurial.

Vere] Vet. lib. *vera:* fortasse *verax.* Passerat.

7 *Sic certe est clamant*] Liber, *Sed certe clamant:* lege, *Sic certe. clamant.* Supra. 'Sic certe. viden' ut perniciter exiluere?' *Scal.*

Victoris rupta miselli] Nonnullæ editiones *Vitronis.* Suspicarer legendum, *Sic certe. clamant Varronis rupta Viselli.* Notum et Varrones in gente Visellia, non solum Terentia fuisse. *Idem.*

8 *Ilia demulso*] *Ille te mulso,* vetus liber. Langobardica scriptio, ut jam dixi, nullum discrimen facit inter I, et L propterea synalœpha notata fuit. Itaque ibi legendum erat, *Ili' et emulso.* Idem.

CARMEN LXXXI.

2 *Quem tu diligere inciperes*] 'Αρχαϊσμὸς, hoc est, diligeres. Sic Pomponius de origine juris, 'Sive jure certo agere instituit:' hoc est, 'egit.' Paulus libro Sententiarum tertio, capite secundo: 'Libertus duos patronos habere instituit:' hoc est, 'habuit.' Infra, 'Accipiunt precium quæ facere instituunt:' hoc est, quæ faciunt. *Scal.*

3 *Sede Pisauri*] Hoc est, Pisauro. Virgilius 'Coriti Tyrrhena sede profectum:' hoc est, Gorito. *Idem.*

CARMEN LXXXII.

3 *Eripere ei noli*] Μονοσυλλάβως. Etiam Plaut. in Pseud. 'Ei homines cœnas sibi coquunt, cum condiunt.' Lucill. 'Eidem' δισυλλάβως; 'Uni se atque eidem studio omnes dedere, et arti.' Apud Lucret. 'Eii' pro 'ei' scribitur. Solent quippe vocales geminare antiquiores magis quam consonantes: de consonantibus Fest. in *Torus,* multisque aliis in locis. De vocalibus elegans locus extat apud Priscian. lib. I. p. 545. ed. Putschian. 'Et, I, quidem,' &c. Hujus sententiæ Ciceronem etiam fuisse tradit Velius, ac scripsisse 'Gratius,' 'Maiia:' hoc et Lucretius tenuit, hinc apud eum 'Eii' et 'Reii:' de 'Maiia' exemplum comperi in Attio Annal. lib. X. apud Pris. v. c. 'Maiia nemus retinens gravido gestavit in alvo.' Hæc fere Gifanius.

CARMEN LXXXIII.

3 *Mule nihil sentis*] Vet. lib. *Nulle mihi sentis*. i. e. meo judicio merus es stupor. Volcatius Sedigitus, 'Ut contra si quis sentiat, nihil sentiat.' *Passer*.

4 *Quod nunc garrit, et obloquitur*] Repone *gannit*. Cæcilius, 'Gannit odiosus totæ familiæ.' *Scal.*

CARMEN LXXXIV.

3 *Sperabat*] Pro 'existimabat' accipitur ad Græcorum veterum imitationem, qui eodem modo ἔολπα utuntur. Vide Scoti Observ. l. II. c. 36.

5 *Sic liber avunculus*] Cognomen Liber apud Romanos. Dicti Liberi ab eo quod execto matris utero ipsi liberi evaserant. Tertullianus libro de Anima, 'Possumus illos quoque recogitare, qui execto matris utero vivi aërem hauserunt. Liberi aliqui, et Scipiones.' Sed, quantum suspicor, Liber non magis quam Scipio ab eo casu dictus est. Sed hoc vult Tertullianus; inter eos, qui cæso matris utero vivi extracti sunt, Scipionem quendam item Liberum censeri. Liberi ergo gentis an familiæ nomen Romæ, non autem Bacchi, ut quidem interpretantur. An Liber dictus, quia evasit periculum, execto matris utero? Sane qui ita execta matre nascebantur, voti erant Apollini. Virgil. Æn. x. 'exectum jam matre perempta, Et tibi, Phœbe, sacrum:' unde Apollo erat Deus familiæ Cæsarum, auctore Servio. *Scal.*

Liber] Eos falli puto, *liber* qui censent nomen esse gentis vel familiæ: significat enim spurium, qui patruum non habuerit liberum, atque ideo nec patrem. Idem fere jocus Afranii apud Charis. lib. I. 'Contemnens,' inquit, 'liber natus est, ita: mater ejus dixit: in Gallia, cum ambos emerem.' *Passer*.

6 *Sic maternus avus dixerat*] Repone ex antiqua scriptura, *Dixerit*. εἴπατο ἄν, ἐλέξατο ἄν. Non enim affirmabundus hoc dicit. Propert. 'Minyis dixerit Ascanius.' *Scal.*

12 *Jam non Ionios esse, sed Hionios*] Ab hiatu scilicet, quo aspirabat tenues. Ita enim exposuit olim parens meus in suis de Caussis Linguæ Latinæ Commentariis. Nam si tantum adhibeas ea, quæ huc studiose olim contulit Politianus, non ex toto menti Catulli satisfeceris. *Idem*.

CARMEN LXXXVI.

2 *Hæc ego sic singula*] Magis placet antiqua lectio, *Quintia formosa est multis: mihi candida, longa, Recta est: hoc ego: sic singula confiteor*. Scal.

CARMEN LXXXVIII.

6 *Abluat Oceanos*] Repone *abluit* ex eadem scriptura: ἀρχαϊσμὸς, ut, 'Edit cicutis allium nocentius:' hoc est, 'edat.' *Scal.*

8 *Non si demisso*] Τὸ *demisso capite* male audit. Inde putide, ut alias, jocum captavit Cic. in ea ad Pontifices, loquens de Sex. Clodio, 'Sed si requiri jusseris, invenient hominem apud sororem tuam occultantem se capite demisso.' Idem enim intellexit. *Scal.*

CARMEN LXXXIX.

5 *Qui ut nihil adtingat*] Et hic quoque Catullus *adtingit*, non *adtingat*, scripsit, quum idem sit pro *adtingat*. ut superius illud, *Abluit* pro *Abluat*. Scal.

CARMEN XC.

1 *Nascatur magus*] Notum ex Herodoto et aliis. Strabo, Τοὺς δὲ μάγους οὐ θάπτουσιν, ἀλλ' οἰωνοβρώτους ἐῶσι· τούτοις δὲ καὶ μητράσι συνέρχεσθαι νενόμισται. *Scal.*

5 *Natus ut accepto veneretur*] Carmen ἐπῳδὰς vocat, quas Magi Virgarum fasciculum tenentes ad ignem incinebant. Strabo, Τὰς δ' ἐπῳδὰς ποιοῦνται πολὺν χρόνον ῥάβδων μυρικίνων λεπτῶν δέσμην κατέχοντες. Phrynichus poëta apud Athen. Ὃς οὐκ ἴδ' ἀστέρ' οὐδ' ἴσως ἐδίζητο. Οὐ παρὰ μάγοισι πῦρ ἱερὸν ἀνέστησεν, Ὥσπερ νόμος, ῥάβδοισι τοῦ θεοῦ ψαύων. τοῦ θεοῦ nempe πυρός. Hoc est quod vult Interpres Theriacorum Nicandri, Δίων δὲ, inquit, ἐν πρώτῳ τῆς τρίτης συντάξεως καὶ τοὺς μάντεις φησὶ μήδους ῥάβδῳ μαντεύεσθαι. Idem Strabo, Ἐν δὲ τῇ καππαδοκίᾳ πολύ γέ ἐστι τὸ τῶν μάγων φῦλον, οἳ καὶ πύραιθοι καλοῦνται, πολλὰ δὲ καὶ τῶν περσικῶν θεῶν ἱερὰ, οὐ δὲ μαχαίρᾳ θύουσιν, ἀλλὰ κορμῷ τινὶ ὡς ἂν ὑπέρῳ τύπτοντες. ἔστι δὲ καὶ πυραιθεῖα σηκοί τινες ἀξιόλογοι. ἐν δὲ τούτοις μέσοις βωμὸς, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς, καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ μάγοι. καθ' ἡμέραν δὲ εἰσιόντες ἐπᾴδουσιν ὥραν σχεδόν τι πρὸ τοῦ πυρὸς τὴν δέσμην ῥάβδων ἔχοντες· ubi et de verbenis illis seu virgultorum fasce habes abunde et de carmine, cujus hic mentio fit: πυραιθεῖα autem quæ vocat, sunt חַמָּנִים quæ toties Prophetæ populo Dei objiciunt, quum significant illum εἰδωλομανῆ populum ritus Persicos didicisse. Quod enim Hammonim ista sint docet mox idem Strabo, Ταῦτα δὲ ἐν τοῖς τῆς Ἀναΐτιδος καὶ τοῦ Ὠμανοῦ ἱεροῖς νενόμισται. Ὠμανὸς enim est חַמָּן. Qui prophetarum linguam didicerunt, hæc mihi assentientur. Herodotus illos ignes, de quibus hic loquitur, πυρήια vocat, καὶ ἐν ὑψηλοῖς τόποις constitui solita ait: propterea convicium cælitus in illum populum, sacrificare in excelsis; quæ ipsi Bamoth vocant, hoc est, τὰ ὑψηλά. quæ vox Hebræa est. At חמנים Persica, licet Rabbini eam a sole derivent. Quæ tunc esset Hebraica. Ab eo Achæmenii dicti sunt: nam addita *aleph* in capite plane facies Achaman. Sed ne for-

tasse putes hæc me somniasse, audi interpretem Statii veterem, in Theb. I. 'Nunc,' inquit, 'Achæmenii dicuntur, ubi Apollinem Solem dicunt, cujus et sacrorum ritus invenisse dicuntur.' *Scal.*

6 *Omentum in flamma*] Strabo, Μελίσαντος δὲ τοῦ μάγου τὰ κρέα τοῦ ὑφηγουμένου τὴν ἱερουργίαν ἀπιᾶσι διελόμενοι, τοῖς θεοῖς οὐδὲν ἀπονείμαντες μέρος. τῆς γὰρ ψυχῆς φασι τοῦ ἱερείου δεῖσθαι τὸν θεὸν, ἄλλου δὲ οὐδενός. ὅμως δὲ τοῦ ἐπίπλου τι μικρὸν τιθέασιν, ὥς λέγουσι τινες, ἐπὶ τὸ πῦρ. Alioqui et Persius eodem modo loquutus est, 'Quum in flamma tibi tot junicum omenta liquescant.' *Idem.*

CARMEN XCI.

3 *Quod te cognossem*] Melius scriptura, *Qui te cognossem*. Scal.

CARMEN XCII.

2 *Dispeream, me nisi Lesbia amat*] Alius ordo in veteri, 'Lesbia me dispeream nisi amat.' *Scal.*

3 *Cui ego quasi eadem*] Manifesto falsum etiam in manuscripto. At in veteribus Gellianis exemplaribus, quorum descriptionem penes nos habemus, legitur, *Quo signo? quasi non totidem.* Plana est sententia. Quod mihi Lesbia imprecetur, ego illud amoris significationem puto. Quare? quia ego contra totidem illi execror: sed dispeream, si nihilominus amo. Recte Gellius *deprecor* interpretatur, amolior illud in caput ejus. Nam quum aliquis male imprecaretur, qui audiebat, ἀφοσιούμενος respondebat, Quod quidem ætati tuæ atque capiti vertat, ut Aristophanes, εἰς κεφαλήν σοι. Quicquid igitur imprecabatur Catullo Lesbia, id omne a se in ejus caput imprecabundus amoliebatur. Precari ne sibi accidat, hoc est Deprecari proprie. Itaque recte veteres Latini dicebant deprecari a capite et fortunis suis malam rem aut periculum: ad verbum id Græcis est ἀφοσιοῦσθαι. Conati sunt quidam Gellium super hujus epigrammatis enarratione reprehendere. Sed næ ipsi frustra sunt. Non animadverterunt Catullum totidem verbis eadem convicia in caput Lesbiæ regerere. Itaque id plane est Deprecari a se alicui. Deprecari a se in aliquem. Nam nusquam factum, ut Deprecor simpliciter sit imprecor. Neque Lesbia, quæ prima conviciatur Catullo, potest videri proprie deprecari Catullo. Id enim non patitur Latini sermonis castitas. Sed Catullus, qui non vult hæc convicia in se cadere, religione ac superstitione vulgari ea in eam regerit: idque, ut dixi, palam est Deprecari. Quin testimonium Ennii apud Gellium idem confirmat. *Idem.*

Quasi non totidem, &c.] Interpungo, *totidem mox deprecor illi. Assidue verum dispeream nisi amo.* Passer.

CARMEN XCIII.

1 *Nil nimium studeo*] In Cæsarem et Mamurram scriptum hoc epigramma tetrastichon. Nam profecto veteres editiones Parthenii recte hos quatuor versus conjungunt, nempe hoc distichon cum sequenti. Epigramma est prope simile illi Hendecasyllabo, ' Othonis caput.' Nam ut ibi Cæsarem nihil aliud quam vapulare *καὶ οἰμῶξαι* jubet, ita hic quid aliud videtur, quam *αὐτοῦ καταπροϊξάμενος* eum valere jubere? Deinde dirigit sermonem ad Mamurram ipsum, quem verbo appellat, quod sanctus Numa non nominaret. *Scal.*

CARMEN XCIV.

2 *Ipsa olera olla legit*] Si hoc proverbium Græce efferretur, non aliter posset, quam ita: *Αὕτη ἡ χύτρα ἑαυτῇ λαχανεύεται.* Simile Homericum, *αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος. Scal.*

CARMEN XCV.

1 *Smyrna*] Poëma Cinnæ vatis Smyrna inscriptum in magna celebratione apud antiquos fuit, novem perpetuis elaboratum annis: unde exiit, ut reor, præceptum Horat. de Arte Poët. ' nonumque prematur in annum.' Nam exemplum Cinnæ hoc ei vel consilium vel præceptum dictavit. Videtur tamen poëma obscurum fuisse, proinde Mart. lib. x. Epigr. 21. scripsit, ' Judice te melior Cinna Marone fuit.' Ego crediderim argumentum ejus fuisse de nefandis et incestis amoribus Myrrhæ, quæ deperiit patrem suum Cinyram: eam ego conjecturam facio ex versu uno poëmatis illius, quem profert Priscian. lib. vi. ' At scelus incesto Cinyræ crescebat in alvo.' Et ex Epigr. in Castritium, in quo ut de puella vel muliere scribitur: ' Uni Castritio se nubere Smyrna probavit: Desinite indocti conjugio hanc petere. Soli Castritio se dixit nubere velle Intima cui soli nota sua extiterint.'

3 *Millia quum interea quingenta Hortensius*] De quo Ovid. ' Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba Servi Carmina.' Gellius lib. xix. cap. 9. ' Nam Lævius implicata, et Hortensius invenusta, et Cinna inlepida, et Memmius dura.' *Scal.*

5 *Atracis*] Lege *Atacis.* Vide Athen. lib. iii. fol. 61. 10. *Livin.*

7 *At Volusi annales*] Varie legitur versus hujus altera pars. Noster liber *At volusi annales paduam portentur ad ipsam.* Primum pro *paduam* vide, an expediat *apuam* legere: deinde pro *portentur, porcentur:* C pro T, more aut potius errore usitato librariorum, quod supra toties memini me admonere; quod etiamnum in meliore parte codicum scriptorum legitur. Et est usitatissima C cum T commutatio. *Apua, ἀφύη·* ut etiam Glossarium notat: pisciculum esse omnes sciunt. Recte igitur cum

scombris congrueret. Latini veteres raro aspirabant. Sic apud Cic. 'Xenoponteius:' apud eundem, 'Rupæ studium,' pro 'Ruphæ.' Rufus, Græco ὑποκοριστικῷ detortum, ῥουφᾶς. Lucius, λουκᾶς. Athen. dixit, εἰς λιβάνωτὸν κατατεμοῦνται, ut hic videtur dictum porrigi ad apuam, vel ad scombros. *Scal.*

9 *Parva mei mihi sunt cordi monumenta sodalis*] Illud *sodalis* homines male feriati commenti sunt. Nam vetus scriptura constanter habuit, *laboris*, non *sodalis*, ut plane extat in nostro. Quod rectissimum est. Manifesto Catullus per concessionem laudari vult Cinnæ sui Smyrnam, quæ per annos novem elaborata sit: sed ingenue fatetur sibi displicere nugas obscuras. Nam obscurissimum fuisse poëma illud indicat Martial. 'Judice te major Cinna Marone fuit.' Quare quum etiamnum paulo post mortem ipsius Cinnæ vulgo non intelligeretur, extitit tandem, qui eam Commentario luculento illustraret, Crassitius Grammaticus, quo nomine magnam a studiosis inivit gratiam. Quare, quum Catullus de Cinnæ sodalis sui opere ita aperte loquatur, furor est aliter interpretari. Quid? nonne Propertius, qui toties se Callimachi imitatorem profitetur, qui se Callimachum Romanum vocat, nonne, inquam, ille palam eum propter poëma Aëtia inflatum vocat? Sed quid opus est alieno testimonio? en ipse οἴκοθεν μάρτυς hoc dicit. Quod autem aiunt ultimam vocem hujus versiculi in scriptis deesse, ego nescio quos scriptos libros mihi objiciant, quum illorum nulli noster bonitate neque vetustate cedat: præterea *monimenta laboris* Parthenius olim edidit. Denique eodem modo Martial. loquutus est, 'Accipe non Pario nutantia pondera saxo, Quæ cineri carus dat ruitura labor: Sed fragiles buxos, et opacas palmitis umbras, Quæque virent lacrimis roscida prata meis; Accipe, care puer, nostri monimenta laboris:' hoc est, accipe, non quod præstare non possumus, sed quæ sunt virium nostrarum, fragiles palmites et serta. Hæc pulchre hanc lectionem tuentur, ut nihil melius. Deinde quum Catullus poëmatia et opuscula tantum conscripserit, palam innuit sibi non placere magnum illud poëma Smyrnæ, sed monimenta sui laboris: hoc est poëmatia, odaria, et epigrammata, non obscuras illas rhapsodias. Nam non solum elaboratum fuisse oportet, cui novem annos impenderat, sed et magnum, propter eandem caussam: in quo plane imitatur Callimachum, qui ita in Hymnis canit, Ὁ φθόνος Ἀπόλλωνος ἐπ' οὔατα λάθριος εἶπεν, Οὐ φιλέω τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐχ ὅσα πόντος ἀείδει. Enarrator: Ἐγκαλεῖ διὰ τούτων τοὺς σκώπτοντας αὐτὸν μὴ δύνασθαι ποιῆσαι μέγα ποίημα. Quam luculente hæc faciunt ad rem nostram? Athen. Καλλίμαχος ὁ γραμματικὸς ἔλεγε τὸ μέγα βιβλίον ἴσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ. Quam sententiam extulit Martialis ita, 'Cui legisse satis non est epigrammata centum, Nil illi satis est, Cæditiane, mali.' *Idem.*

10 *At populus tumido gaudeat Antimacho*] Martial. 'Scribat carmina circulis Palæmon, Me doctis juvat auribus placere.' Virgil. in Prolusionibus, 'Si patrio Graios carmine adire sales Possumus, optatis plus jam procedimus ipsis. Hoc satis est, pingui nil mihi cum populo.' *Idem.*

Antimacho] Jam manifesto confirmatur id quod diximus, Cinnæ Smyrnam poëma et magnum et obscurum fuisse; propterea enim comparat id Thebaidi Ciclicæ Antimachi. Κυκλικὴ poësis dicitur, quæ totam historiam ab ipsis initiis ad finem usque ordine recitat; ut si bellum Trojanum a gemino ovo exordiaris, ut Helenæ natales principium sint operi, quia illa fuit caussa illius belli: quod fecit ille, qui Μικρὰν Ἰλιάδα, quæ aliter κυ-

πριακὰ inscribebatur, contexit, cujus initium, Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην ἐρατεινήν. Eam Iliadem Lævius vetustissimus poëta Latinis versibus reddiderat: quanquam dubitari potest, an τὰ Κυπριακὰ et Μικρὰ Ἰλιὰς sit idem. Nam τῶν Κυπριακῶν auctorem facit Dicæogenem Aristoteles, τῆς Μικρᾶς Ἰλιάδος Stasimum alii: unde Cypriæ Iliados nomine a Charisio citatur. Sic Antimachus orsurus bellum Thebanum ab interitu Meleagri incepit, a quo ad reditum Diomedis viginti quatuor libros continuavit. Vide si totam poësim ad umbilicum perduxisset, quod morte præventus non potuit, quot millia versuum ad mortem Œdipodis effudisset. Istud igitur poëma, quia prolixo ordine ac recto tractu totam rem exequitur, κύκλος dicitur a Græcis; eoque nomine sæpe ab Aristophanis interprete alia poësis nomine κύκλου citatur: item a Themistio Ἀναλυτικῶν Ὑστέρων l. I. Εἰ δὲ λέγεται καὶ ἔπη τινὰ κύκλος, ἀλλ' οὐκ ἐᾷ ταῦτα κύκλον ὑπολαβεῖν τὸν γεωμέτρην ὁ τοῦ κύκλου λόγος. Dicitur quoque eadem poësis κυκλικὸν ἔπος. Athen. lib. VII. Ἔχαιρε δὲ Σοφοκλῆς τῷ ἐπικῷ κύκλῳ, ὡς καὶ ὅλα δράματα ποιῆσαι κατακολουθῶν τῇ ἐν τούτῳ μυθοποιΐᾳ. Nam κύκλῳ διδάσκειν est, nihil omittere in docendo: κυκλοπαιδία, est *Omnium artium disciplina*, quæ et ἐν κύκλῳ παιδεία dicitur: κύκλῳ vel περιόδῳ θεραπεύειν est, quod Latinus auctor simpliciter dixit, *Circulo curare;* et simplici verbo dicitur περιοδεύειν: ut apud Epiphanium, κολλητικοῖς περιοδευθέντες. In Glossis: *Cura*, θεραπεία· *Circitura*, περιοδεία· *æger*, νοσερός. Quare non obscurum est, quare Cyclicum scriptorem vocavit Horatius Stasimum, auctorem τῆς Μικρᾶς Ἰλιάδος. κύκλον idem Horatius vertit *orbem:* 'Nec circa patulum vilemque moraberis orbem.' Quæ omnia interpretes Horatiani in suis illis immanibus Commentariis non docent. Hoc igitur ridet Catullus in Cinna, qui videtur historiam Cinaræ et Myrrhæ, quam Smyrnam vocat, altius, quam poëtam decet, repetisse: et sane oportet Cinnam circa patulum orbem historiæ moratum, qui novem annis illud opus in incude habuerit. Nam quid eum potuit adeo remorari unus partus aut amor Myrrhæ, si non alia, quibus leviter defungi poterat, curiosius ab ignotis historiis repetisset? Propterea sane opus illi fuit docto Delio natatore L. Crassitio, intima cui soli illius poëmatis nota extiterint. Quare desinant docti de judicio Catulli, quod de poëmate amici sui facit, dubitare. Certo certius enim est, non illi placere illud poëma et propter molem, et propter obscuritatem, quanquam κατὰ συγχώρησιν et eruditionem et diligentiam in eo laudet, et acceptum fore doctis dicat. *Idem.*

CARMEN XCVI.

3 *Cum desiderio veteres renovamus amores*] Repone, *Quo desiderio:* ita et scriptis et antiquitus editis libris postulantibus. *Scal.*

CARMEN XCVII.

1 *Non ita*] Lege non absimile in Anthologia lib. II. Epigr. 25. τὸ στόμα χ' ὁ πρωκτός. *Scal.*

3 *Nihil est immundius illo*] Magis

placet scripta lectio, *nihiloque immundius illud*. Idem.

7 *Qualis defessus in æstu*] 'Αρχαϊσμὸς est in veteri scriptura, *in æstum.* Frequens idem apud Cic. et Jurisconsultos. Ulpianus, 'In pubertatem mortuus fuerit.' *Idem.*

Defessus] Fessi muli strigare solent, hoc est, interquiescere, ut meiant, idque aut in æstu, aut in difficili via, puta in salebris, aut vado, aut cœno. Id quotidie experimur. Quare recte *Defessus.* Idem.

10 *Et non pistrino traditur atque asino*] Mirum genus loquendi, et a paucis usurpatum, quod equidem meminerim: *traditur asino*, hoc est ut in locum asini, qui versat molas, sufficiatur. Sic supra 'Tyrios intexerat,' hoc est, Tyriorum opus. Duplex genus molarum, versatilium, et trusatilium: alteras jumenta, alteras homines agebant. Itaque videtur jocalariter eos, qui trusarent molas, 'Asinos' vocatos. Sane sic Juvenalis loquitur, quomodo et Catullus, 'sed tu jam durum, Postume, jamque Tondendum, Eunucho Bromium committere noli.' Ibi enim Eunucho tradere est εὐνουχίζειν, ut hic tradere asino, facere ut asinus pistrinarius sit. Quare hoc genus locutionis, quia mirum, non tamen penitus insolens est, quum eo utatur Juvenalis, studiosos valde observare volo. Præterea notandum in eo Juvenalis loco proverbium non animadversum, *βρόμιον εὐνουχίζειν*. *Idem.*

12 *Ægroti culum lingere carnificis*] Carnificem hic vocat, quem vulgo Farciminosum dicimus. Ita plane Martial. 'Sulphurensque color, carnificesque pedes.' Propterea recte epitheton Ægrotum illi attribuit. Τὸ *Carnifex* autem substantivum, ut 'supplex' apud Tibullum. Ideo utrique adjungit epitheton. *Idem.*

CARMEN XCVIII.

1 *In te si quemquam*] Melior vetus scriptura, quam hæc commentitia. Scriptum enim fuit, *Si quicquam.* Si quicquam pote dici, id sane dicetur, quod stultis et fatuis solet. Est autem sine dubio Vectius ille Vatinianus falsus testis, ut non mirum sit, si in ejus linguam falsidicam hoc Epigrammation scripserit. *Scal.*

In te si quicquam, &c.] In hunc locum Muretus, 'Quæcunque,' inquit, 'in verbosos fatuosque dicuntur, ea in te omnia dici queunt.' Atqui non hoc dicit Catullus: quidnam igitur? si in alium quempiam, unice in Vectium recte convenire scilicet, dicterium porro illud, quod in sequente mox disticho continuatur, non vero omnia quæ in verbosos fatuosque dici possunt. Hoc enim convicium proprie in ejusmodi bucconum genera, qui quidem insulsi, impendioque loquaces essent, jaci vulgo, ac torqueri solitum ex hoc Catullum Epigrammate docemur. Atque ita secundi distichi sententia a primorum deductione pendebit; puncto, quod τῷ *fatuis* latus claudit, expuncto: atque ejusce vicem colo quasi succidaneo subdito. *Dousa P.*

Vecti] C. Cæsar in consulatu suo quem cum M. Bibulo gessit, cum multa popalariter et præter senatus auctoritatem administraret, omnibusque actionibus suis Optimatum dignitati adversaretur, commentus est callidum quoddam et acutum consilium, quo Senatum et Optimates in populi invidiam atque offensionem trahere posset. Cn. Pompeius eo

tempore propter amplitudinem rerum gestarum, domi militiæque plurimum poterat. Eum igitur ut Senatui infensum redderet subornavit Vettium quendam, qui industria cum telo deprehendi se sineret: atque is cum, ut constitutum erat, a Consule Cæsare in rostra ad populum productus esset, indicium postularet; et fateretur, se una cum servis, Pompeii occidendi caussa, cum telo fuisse, ejusque facinoris conscios et impulsores amplissimos totius Senatus, et totam fere juventutem nominaret. Qua tam atrocis sceleris suspicione cum Pompeium ipsum, tum etiam plebis animos a Senatus et bonorum caussa abalienaret. Narrata hæc res copiose est a Cic. Epist. ad Att. et a Suetonio in Cæsare. Hac de re et de hoc ipso Vettii facto intelligendum existimo Epigramma hoc Catulli. *Lipsius.*

4 *Et crepidas lingere carbatinas*] Liquida scriptura omnium veterum, tam scriptorum, quam formis excusorum. Quum Politianus hæc videret contaminari, non passus est, et, quæ videbatur erroris caussa in ignoratione Carbatinarum, id verbi quid esset, explicavit. Itaque satis mirari non possum disertissimum virum, qui negat contra scriptorum librorum auctoritatem Politianum legere *crepidas carbatinas:* quum tamen nullus scriptus liber aliter habet. Festivus poëta recte ejus linguam tergendis crepidis usum præstare posse ait, ut vicem peniculi crepidarii sit. Plautus, ‘ Quis hic peniculus? qui extergentur baxeæ?’ Nam baxeæ et carbatinæ non multum differunt. Qui *Cercolipas* substituerunt, meminerant se eam quidem vocem legisse: sed male interpretabantur παρὰ τὸ λίπος καὶ τὴν κέρκον. De quo vide quid nos olim apud Festum. Quod omnino commentum est otiosorum hominum. At crepidas peniculo, et eam inhonestam partem spongia fingi solitas, quis paulo rerum antiquarum peritior nescit? Quare illius linguam spurcæ spongiæ aut peniculi usum præstare posse ait. Propterea dixit, *si usus veniat.* Quod autem hac in re Marullus Politianum ridet, nihil præter solitum facit, modo enim occasionem hominem insectandi nanciscatur, jure an injuria, recte an secus id faciat, susque deque habet. Porro est πλεονασμὸς ἀρχαϊκὸς, ‘ cum lingua lingere:’ quod aliis ‘ lingua lingere:’ quod genus loquendi non semel reperias apud Plautum. Silius quoque usurpavit, ‘ cum qua libabat ad aras, Hasdrubal ex auro pateram.’ Nam vir disertus hæc non intelligit. *Scal.*

Crepidas lingere carbatinas] Julius Pollux lib. IX. ad Commodum Cæsarem, ‘ Carbatinas esse,’ ait, ‘ rusticum calceamentum, sic a Caribus appellatum.’ Aristoteles vero lib. II. de Anim. Hist. ‘ Camelos calceari,’ scribit, ‘ carbatinis, ne scilicet in exercitu, longiore itinere fatiscant.’ Sed quatuor exstant Græce nimis quam libelli elegantes, Pœmenicῶν titulo, quorum in lib. II. senex quidam cum pera et calceis carbatinis introducitur; et Lucianus in Dialogo, qui vel Alexander, vel Pseudomantis inscribitur, oratores quosdam e Paphlagonia ‘ carbatinis calceatos’ ait. Denique etiam Xenophon Socraticus Anabaseos III. ‘ Cum defecissent,’ inquit, ‘ veteres calcei, carbatinas habebant ex recentibus coriis bubulis confectas.’ *Politianus.*

5 *Si nos omnino, &c.*] Versus iste, nisi de historia supr. dict. intelligi commode non potest. Si, inquit, Vetti, non satis est tibi aliquos conscios falso nominare, sed omnino omnes bonos una nobiscum perdere vis: *Dicas, omnino quod cupis efficies.* Hic jocus Epigrammatis et venustas est. Si nos omnes vis perdere, inquit, nullo negotio, et facile potes id efficere. Dicas modo, id est, eloquere et audiamus semel sermonem

tuum, assequeris et efficies quod voles. Tanta est enim inquinati et fœdissimi oris tui turpitudo, ut simul atque loqui cœperis, nos omnes audientes contagione perdas et inficias. Videtur hic autem nefariæ cujusdam turpitudinis Vettium accusare, ut qui ne capiti quidem suo parcere didicisset. *Lipsius.*

CARMEN XCIX.

10 *Tanquam conmixtæ*] Hoc supposuerunt inepti homines pro *conjunctæ*. quod nec ipsum sincerum est. Legendum enim, *conminctæ*. Supra, 'Savia conminxit spurca saliva tua.' Quæ sit hic *lupa* docet Livius de Faustuli uxore Acca Larentia loquens. Commingere notius est, quam ut explicatione indigeat. Inde commictilis, sed alia notione. Pomponius Atellanarius præcone posteriore, 'Si sciam quid velis quasi servi comici commictilis;' hoc est contemptibilis. Quare apud Nonium, 'commictilis, compositi,' legendum, 'commictilis, contemtitii:' nisi cui magis probetur 'condepsiti.' Depsere obscœnum, ut supra. Hoc modo eodem sensu, quo hic accipiendum fuerit. Sic etiam simplex mictilis Lucill. lib. xx. 'Pulmentar aut intibus, aut aliquod genus herbæ, Et jus manarum bene habet; sed mictilis hoc est Merx.' Corruptissimus ille locus hodie editur apud Nonium. Hanc veram lectionem putamus, quanvis apud Plautum in Mostellaria eo modo dictum sit 'Canes capro commixtæ:' quomodo hic correctores legunt *commixtæ lupæ;* quod proculdubio interpolatum ex Plautino. *Scal.*

16 *Nunquam jam*] *Jam* abest a priscis libris. Dele; sed lege, *Non unquam posthac*. Idem.

CARMEN C.

6 *Perspecta exigitur*] Scriptura, *Perfecta*. Magis placet *Perspecta*. Quæ tralatio est a probationibus operum, quæ spectiones dicuntur a Gellio et aliis. vel ab auro. nam spectatores auri sunt χρυσοβασανισταί: unde spectata amicitia. Sane Virgil. scripsit, 'Venisti tandem, tuaque spectata parenti Vicit iter durum pietas.' Ovid. 'Hinc satus Æneas, pietas spectata per ignes.' Magistelli spinosi 'expectata' legunt: propter syllabam, quam nolunt positione sequenti produci. Alii vero magistelli zelotypi dicunt palam in suis suggestis veteres quoque expectata pro spectata dixisse: quid tum postea? ostendant mihi expectatum apud Virgilium esse pro spectatum. alioquin scimus verum esse eo quoque modo posse dici. Sed quid facerent pædagogi si nihil haberent, quod latrarent? Putidissima capita. *Scal.*

CARMEN CI.

4 *Et mutum nequicquam adloquerer cinerem*] Auson. 'Voce ciere animas funeris instar habet.' Seneca, 'Magnum solatium est appellare sæpius nomina non responsura.' Aliud est, 'et magna postremum voce ciemus.' Hoc enim in ipso rogo fiebat. Eurip. Ὑμεῖς δὲ τὴν θανοῦσαν, ὡς ἔστι θέμις, Προσείπατ' ἐξιοῦσαν ὑστάτην ὁδόν. *Scal.*

CARMEN CII.

3 *Me unum esse invenies*] Scribe ex calamo exarata membrana, *Meque esse invenies:* et me invenies esse sacratum illorum jure, et dices me esse Harpocratem. *Scal.*

Illorum jure sacratum] Quia de silentio agit, quod proprium est mysteriorum, propterea verbo mystico utitur, *sacratum.* Sacrati sunt οἱ μεμυημένοι, ut in veteri inscriptione Romana, 'Sacrata apud Eleusinem Deo Baccho, Cereri, et Coræ.' item in alia, 'Sacrata apud Æginam Deabus Taurobolitæ, Isiacæ.' Et sacrandi, mox initiandi. Prudent. 'Quid quum sacrandus accipit sphragitidas?' Ut apparet ex Prudentii loco, stigmata in fronte aut alia parte corporis accipiebant. Sic in veteri Christianismo dicebantur signati, et sacrati, qui in fronte crucis signaculum chrismate prænotatum habebant, tanquam ea esset initiatio. Hoc crebrum est apud Tertullianum. Hunc locum virum disertum non capere, probat ejus interpretatio. *Idem.*

CARMEN CIV.

1 *Credis me potuisse meæ maledicere vitæ*] Vereor ne Catullus non *maledicere* scripserit, sed *valedicere.* Nam sane id fecerat, ut ex superioribus cognoscimus, 'Vale, puella, jam Catullus obdurat.' Item, 'Cum suis vivat valeatque mœchis.' Nunc Catullus videtur conqueri apud amicum, quod id statim in eam partem tanquam serio a se dictum esset, interpretatus sit. Qui mutarant lectionem, rationem habebant syllabæ ultimæ in *vale.* Atqui 'cave' eodem modo corripiebant: item 'responde.' Martial. 'Si, quando veniet? dicet. responde: poëta Exierat. veniet, quum citharœdus erit.' *Scal.*

4 *Sed tu cum Caupone*] Nunquam hanc lectionem ego probavi, ut quæ semper de mendo mihi suspecta fuerit. Tandem vetus lectio omnem prorsus dubitationem sustulit, quæ non *cum Caupone,* sed, *cum Tappone* habet. Tappones familia Romæ in gente Valeria. In veteri Inscriptione Placentiæ legi: C. VALERIUS TAPPO. item apud Livium lib. XXXVIII. Is igitur Tappo cum isto insusurrabat Lesbiæ nescio quæ, quibus suspitionem illi faceret Catullum alio transtulisse calorem suum. Hoc negat Catullus: et contra illum τερατολογεῖν ait. Nam illud, *omnia monstra facis,* nihil aliud est, quam, πάντα τερατολο-

γεῖς ad verbum, vel τερατοποιεῖς. Est ergo Hellenismus. Posset tamen et obscœnitas intelligi, ut ad verbum apud Alexidem, ὁρᾷς δὲ πιττοκοπούμενόν τιν' ἢ ξυρούμενον; τούτων ἔχει τι θάτερον. Ἢ γὰρ τερατεύειν ἐπινοεῖν μοι φαίνεται, Καὶ πάντα τῷ πώγωνι δρᾷν ἐναντία. Nam hic τερατεύειν obscœne, quod Catullus monstra facere, siquidem aliquam obscœnitatem innuit. Male pro τερατεύειν legitur στρατεύειν. *Idem.*

CARMEN CV.

2 *Musæ furcillis præcipitem ejiciunt*] Δικράνοις ὠθεῖν. Proverbium. Innuit Mamurram invitis Musis ad poëticem animum appellere. *Scal.*

CARMEN CVII.

6 *O mihi cara magis candidiore nota*] Nusquam liberius pervagata est correctorum licentia: atque nunc plane est, ubi istis insanis capitibus succenseam, sive Marulli illi fuerint, seu quicunque volunt nos sapere suo capite. Restituenda est vetusta lectio, *Restituis cupido, atque insperanti refers te Nobis: o lucem candidiore nota.* Vere ἀρχαϊσμὸς, *insperanti nobis,* ut 'præsente nobis,' 'Absente nobis' apud Comicos. Tibullus, 'Perfida, nec merito nobis inimica merenti.' Nobis merenti. Vere supra, ni fallor, divinavimus, *valedicere* pro *maledicere* legendum esse. Nam hoc epigrammation pendet ab illo: ut enim in illo excusat se non ex animo valedixisse: sic hic palam præfert se illi restitui. *Scal.*

7 *Aut magis hac est Optandus vita*] Lege ex veteri scriptura, *Quis me uno vivit felicior, aut magis est me Optandus vita, dicere quis poterit?* Dicere quis poterit, quis felicior uno me vivit, aut magis me optandus est vita? Trajectio locum corrumpendi in caussa fuit. *optandus vita* ἑλληνισμὸς, ζηλωτὸς τοῦ βίου, μακάριος τοῦ βίου. Sic 'beatus vita.' In Culice, 'Quis magis optato queat esse beatior ævo?' Quod plane huic loco facem adlucet. Hic ergo, *quis magis me optandus vita?* est τίς μᾶλλόν μου ζηλωτὸς τοῦ βίου; *Idem.*

CARMEN CVIII.

1 *Si Comini populi arbitrio*] Ex manuscripta lectione cognoscimus *popul' arbitrio* in Gallicano exemplari scriptum fuisse. pro quo in nostris libris exaratum fuit, *Sic homini populari arbitrio.* Scal.

Comini] Scriptum mihi a Catullo videtur hoc Epigramma in Cominium, rabulam quendam de foro, et odiosum accusatorem, cujus et Cicero et Ascon. Orat. pro Corn. meminerunt, et pro Cluent. Avito. A quo cum esset vel ipse Catull. vel amicorum ejus aliquis injuria affectus, seu forsitan etiam accusatus, hoc Epigrammate acerbam ejus et inimicam bonis omnibus linguam et loquacitatem insectatus est. *Lipsius.*

CARMEN CIX.

6 *Alternum*] Lego *Æternum*. Livin.

CARMEN CX.

4 *Quod nec das et fers*] Vitiose vetus scriptura, *Quod nec das nec fers.* Scal.

7 *Efficitur plusquam meretricis avaræ*] Pro *efficitur* vetus lectio habet, *effexit*, hoc est, *effecerit*. Nam C pro X, scribebant veteres illi librarii. *effexit* supple facinus. Ποιήσειεν ἂν τὸ τῆς πόρνης· ἐργάζοιτ' ἂν τὸ τῆς πόρνης· ἤγουν τὴν ἐργασίαν τῆς πόρνης. *Idem.*

CARMEN CXI.

1 *Aufilena viro contentam*] Liber scriptus, *contenta est*. Legendum sane *contentas:* ex quo fecerant *contenta est*. Lege igitur, *Aufilena, viro contentas vivere solo Nuptarum laus e laudibus eximiis*. Laus eximia nuptarum, contentas uno viro vivere. *Scal.*

CARMEN CXII.

1 *Multus homo es Naso*] Venimus ad epigramma omnium judicio in hoc poëta obscurissimum; sed meo, non adeo perplexum, si illi suam veterem non correctorum lectionem restitueris. Simul enim id suæ antiquæ scripturæ reddideris, et suo nitori restitueris. Ita ergo ne una quidem syllaba minus in illo libro perscriptum legimus, *Multus homo (es, Naso, nam tecum multus homo) est, qui Descendit? Naso, multus es, et pathicus.* Notum est qui sint Aretalogi, et quod dicti, quia de virtute locuti faciunt id, quod Juvenalis dixit. De virtute loqui esset ἀρεταλογεῖν. Hoc faciebat Naso, qui de virtute locutus, id quod taceo, facere deprehendebatur. Potestne fieri, inquit poëta, ut tu ἀνδρεῖος sis, qualem te verbis facis, et re κίναιδος, qualis esse deprehenderis; ἀνδρεῖος igitur es, et κίναιδος; Hæc sane non bene conveniunt, nec in una sede morantur. Multus in aliqua re, ut apud Græcos πολύς. Nam nugantur, qui *Moltus* legunt, a molendo. *Scal.*

Multus homo est] Vox *Multus* absolute accipitur, de eo qui in unaquaque re multus est: hinc et pro severo, tetricoque et moroso, odioso et importuno, quem Græci φορτικὸν dicunt, sumitur. Afranius apud Nonium, 'multa es ac molesta multum:' ita accipiendum *Multus* in obscurissimo hoc Epigrammate Catulli: *Multus homo es, Naso num tecum multus homo est, qui Descendit? Naso multus es et pathicus.* Ita autem ipsum epigramma legendum, ac distinguendum est. Multus es Naso et molestus et mo-

rosus et arrogans, an vero tibi videtur multus homo esse, qui descendit, et pathicus est? mira enim res, ut homo cinædus, et qui omnibus omnia obsequitur, idem quoque arrogans sit, et superbus, ac difficilis et asper. *Salmasius.*

Es Naso nam tecum] Es namque te judice magnus vir καὶ γεννάδας. Ita Propertius locutus est, 'Nec tantum mecum Romana cubilia vises:' hoc est, me judice; vel simpliciter, tibi soli es, nam alii te non censent. Eadem sententia erit, si minima licentia legeris ex ductibus priscæ scripturæ, *Multus homo est Naso (nam tecum multus homo es) qui Descendit? Naso multus es, et pathicus?* Non est dubitandum ita a Catullo scriptum fuisse. *Scal.*

2 *Qui Descendit*] Scriptus liber more suo habebat *que* pro *qui*. quod tam sæpe monui. *Descendit.* satis patet quid velit. Juvenalis: 'Ad terram tremulo descendunt clune puellæ.' Marem se dicebat, et maribus tamen succumbebat. Nunc apertissimus hujus Epigrammatis sensus. *Idem.*

CARMEN CXIII.

1 *Primum duo, Cinna, sedebant*] Importunissimum correctorum vulgus hic quoque non usitato scelere debacchatum est: nam *sedebant* supposuerunt pro eo, quod Catullus et veteres membranæ, *solebant*. quod recte habebat. Superius monuimus veteres in iis, in quibus volebant reticere verbum, contentos fuisse solo verbo 'solere.' Supra, 'solet hæc imaginosum.' Plautus, 'Quæ nos prædicant cum viris suis solere:' non adhibuit verbum, quod præcipuum erat sententiæ. Sed notum 'quid soleant mœchi.' Item notum 'quid soleant mulieres' cum alienis viris. *Scal.*

2 *Mœchilia*] Egregia exemplaris Gallicani scriptura duabus synalœphis concepta, *Mœch'ill'a facto: a,* est *ah;* neque aliter in nostro libro scriptum fuit: *ill'* mutarant in *ili:* quia τοῦ *l* et *i* in Longobardicis literis nulla differentia est. Putant ænigma esse hoc, non epigramma, homines eruditissimi atque disertissimi. Atqui certissimum est Catullum hic τὴν σκάφην σκάφην vocare, et nulla nos flexuosa dictione, ut λοξίας ille solet, morari. Ait enim simpliciter, Pompeio primum consule unum aut alterum reperiri Romæ alieni lecti insessores; eandemque ad ejus secundum consulatum adulteriorum raritatem fuisse: sed postea pro uno, mille succrevisse: et hinc propagatam illam infamiæ segetem, qua Catulli ætate tota Roma flagrabat. Quod si historia quædam hic intelligeretur, de solis Mamurra et Cæsare tantum sermo esset, ut illos Mœchorum signiferos dicat fuisse. Sane epigramma non adeo tantis tenebris obsitum est, quantis volunt homines magnæ eruditionis et primi in literis nominis. *Idem.*

Mœchi, illi, &c.] Fortasse *Mœchulei.* Sic pro 'Hædilia' apud Horat. I. Od. 17. Auratus legit 'Hædulei:' nam ut ab equus, equulus, equuleus, hinnus, hinnulus, hinnuleus, sic a mœchus, mœchulus, mœchuleus. *Passeratius.*

3 *Sed creverunt millia in unum Singula*] Liber habebat *Singulum,* non *Singula:* ita exteritur media, ut in 'Auruncleia.' Plautus Clitellaria, 'Atat, singulum video vestigium.' Varro Περιπλοῦ lib. I. 'Tum vero doces historiam necessariam, semel unum singulum esse.' Idem octogesima περὶ Νομισμάτων, 'Hoc erat incommodi, quod nesciebamus semel unum singulum esse.' *Scal.*

VE
Hm.







